



9209

~~b~~
104



*
**ANTONIANA
MARGARITA,
OPUS NEMPE PHYSICIS,
MEDICIS,
AC THEOLOGIS,
NON MINUS UTILE, QUAM NECESSARIUM,
PER GOMETIUM PEREYRAM,
MEDICUM METHYMNAE DUELLI,
quæ Hispanorum lingua *Medina del Campo*
appellatur.**

NUNC SECUNDO IN LUCEM EDITUM,
& ex integro correctum.

TOMUS PRIMUS.



CUM LICENTIA.

MATRITI: Ex Typographia ANTONII MARIN, anno MDCCXLIX.

Se hallará en la Librería de Manuel Ignacio de Pinto, Calle
de Atocha, junto à la Aduana.

*
ANTONIANA
MARGARITA
OPUS NEMPE PHYSICIIS
MEDICIS
AC THEOLOGIS
NON MINUS UTILE QUA M NECESSARIUM
PER GOMELIUM PEREYRAM
MEDICUM METHYMINA DUELLI
das Hilfsvolumen jnsgaia Medica dea Campo
abbeffatu.
NUNC SECUNDO IN LUCEM EDITUM
Ex iunctio colligunt.

TOMUS PRIMUS



CUM LICENTIA.

MARTII Ex Typographis Antonii Marin, anno MDCCXIX.
Se pelleret se la tipografia de Manu et l'ancio de Tivoli, Cagliari
de Messina, Roma et Appennina.

*

ANTONIANA
MARGARITA,
OPUS NEMPE PHYSICIS,
MEDICIS,
AC THEOLOGIS,
NON MINUS UTILE, QUAM NECESSARIUM,
PER GOMETIUM PEREYRAM,
MEDICUM METHYMNAE DUELLI,
quæ Hispanorum lingua *Medina del Campo* appellatur, nunc secundò in lucem
editum.

EX INTEGRO CORRECTA IN HAC SECUNDA EDITIONE.
TOMUS PRIMUS.

CUM LICENTIA.

MATRITI: Ex Typographia ANTONII MARIN, anno MDCCXLIX.

Se ballaràn estos dos Tomos en la Libreria de Manuel Ignacio de Pinto, Calle de Atocha, junto à la Aduana: Y assimismo la Vida del Venerable Padre Presentado Fr. Francisco de Poffadas: Los Varones Ilustres de España, y treinta y dos Cartas de Hernando del Pulgar: El Libro, y Baraja nuevos, è inseparables para la Academia, y Fuego de Armerias de los Escudos de Armas de las quatro Monarquias mayores, con sus Provincias, Reyes, y Príncipes, Estados, Repùblicas, Islas, y Casas Soberanas de Europa: El Libro intitulado: Prodromus, seu Prolegomena ad Scholasticas Disciplinas, Authore Joanne de Ulloa, Madritano, Societatis Jesu: Y la Vida del Glorioso Padre, y Patriarca Santo Domingo de Guzmán, Fundador de la Sagrada, y Esclarecida Religion de Predicadores, escrita, y añadida por el Venerable Padre Presentado Fr. Francisco de Poffadas, Hijo suyo, y del Convento de Scala Cœli, extra muros de Cordoba.

ANAIKOTIA
ATIARIA
OPUS NEMPE PHYSICI
AC MEDICIS
AC THEOLOGIS

NON MINUS UTILE, QUA M NECESSARIUM
PER COMETIUM PFEREYAM
MEDICUM, ET HUMANE DUELLI
das Hypotheseum quod in Wien anno 1740 ab
Johann Gottlieb Fichte et Jacobo Gottlieb
Cochius.

EX INTEGRO CORRECTA IN HAC SECUNDA EDITIONE
TOMUS PRIMUS

CUM LICENTIA

MATRILIT: Ex Typographia Antonii Marin, anno MDCCXIX

Digitized by Google

J E S U S.



ST omnium fermè edentium novum aliquod opus antiquus mos , per quām ab eisdem observatus, illud alicui Illustrissimo Principi , seu maximo Monarchæ, (quantum ego conjectari possum) ut ab hoc , cui opus dicatur , aliquod emolumentum eliciant , aut donis pensata nuncupatione , aut aliquo munere, quod optant , adepto : quivè utrumque negligunt (si qui sunt) puto in animo eis esse , ut proles illa , ac proprius partus , jam ob id aestimetur , & in magno habeatur pretio, quòd tam ingenti viro sit oblatum , cui nulla parvi momenti dona offerri assalent. Quod mirari cogit , cur iis in mentem non venit , cùm hæc , quæ tantoperè assequi ardent , per unius dumtaxat nutum consequi possint, imò sine illo nulla , quæ verè dici bona valeant , adipisci , hunc tantum nuncupandum , huic opus offerendum , hunc totis nervis blandiendum. Si enim ditescere desiderant , quæ thesaurorum fodina opulentior Deo ipso , à quo universæ metallorum Zonæ profluunt , & oriuntur ? Si extolli , & ad magnos provehi honores , muneribus Regiis adeptis , & vel ab aure, vel à consiliis esse cupiunt , aut alicui præfle Regno , Provinciæ , aut Civitati , cui facilius erit condonare , quam ipsi , cui Regium cor in manu est , de quo scriptum quoque habemus , valdè honoratis amicis potiri? Quis tandem compescere maledicentium ora , obturare astantium illis aures , & inferre optimam cordibus legentium de opere opinionem poterit, quam ipsissimus , sine cuius nutu neque arboris folium flectitur , in hunc usum omnium hominum præsidiis , & copiis futilibus , ac inanibus existentibus ? Cum neque ipsi potentissimi Reges , dum vivunt , vitare potuerint à quibusdam lacerari , obtrectari , ac dilaniari : in quorum aliquos non est ab his animadversum , utpotè ignotos , tantum scommatibus affixis parietibus , aut Regiis ostiis , lacescentes : alios dissimulantes , aut quòd crimina , de quibus convitiabantur , patrasse propria conscientia accusaret: vel quòd vulgus timerent , quòd non rarò in eosdem impudenter insiliens à majoribus didicerunt , cùm in aliquot indignè , quia vera fassi sunt , sævierunt. Sed his demus , ut ad votum hoc illis succedat , quòd metu ejus , cui opus dicatum est , omnes ore extollant , laudent , & in Cœlum efferam operis immensitatem , laboris in condendo assiduitatem , ac sexcentorum mille voluminum ad conficiendum illud necessitatem , Authoris nimiam caliditatem , omnium facultatum eximiam doctrinam , linguarum omnium exquisitissimam peritiam , tūm demum verborum copiam , sententiarum claritatem , cùm nihil horum in animo illis sit , imò è diametro adversum sentiant ejus , quod ore metu pronuntiant : quid erit assequutus ejus , quod optabat operis Conditor ? Certè nihil. Universi enim alta in mente irridebunt , contemnent , despicient , quem tantum labiis honorabant : interituque illius , cuius timore cogebantur taceare , lingua soluta , hominem , ejusque scripta dilaniabunt , & igne absument modesti , dum in deteriores usus servire haud compellant. A quibus omnibus vindicare Christus tantum potest , inferens mentibus legentium ultra operis merita de eodem optimam opinionem. Non enim rarò

nostris teruntur manibus antiquorum Scriptorum volumina usque ad hæc nostra tempora asservata , & haud mediocri honore habita : quorum fermè nulla prorsùs est utilitas , ut neque inter legendum ulla audientibus inferatur voluptas. Quod indubitanter probitati Authorum tribuo , quorum meritis id à Deo concessum sit , ut eorum opera perennent , ac durant in longius ævum , quam improborum quantumvis peritorum. Qua de re si non piè , & christianè , ut forsan versuti autumabunt , saltim calidè , Christo Jesu nuncupare hoc opus , decrevi : qui , ut non hypocrisim simulem , ditescere , in summum honoris fastigium provehi , & nostras lucubrations , ac nomen propagare citra Dei Optim. Max. offendam cupio , præsertim cùm illud potius Ethnicorum sit , qui Principes pro diis habebant , dignosque divinis honoribus existimabant , quam Christianorum. Illis enim forte occurrebat , Principes potentissimos post obitum in deorum numero accitos , id munus præstare scriptis suis posse , quod nos uni vero Deo , & Maximo tribuimus : qui quantum à veritate aberrent , nullus est jam quantumvis impius , qui ignoret. Tibi ergo à principio , & in principio Verbo , scientiarum omnium fonti perenni , Medico humani generis blandissimo , hunc nostræ mentis typum offerimus : precamurque sermone concinno dictare , veridicaque doctrina scatere , præsidiis hominum mentis , & corporis saluti proficuis pollere. Non enim mihi licet ulterioris progredi : est enim inter hominum cœtum portio aliqua , beatissima quippe , quorum uterus officio , in eum fermè modum , in quem terreni Reges famulitio eorum , qui ab ore , vel à cubili ab Aulicis nostræ tempestatis appellantur : quos decet purissimo , & elegantissimo ornatu indui , halitumque suavissimum spirare , ne forte cùm Regi libet talium consuetudine oblectari , putido afflatu offendatur. Iis permisum est gesta Regum coram eisdem referre , & in quas Regiones usque propagatum sit imperium ab eisdem , prosapiam ab atavis prope divinis ducere : & universa facinora , quibus Regi blandiatur , recensere. Alii dumtaxat ex hominum plebe seelestissimi sunt , quibus aut carceribus detineri contingit : aut cùm Regi placet , ejusdem clementiam hos experiri , à vinculis solutos , non ejusdem frui præsentia , sed exilio damnari. Ex quorum numero inter nequissimos nequam ego sum. Cùm enim subit in mentem , beneficia à te misericordissimo in me collata , omnem numerum excedere , pro quibus tot quotidiè rependo scelesta , velut ab æterno carcere , quo dignum tunc me judico exemptum , exulare à tui præsentia datum datum credo. Ob idque filere decerno , purissimis illis Aulicis viris , quos à cubili præfecisti , efferendi tuarum laudum portiunculam sinens. Hi enim , qui assiduis jejuniis , livoribus immensis , horridis frigoribus , urentibus testibus , corpus suum in servitatem tuam redigunt , hujus mundi neglectis universis pompis , contemptu proprio , ac ignominia optatis , concinere tua trophæa , ac triumphos quoad humano genere licet , te ipso modulante poterunt , suavissimumque reddere melos. Sincerissima enim horum organa tibi gratissima sunt , ut per hæc tibi mulceri fit amoenissimum. Te ergo clementissime JESU precor hoc mihi concedas , tua Genitricis Purissimæ precibus , quam semper mihi favere intelligo , me discedere ab hujus vitæ curriculo permittas indemnum exilii æterni : commentumque hoc nostrum , si humano genere utile futurum sit , perennes , & in ævum vivere finas : sin futile , & infrugiferum , immature aboleri concedas. Qui in æternum vales , me perpetuò valere concede.

CEN-

CENSURA P. D. JOANNIS DE ARAVACA,
Presbyteri Congregationis SS. Salvatoris.

HUNC Librum, quem de rebus physicis, Gomezius Pereyra confecit, atque edidit, cuique *Margarita Antoniana* nomen imposuit, nunc iterum typis excudendum, avidissimo animo evolvi. Ejus Auctor, vir perquam acuto ingenio præditus, hoc opus, periculose quidem aleæ, sed haud minima laude dignum, ut aliorum illius ætatis, quæ vixit, ferè omnia sunt monumenta, suscepit. Floruit enim ea tempestate Hispania, tam bellica virtute, quam politioris litteraturæ studio. Nam post adeò acerba, diurnaque bella, quæ per multos annos ipsam oppresserant universam, è suis finibus ignorantiam longè, lateque diffusam expellere instituit; scientiasque omnes, quæ multis antè annis penè in tenebris jacuerant, in lucem tandem evocare cœpit. Itaque Pereyra, multa quidem, & fortassis majora, quam tempus ferebat, suscipere est autus. Unus enim non in ullius verba jurare assuetus, sed sui ingenii lumine ductus, contra totam Peripateticorum turbam instruxit aciem, Aristotelemque ex ejus in Scholis Imperio exturbare conatus est. Igitur, ut erat inquirendæ veritatis studiosissimus, laboriosa indagatione veritatem extorquens, cùm multa nova cogitavit, quæ severiori trutina examinanda subjecit: tūm verò etiam longè aliâ viâ prodire tentavit. Itaque ut physicam à falsis dogmatibus extricaret: de universalibus, de materia prima, de brutorum anima, ac de multis aliis liberam penitus sententiam tulit. Quatum omnium principatum obtinuit illa opinio, tūm temporis nondum expressa, licet priscâ vetustatē jam adumbrata, quam Auctor traddidit: *bruta scilicet sensu carere*. Hic adversarii, qui nec rationi, nec rei, sed majoribus, ac Magistris concedebant, omnes suas vires in eum contulerunt. Verūm cum ipse de rebus naturalibus multò aliter, ac illis opinaretur: se adversariorum argumenta nihil urgere, mira facilitate demonstravit. Neque despiciendam ejus sententiam, plerique doctissimi viri, reipublicæ litterariæ lumina, in illius vestigiis insistentes, comprobarunt. Facem enim accedit, quam alii mutuantes, incendium vehementissimum excitarunt. In illis Cl. Renatus Cartesius primus merito est annumerandus, qui in systemate suo hoc paradoxon inferuit. Quanto autem studio Scriptores Galli persuasum velint, Cartesium ex ditiissima sui ingenii penu hæc, & alia de prompsisse, quasi dedecus Gentis reputantes si in uno, alterovè Exteris inventionis laudem tribuant, nullum quidem latere arbitror. Hinc illa vana, & fucosa argumenta tūm ex exemplorum operis Gomezii paucitate, tūm ex Cartesii in evolvendis aliorum libris incuria, petita. Verumtamen ex eo Cartesium hausisse illa, quæ de brutorum anima commentatus est, & Gallorum, & cæterorum plurimi affirmant. Multa hunc disputasse, multa vidisse, quæ Gomezii, aliorumque aciem fugerant, fatendum est: verūm quoniam ipse in humeros eorum concendit, undè latior campus longè, lateque patebat: mirum nemini videri debet, si quæ illi non viderant ipse perlustraverit. Sed inventionis gloria, quæ Gomezio nostro jure optimo debetur, minimè ideò adimenda est, aut deneganda: quam certissime sibi ipse vindicabit dum hæc, illâcque hujus operis exemplis disseminatis, in illud primus incessisse videatur. Plurima tamen adhuc ibi sunt

tam

tam scitu , quam ut summa cum diligentia examinentur , digna : quæ quidem si , ut par est , illustrentur , res litteraria non parvum obtinebit incrementum. Brutorum machinas à summo Auctore exquisito artificio , mirabilique partium dispositione conformatas esse , quisque facilè cognoscet. Verum quænam sit eorum interior œconomia , cum hac , illaque mouentur , prout ad sui tutelam , vel speciei propagationem facit , idque sine consilio , ratiocinatione , seu cognitionis actu : & quoniammodo brutorum anima vivens , sit nihilominus corpus extensum , licet subtile , & in auras dissipabile , intelligere planè nequimus. Hac una in re , & veteres , & recentiores Physici quam maximè dissident. Nam etsi summâ diligentia , profundâque meditatione omnia perpendere current , atque ex iis , quæ , experientia , & ratione duce , animadverterunt , non tam nova , quam vera dicere studeant : tamen adhuc res integra manet ; & fateri necesse habent , ulterius aliquid , quod intellectus noster minimè assequi valet , in brutis latere. Multa certè , & politiori methodo , & majori perspicuitate disceptata videmus. Si quis tamen novum systema moliri tentat , dum facile aliorum ratiocinationes refellit , suis etiam ipsius difficultatibus infestatus , æquè multatus , ac jugulatus evadit. Ita mens hominum excoeca-
ta , ea , quæ supra se videt , nec intelligere valens , nec ignorare patiens ,
Eccl. 3. firmat illud Sapientis oraculum : *Quis novit si spiritus filiorum Adam ascen-
dat sursum , & si spiritus jumentorum descendat deorsum ?* Nempè nullus solo naturali rationis lumine fultus sapere potest. At Summus ille rerum
Id.ib.v.ii. omnium Artifex Deus cuncta fecit bona in tempore suo , & mundum tradidit disputationi , ut non inveniat homo opus , quod operatus est Deus , ab initio usque ad finem. Dignum igitur reor , ut omnes , dum in operum Dei meditatione , & studio occupantur : illius potentiam , sapientiam , & bonitatem laudent , atque in ejus magnitudinis admirationem traducantur : usque eo dum veniat exoptata dies , quâ gladios in vomeres , & lan-
ceas in falces commutantes , unam , cædemque sententiam , luce gloriæ omnes circumfusi , amplectamur. Quamobrem , cum nihil , quod sacris Fidei juribus , nihil , quod bonis moribus adversetur in hoc opere inveniam : illud ut iterum publici juris fiat , dignum existimo. Dabam Martiti , in Ædib. Congregationis SS. Salvatoris , decimo Kalend. Febr. an. 1749.

Joannes de Aravaca.

L I C E N C I A D E L O R D I N A R I O.

NOS el Licenciado Don Miguèl Gomez de Escobàr , Inquisidor Ordinario , y Vicario de esta Villa de Madrid , y su Partido , &c. Por la presente , y por lo que à Nos toca , dàmos Licencia à Manuel Ignacio de Pinto , Mercader de Libros en esta Corte , para que pueda reimprimir , y reimprima los dos tomos de la *Margarita Antoniana* , impresos el año de mil quinientos y cinquenta y quatro ; atento estar vistos , y reconocidos de nuestra orden , y no contener cosa opuesta à nuestra Santa Fè Catholica , y buenas costumbres. Fecha en Madrid à ocho de Febrero , año de mil setecientos y quarenta y nueve.

Licenciado Escobàr.

Por su mandado ,
Vicente Garcia.

P.D.

P. D. NICOLAI GALLO , CONGREGATIONIS
SS. Salvatoris Presbyteri , Censura.

QUOD olim celeberrimus noster Gomezius Pereyra, Serenissimi quondam Philippi II. Regis Catholici Medicus Cubicularius sub *Margaritæ Antoniana* nomine Opus inscriperat, nunc denuò typis edendum, Supremi Castellæ Senatus jussu, qua potui diligentia, legi, per volvi, inspexi. Opus, inquam, toto jam Orbe litterario notissimum: in quo clarissimus Auctor, cum ingenii acumine, tūm opinandi libertate, tūm denique in perscrutandis abstrusioribus Naturæ recessibus solertia, tām sui, quām ævi nostri Philosophos longissimè antecelluit. Nec equidem arbitror, an aliud quodpiam hujusc generis scriptum hodie luci publicæ donari possit, quod, vel tutandæ Hispanici nominis Gloriar, vel indigenæ Eruditioni ab Exterorum columnis vindicandæ, oportunius succedat.

Cum enim Gomezius noster, proposito sibi unius Veritatis reperiundæ desiderio, à præconceptis in rebus Physicis opinionibus, quæ dudum in Scholis invaluerant, sepe primus omnium sui temporis Philosophorum interitus explicuissest: novumque deinceps totius penè Physices Systhema adoriri, ornare, rationumque momentis munire, non dubitasset; nescio, quo tamen socordiæ nostræ fato, præclarissimo, ac doctissimo Viro tritum illud Virgilianum acciderit: *Hos ego versiculos feci, tulit alter homines.*

Quandoquidem omnia, quæ, vel excolendo artis Medicæ studio, vel secretioribus naturæ arcanis eruendis, immenso penè labore Vir immortalis comparaverat; ea, aut nihilo pendere à Nostratibus, aut quasi periculosa columniari, aut velut insolita horrere, ac fastidiri ceperunt. Quo factum, ut, quæ potissimum à nostris Philosophiæ Candidatis addiscenda forent, ac eternitati meritò donanda; jam tum, cum primum nata fuere, oblivioni traderentur.

Quin, quod Exterorum eruditiores, apud quos Gomezii nostri Opus, patriis ejectum laribus, exulabat; primò quidem Peregrinum hospitio excipere, atque fovere, & postmodum Hominis mirari ausum, ingeniumque, sepe inter concertarent, & æmularentur: deinde ad nova in Physicis dogmata cedula exemplo accendi, animos, spemque erigere, ac tandem ad èadem, & effingenda, & pro suo quicunque lubitū utcumque perficienda, exertis undique viribus, contenderint. An id Religioni Catholicæ, & Christianæ humilitati ubique benè cesserit, in medium relinquimus; usum quippè, non abusum Philosophicæ libertatis Gometii nostri laudibus commendamus; quem si, ut in novandis rerum Physicarum Elementis nonnulli Ducem sequuntur, pietatis quoque, & moderationis exempla (quæ vel in ipso operis limine effulgent) immitarentur; utilius proculdubio cùm sibi, tūm studiosæ juventuti adlaborarent. Quam ob rem illud pro officii mei munere omnino monendum censeo, quod olim Sanctissimus noster Valentinarum Antistes, virtute non minus, quām doctrina insignis, ad coercendam luxuriantium ingeniorum in opinando libidinem, altius intonabat: *Quotidiano (ajebat) experimento discimus, ut, S. Thom. Villa-nov. sermon. unic. de Epi-phan. propæ med.*

Ut ut illud evenerit; quod è re nostra est, modo alienorum tantum Hominum invidiam convenire decrevimus. Quandoquidem plurima quæ que

que in omnigenæ Eruditionis campo à solis Hispanis inventa , atque ex polita , ita sibi arrogarunt Exterorum plerique , ut primos se rerum Auctores publicitùs clamare : atque ex his lucrum , plausumque Nostratis debita , latenter præripere non erubuerint . Quo nobis id factum esse crediderim de Scientiarum thesauris , quod de Americanis opibus jam dudum evenisse , & experimur , & dolemus . Divitiæ nempè in Occiduis Indiarum Regionibus ab Hispanis inventæ , ab iisdemque , magnis exantlatis laboribus , conquisitæ : cum Gentis nostræ , & gloriæ , & levamini inservire debuissent ; non alio tamen circa illarum copiam , quā Agasorum asportatorio munere fungimur ; quippè qui immenso Auri , Gemmarumque pondere onusti , viliissima sèpè nobis mercede retenta , in Exterorum potissimum utilitatem , robur bellicum , luxum , delicias (quæ plerumque in nostram vertuntur perniciem) strenuè , atque viriliter infudamus .

Et ut cætera mittam , quæ in Poëlemicis , Historicis , Poeticis , Astro-nomicis , ac ferè omni Scientiarum genere ab expilata Eruditorum nostrorum hæreditate novissimè in lucem prodiere : quæque turpi Exterorum plagio , quasi recens ab ipsis excogitata , sub hasta divenduntur ; ad rem nostram propriùs accedamus , & in Physicis (de quibus nobis sermo) unius Rhenati Cartesii exemplo rem totam conficere , & furti causam dicere pronum erit . Vir namque , cæteroqui de litteraria Republica benemeritus , indefesus æquè , ac sagacissimus Naturæ investigator , & in rerum causis perscrutandis vigilantissimus ; cum tamen de bona ipsius fide ro-gandus erat , quandoque dormitavit , & Homerum egit .

Neque id homini apprimè erudito vitio vertimus , quod novum in Orbem Philosophicum Systhema invexerit , Peripateticis quām infensum . Nam , ut liberum fuerit Aristoteli à Platone Magistro , atque ab aliorum retrò Philosophorum placitis impunè recedere ; quin liceret , nedum Cartesio , verū cuilibet augendarum Scientiarum cupido , novas rerum causas , ordines , finesque , disquirere : ac , spretis imperitorum hominum querellis , unam perseQUI Veritatem ? Sartatecta omnino sit cunctis intemerata fidei Catholicæ Religio : morum integritas , & severioris Ecclesiæ disciplinæ jura serventur : altiora nobis ne temerè quæsierimus , nevè supra quam oportet , sed ad sobrietatem sapiamus ; & de cætero , liberum cuique maneat , suo in re physica abundare sensu : & per ima Naturæ per terras , tractusque maris , Cœlumque profundum , nova inventa procudere : vetera , vel expolire , vel ex integro vindicare , aut (si promerito opus sit) etiam funditus evertere ; nam ut Magnus ajebat Athanasius : *Patet omnibus veritas : nondum est occupata.* Non ergo Nostrum est , eam intra anti-quarum concludere limites Opinionum , neque longa errorum diruere vetustate , neque inertia detinere . Quinimò si cui hominum Veritatis , & potiundi , & utendi , fruendique jus inesse debuerit ; nemini certè justius , aut dignius , id obtigisse crederem , quām qui Cartesio similis , improbo , ut ille , meditandi studio , nullius impatiens laboris , cuncta rimari , contemplari , discernere , & diu , noctuque vigil pro adipiscendo vero , nunquā animum despondisse probaretur .

Quid ergo est , quod Cartesium causemur ? Illud , nimirūm : quod cum doctrinam de Authomatis , de primigenia rerum materia , de formis (ut ajunt) substantialibus , ex Gomezio nostro , vel ipsis Gallis suis testibus ,

D. Athanas.

bus, clàm decerpserit; subpuduit Hominem, alioquin captandæ gloriæ nimis cupidum, in novo Physices à se adinvento Systhemate, de alieno superstruere; maluitque veri, ac meritissimi Auctoris Nomen turpi obvolvere silentio, quàm honestissima Gomezii nostri laude, non nihil de propriæ existimationis quæstu demptum iri.

Sed quorsum ista? Censorem, an Gomezii Vindicem agere videor? Nimium me (fateor) Patriæ dulcis amor abripuit; & ea, quæ pro tuenda Nostrorum Sapientia, & Eruditione, longiori, ac feliciori calamo tractanda forent, quæque (data Summorum Virorum fide) cominus præstolamur; summis saltem digitis, & penè invitum compulit attigisse. Quapropter, ut Officii mei partes explere non differam, testor, nihil in hujusce præclarissimi Operis lectione offendisse, quod vel regulis Catholicæ fidei, vel sanctioribus nostræ Matris Ecclesiæ moribus, necnon Juri Regio, & Reipublicæ bono non consonum, & utile censuerim. Dabam in hac Congregationis SS. Salvatoris Æde Matrii 29. die Januarii, anni verò 1749.

Nicolaus Gallo.

LICENCIA DEL CONSEJO.

DON Miguel Fernandez Munilla, Secretario del Rey nuestro Señor, su Escribano de Camara mas antiguo, y de Gobierno del Consejo: Certifico, que por los Señores de él se ha concedido licencia à Manuel Ignacio de Pinto, Mercader de Libros en esta Corte, para que por una vez pueda imprimir, y vender los dos Tomos del libro, intitulado: *Antoniana Margarita*, de Medicina, escritos por Gomez Pereyra, con que la impression se haga por los exemplares, que sirven de originales, y van rubricados, y firmados al fin de mi firma; y que antes que se venda, se trayga al Consejo dicho libro impresso en dos Tomos, junto con sus originales, y Certificacion del Corrector de estar conformes, para que se tasse el precio à que se ha de vender, guardando en la impresion lo dispuesto, y prevenido por las Leyes, y Pragmaticas de estos Reynos. Y para que conste, lo firmé en Madrid à veinte y quatro de Mayo de mil setecientos y quarenta y ocho.

Don Miguel Fernandez Munilla.

FEE DE ERRATAS.

Como corresponden à sus antiguos, que rubricados sirven de original, vienen los dos Tomos, primero, y segundo : este con la errata, pag. 134. col. 1. lin. 44. dindè, corregida deindè. Su titulo : *Antoniana Margarita, Opus nempè Physicis, Medicis, ac Theologis, non minus utile, quam necessarium*; y su Autor el Doctor Don Gomez Pereyra, Medico de Medina del Campo. Madrid 25. de Abril de 1749.

Lic. D. Manuel Ricardo de Rivera,

Corrector General por su Magestad.

T A S S A.

DON Miguèl Fernandez Munilla, Secretario del Rey nuestro Señor, su Escribano de Camara mas antiguo, y de Gobierno del Consejo: Certifico, que haviendose visto por los Señores de él los dos Tomos del libro, intitulado : *Antoniana Margarita, Opus nempè Physicis, Medicis, ac Theologis, non minus utile, quam necessarium*, su Autor Don Gomez Pereyra, Medico en la Villa de Medina del Campo, que con licencia de dichos Señores, concedida à Manuel Ignacio de Pinto, Mercader de Libros en esta Corte, ha sido reimpresso, tassaron à seis maravedis cada pliego; y el referido libro parece tiene en dichos dos Tomos doscientos y dos pliegos, sin principios, ni tablas, que à este respecto importan mil doscientos y doce maravedis; y al dicho precio, y no mas mandaron se venda, y que esta Certificacion se ponga al principio de cada libro, para que se sepa el à que se ha de vender. Y para que conste, lo firmè en Madrid à veinte y ocho de Abril de mil setecientos quarenta y nueve.

Don Miguèl Fernandez Munilla.

ELENCHUS OPERIS.

BRuta sensu carere, ostenditur pag. 1. & sequentibus, ac per universum hoc opus, & in commenticulis ultimis super paraphrasim 3. de anima.

Qualiter intuitivè, & abstractivè noscamus. Multa etiam dubia, quæ attinent huic rei tractantur, pag. 25. & seqq.

Sensibilia communia non propriè sensibilia per se nominanda, sed per accidens, pag. 57.

Non esse sensum communem organicam facultatem, pag. 58. Probatur, & paraphrasticè contextus Aristotel. commenti 144. explicatur pag. 62. & seqq. Ubi de facultatibus interioribus agitur, & Galeni, ac Avicenæ nonnullæ sententiæ notantur.

Qualiter opinatum sit hucusque operationes intellectus in nobis fieri, & hujus improbatio, pag. 68. & seqq. Ubi multa dubia, quæ intellectui attinent, discutiuntur.

Quid universale sit, & nonnulli errores, qui de eo opinabantur, explicantur, pag. 79. & seqq.

An ens, & essentia differant realiter, an non, explicatur, & commentator quidam libelli Beati Thomæ, reprehenditur pag. 90. & seqq.

Quid continuum contiguum, sit ex primitur multò, aliterque, quam hucusque intelligebatur, pag. 98.

De principiis rerum naturalium, præcipue deprima materia, agitur pag. 106. & seqq. Ubi ipsam non esse, ut Aristoteles opinatus est, evidenter probatur.

De ignea sphaera, ac de isto infimo igne nonnulla tractantur contra aliquorum opinionem, pag. 112. & seqq.

Tom. I.

Quis sit productor animalium vegetativarum, & earum, quæ sensitivæ appellantur, pag. 127. & seqq. Ubi Aristotel. contextus 1. cap. de Generatione animalium, explicatur, & nonnullæ ejusdem sententiæ notantur.

Quantitatem, figuram, & relationes, ac alia, quæ nonnulli doctissimi viri opinati sunt distincta esse à rebus quantis, & aliis denominatis, non posse distingui, probatur pag. 149.

Duae methodi, quibus cognoscenda sunt, quæ accidentia realiter differant à substantia, & quæ non, proponuntur pag. 154.

Quo distinguuntur formæ eductæ de potentia materiæ à non eductis, pag. 164. & seqq.

Paraphrasis in 3. de anima cum Authoris commenticulis, pag. 179. & seqq.

Solutiones argumentorum opinantium intellectiones, & sensationes esse accidentia realiter distincta ab anima intelligenti, & sentiente, pag. 210.

De immortalitate animæ, pag. 223.

Objectiones Licenciati Michaelis à Palacios, Cathedrarii Sac. Theologiæ in Salmantina Universitate adversus nonnulla ex multiplicibus Paradoxis Antonianæ Margaritæ, & Apologia eorumdem, pag. 304.

Objectiones Domino Gometio Pereyra Michaelis Palacios, pag. 305.

Apologia Gometii Pereyræ ad quasdam Objectiones adversus nonnulla ex multiplicibus paradoxis Antonianæ Margaritæ. Domino Licenciato Michaeli à Palacios, Cathedrario Theologiæ in Salmanticensi Universitate, Gometius Pereyra, S. pag. 319.

INDEX, SIVE TABULA EARUM,
quæ in hoc opere continentur. Littera P. sig-
nificat paginam, C. columnam, &
L. lineam.

A

- Absentiam posse nosci intuitivè
citra miraculum , pag. 30.
col. 1. lin. 9.
Accidentia an sint sensibilia de per-
se , an per accidens , ostenditur
p. 96. c. 1. l. 9.
Accidentia , quæ præfuerunt in cor-
rupto , an maneant in novo ge-
nito , decernitur : aliquorum
nempè sic , & aliorum non , p.
126. c. 2. l. 27.
Accidentia inhærentia alicui subjec-
to non posse sine subiecto opera-
ri , ostenditur p. 271. c. 1. l. 39.
Actus animæ intelligentis non rea-
liter distingui ab anima , p. 271.
c. 2. l. 18.
Actus animæ intelligentis non dis-
tingui ab ipsa anima , ut hucus-
que opinatum est , ostenditur
p. 72. c. 1. l. 32.
Actus animæ distingui ab anima ,
quibus rationibus fulciatur à
Physicis , & earum solutio , p.
210. c. 1. l. 1.
Aërem non cremari in montium us-
tione , ostenditur p. 112. c. 1.
l. 40.
Aër qualiter in aquam vertatur ac-
tione superiorum , p. 131. c. 2.
l. 15.
Agens intellectus , & possibilis qui-
sit , docetur p. 176. c. 1. l. 44.
Albus sine albedine non dicitur ,
nec aqua sine frigiditate frigida
dicitur. Ut materia sine forma
non dicitur esse , aliqui dixerunt ,
p. 145. c. 1. l. 35.
Album sine albedine dici posse al-
bum objicitur. Et objectio sol-

- vitur , ibid. pag. col. 2. lin. 23.
Anaxagoras intellectum condito-
rem omnium rerum esse existi-
mat , p. 128. c. 2. l. 5.
Angeli , & separatae substantiæ , qua-
re dicantur simpliciores , & mi-
nus simplices , p. 176. c. 1. l. 36.
Angelos non numero , sed specie
differre , improbatur pag. 86.
c. 2. l. 35.
Animadvertere animam author dis-
tinguit à cognitione animæ , p. 29.
c. 2. l. 9.
Animæ diversus modus essendi di-
citur sensatio , & attentatio , p. 33.
c. 2. l. 18.
Anima seipsum certo modo ani-
madvertendo sentit , Authore Au-
gustino , p. 45. c. 1. l. 13.
Animæ intelligentis actus distingui
ab anima realiter , quibus ratio-
nibus fulcitum hucusque fit à
Physicis , & Theologis , p. 71.
c. 2. l. 17.
Animarum vegetativarum , & ea-
rum , quæ sensitivæ appellantur ,
quis sit genitor secundùm Au-
thoris opinionem , p. 127. c. 1.
l. 21.
Animatum in potentiam , & actum
malè distinguitur ab Aristotele ,
p. 135. c. 2. l. 33.
Animas duas non posse esse in ho-
mine , ut Okam opinatur , of-
tenditur p. 61. c. 2. l. 41.
Anima rationalis sola quare non
dicatur educta de potentia ma-
teriæ , ostenditur p. 164. c. 1. l. 15.
Anima rationalis in operationibus
sentiendi , & intelligendi non uti
corpore , ut instrumento quo ,
sed per quod , p. 171. c. 2. l. 14.
Ani-

Animam rationalem, ut Angelus, non posse propter suam imperfectionem intelligere, nisi accidentibus realiter à se distinctis, aliqui sunt opinati, qui decipiuntur, ut ostenditur p. 221. c. 1. l. 3.

Animæ immortalitatis Authoris liber, p. 223. c. 1. l. 1.

Animæ immortalitatis Platonis in Phedone rationes, & earum solutiones, p. 224. c. 2. l. 18. & seqq.

Animam æternam esse ex hoc quod si organa corporea non senescerent, ipsius operationes non imbecillæ redderentur, cassam, & nullius valoris esse, ostenditur p. 254. c. 2. l. 18.

Animam rationalem non esse Dei portionem, ostenditur p. 256. c. 2. l. 37.

Animam esse immortalem, Authoris rationibus, ostenditur p. 260. c. 2. l. 33.

Animam indivisibilem bruta non posse habere, ostenditur p. 262. c. 1. l. 1.

Animam indivisibilem bruta non posse habere, auctoritate Aristotelis ostenditur, & experimen-to Augustini, p. 263. c. 1. l. 9.

Anima rationalis cum indivisibilis sit, quod necessariò naturaliter æterna erit, ostenditur p. 269. c. 2. l. 6.

Anima rationalis non eget corpore ad sentiendum, & intelligendum, ut instrumento quo, sed per quod, p. 274. c. 2. l. 2.

Anima rationalis qualiter se habeat, cum corpus informat, exemplo quodam, ostenditur ibid. p. c. 2. l. 12.

Anima cur non se semper intelligat, ostenditur p. 290. c. 1. l. 30.

Animæ rationalis æternitas alia ratione, demonstratur p. 278. c. 1. l. 10.

Animam rationalem ab ortu hominis usque ad interitum aliqua membra radicalia sic informare, ut eorum nulla pars corrumpi valeat, falsum esse ostenditur p. 280. c. 2. l. 31.

Anima si à corpore penderet ut lux à luminoso, quod non posset asservari, si corporis particula à se informata corrumperetur, ostenditur p. 283. c. 2. l. 20.

Animam non posse à corpore pendere, ut calor aquæ ab aqua, ostenditur ibid. pag. & col. l. 44.

Animam ex pacto naturæ non posse corrumpi ad corporis corruptionem, p. 284. c. 2. l. 46.

Animam rationalem manere corpore corrupto, nulla impossibilita parit, ut cæterarum formarum divisibilium sine corporibus duratio, p. 285. c. 2. l. 34.

Animam rationalem eandem numero manere ab utero usque in senectutem, ostenditur p. 286. c. 1. l. 34.

Animam esse immortalem rationibus Rheticis, ostenditur p. 287. c. 2. l. 1.

Animas æternas non esse ex hoc, quod nulli negotio possent incumberere, opponebant impii. Et objectio dissolvitur p. 292. c. 1. l. 29.

Animam memorari non posse post mortem, objiciunt impii. Et solvitur objectio, ibid. pag. & col. lin. 43.

Animam divinam sursum laturam corpus, objicitur, & solvitur objectio ibid. pag. col. 2. lin. 6.

Animam famam non esse cupitum, si immortalis esset, objiciunt impii, & solvitur objectio ibid. p. & c. l. 11.

Animam mortem non esse formidaturam, si immortalis esset, objiciunt impii. Et solvitur objectio ibid. p. & c. l. 19.

Ani.

Animam suppliciis æternis non esse torquendam objiciunt impii. Et solvitur objectio ibid. p. & c. l. 26.

Animæ futuræ essent infinitæ, si æternæ essent, objiciunt Ethnici. Et solvitur objectio p. 293. c. 1. l. 3.

Animam esse æternam Indis ignorantum esse objiciunt impii. Et solvitur objectio ibid. p. & c. l. 12.

Animam non esse æternam, ex hoc quod movenda esset, quod illi convenire negant, objiciunt. Et solvitur objectio ibid. p. & c. l. 18.

Animam discordes appetitus habere dicunt, indèque mortalem esse inferunt. Sed solvitur objectio ibid. p. & c. l. 6.

Animam, & corpus esse duo entia actu objiciunt impii, indèque non posse ex eis unum ens actu fieri eliciunt. Sed ratio solvitur ibid. p. & c. l. 23.

Animam duplices volitionis actus habere, ostenditur p. 299. c. 2. l. 8.

Animas tres esse in homine, ut Galenus testatur, ex Platonis sententia, p. 300. c. 1. l. ult.

Animam non esse æternam: quia si talis esset, genere differret à brutis, objiciunt. Et solvitur objectio p. 293. c. 2. l. 41.

Anima, & si non utatur corpore in actibus sentiendi, & intelligendi, ut quid, aliter, & aliter affici ad corporis diversos affectus ostenditur in aliquibus operationibus, ex quibus omnes aliae elici possunt, p. 294. c. 2. l. 13.

Animam esse actum corporis, quomodo intelligendum sit, p. 301. c. 2. l. 1.

Apellis pictoris exemplo probatur, species intelligibiles non posse educi à phantasmatibus, p. 69. c. 2. l. 28.

Aquaæ calor à quo corruptitur,

pag. 283. col. 2. lin. 39:
Arduis rebus intellectis, an quæ talia non sunt, facilius intelligantur, discutitur in commento 4. Paraphrasis tertii de Anima, p. 185.

Aristoteles leviter à quovis in favorem suæ opinionis trahi potest, p. 2. c. 2. l. 12.

Aristoteles obscurè ex professo scripsit, ut Author existimat, ibid. p. & c. l. 16.

Aristotelis contextus ducitur ex libro 8. de Historia animalium, & ex libro nono cap. 6. p. 9. c. 2. l. 31.

Aristoteles primo Posteriorum testatur cognitis majore, & minore syllogismi, necessariò assentiri conclusioni, p. 10. c. 2. l. 35.

Aristoteles ambiguus videtur in sensatione brutorum, p. 52. c. 2.

Aristotelis sententia de relato negotio, p. 52. c. 2. l. 24.

Aristotelis contextus 2. de Anima, text. commenti 144. adducitur, p. 55. c. 2. l. 13. Paraphrasis hujus, p. 62. c. 1. l. 40.

Aristotelis sententia relata text. commenti 144. quas difficultates habeat, ostenditur. Et ipsa solvitur p. 63. c. 2. l. 16. & seq.

Aristotelis contextus in proœmio Physicorum ducitur, p. 76. c. 2. l. 44.

Aristotelis relatum contextum quid difficilem faciat, p. 77. c. 1. l. 33.

Aristotelis contextus ductus explicatur, & difficultates tolluntur, ibid. p. c. 2. l. 28.

Aristotelis contextus citatus in Paraphrasin vertitur, p. 78. c. 2. l. 17.

Aristoteles, ut Plato videtur deceptus in inquisitione universali, p. 89. c. 2. l. 34.

Aristotelis definitiones continui, & contigui perperam esse intellectas,

tas , pag. 11. col. 1. lin. 44. in p
Aristotelis opinio de principiis re-
rum naturalium, p. 107. c. 1. l. 8.
Aristotelem deceptum fuisse fingen-
do materiam primam esse, osten-
ditur p. 111. c. 1. l. 45.
Aristotelis contrariæ sententiae de
igne , proponuntur p. 115. c. 2.
l. 28.
Aristoteles primo Meteorologiæ
quicquid est à terra usque in cæ-
lum , seclusa aqua , in vaporem ,
& exhalationem distinguit , p.
118. c. 2. l. 3.
Aristotelis sententia de semine , &
spiritu genitivo in cap. 3. secundi
de Generatione animalium ,
p. 127. c. 1. l. 15.
Aristotelis decretum de Generatio-
ne animalium, explicatur p. 133.
c. 1. l. 34.
Aristoteles nonnulla , quæ de Ge-
neratione scripsit , suffuratus est
ex Timæo Platonis , p. 134. c. 2.
l. 25.
Aristotelis distinctio animati in po-
tentiam , & actum , improbatur
p. 135. c. 2. l. 33.
Aristotelis alia etiam distinctiones ,
& similitudines , increpantur p.
139. c. 1. l. 39.
Aristotelem confusè scripsisse in pri-
mo cap. secundi de Generatio-
ne animalium , ostenditur p. 141.
c. 2. l. 3.
Aristotelis alia sententia confusa ,
p. 142. c. 1. l. 11.
Aristotelis , quæ carpuntur ab Au-
thore non ut à convitiatore ob-
jiciuntur illi , sed ut lectoribus
Aristot. Author caveat , ibid. p.
c. 2. l. 18.
Aristotelis contextus , ubi de agen-
te , & possibili intellectu tertio
de Anima tractatur ducitur , p.
176. c. 1. l. 33.
Aristotelis nonnullis sententiis in
tertio de Anima potius elicien-
dum bruta non sentire , quam

sentire , in commenticulo 9. su-
per Paraphrasin tertii de Ani-
ma , p. 207. c. 2. l. 8.
Aristotelis contextus secundo de
Generatione animalium cap. ter-
tio , quo mentem separabilem à
corpo probat Aristoteles , tra-
ditur , & ab Authore robatur ,
p. 269. c. 2. l. 13.
Aves cum ab ovo exeunt , certa fe-
mina despiciunt , & alia in ali-
mentum sumunt , p. 9. c. 2. l. 15.
Atomos , id est , insectilia corpora
esse rerum principia aliqui credi-
derunt : ratioque cur id opinati
sunt , ostenditur p. 11. c. 1. l. 48.
Augustinus lib. 1. de Ordine scrip-
tit quid ratio sit , p. 3. c. 1. l. 23.
Augustinus 15. de Trinitate duci-
tur ad robandum quod ante-
cedit , p. 29. c. 2. l. 23.
Augustini sententia ex 15. de Tri-
nitate explicatur p. 32. c. 1. l. 11.
Augustini sententia ex libro nono
de Trinitate , explicatur p. 36.
c. 1. l. 37.
Augustini sententiae ductæ à Grego-
rio ad robandum suam opinio-
nem , affirmantem phantasmata
intuitivè nosci , p. 41. c. 2. l. 38.
Augustini sententiae explicantur ab
Authore , p. 42. c. 2. l. 20.
Augustini decreta alia adducuntur
ab Authore , quibus propria opi-
nio fulcitur , p. 44. c. 1. l. 15.
Augustini sententia probatur , nul-
lum ens posse se perfectius pro-
ducere , ibid. p. c. 2. l. 34.
Augustini sententiae , quibus constat
animam non distingui realiter à
suis sentiendi , & intelligendi ac-
tibus. Quamquam eas in suum
favorem adversi trahant , p. 212.
c. 1. l. 38.
Augustinus de Modo vivendi in
lib. 11. de Trinitat. plus cum Peri-
pateticis quam Academicis con-
venit. Cum in libro de Quanti-
tate animæ expressè cum Plato-

- ne consentiat de hac re , p. 46.
c. 1. 1. 7.
- Augustini sententia de generatione rerum naturalium ex 3. de Trinitate dicitur, p. 132. c. 1. 1. 36.
- Augustini sententiæ, quibus Author probat sentiendi , & intelligendi actus non distingui realiter ab anima, p. 217. c. 2. 1. 23.
- Augustini rationes de animæ immortalitate in libello de eadem re , & earundem solutiones , p. 231. c. 2. 1. 37. & seqq.
- Augustinus retractat nonnulla, quæ in libello de Immortalitate animæ scripserat , p. 234. c. 1. 1. 33.
- Augustini experimentum de vermiculo insecto, quo animam quantum esse, ostendit Author, p. 263. c. 1. 1. 9.
- Augusti Cæsaris somnium , p. 270. c. 1. 1. 25.
- Augusti Cæsaris coena , in quam populus est invectus , p. 290. c. 1. 1. 10.
- Augustus Cæsar qualis fuerit secundum Authoris sententiam , ibid. p. c. 2. 1. 3.
- Averrois commentatoris rationes ad probandum animæ immortalitatem , p. 243. c. 1. 1. 3.
- Averrois commentator qualis vir in physica , & medica scientia fuerit secundum sententiam Authoris , ibid.
- Averrois commentator qua ratione fingit unicum intellectum inesse omnibus hominibus. Et ejusdem improbatio p. 250. c. 2. 1. 35.
- Avicenæ opinio , & aliorum Philosophorum de phantasia , improbat p. 65. c. 2. 1. 45.
- Authoris nullius quantumvis gravis sententia à conditore hujus operis recipitur , dum de religione non agitur , p. 2. c. 2. 1. 1.
- Author ad Herennium definitionem rationis tradit , p. 3. c. 1. 1. 25.
- Author non tantum convincit eos,
- qui dicunt ratione distingui hominem à brutis : sed & illos, qui ex universalis notione , probando quod si ipsa sentirent , & rationem essent habitura , & universale erant cognitura , ibid. p. & c. 1. 40.
- Author tunc vera dicere de actibus interioribus sentiendi , ac intelligendi testatur, cum sic esse quilibet expertus fuerit, p. 25. c. 1. 1. 3.
- Author quid de Aristotele sentiat, p. 118. c. 2. 1. 19.
- Author improbat causam , quam ipse semel est opinatus de extinctione flammæ non aspiratae , p. 123. c. 1. 1. 5.
- Authorum diversorum , ac innominatorum de perennitate animæ rationes, proponuntur, & solvuntur p. 254. c. 1. 1. 36.
- Authoris rationes , quibus animam esse immortalem , ostendit p. 261. c. 2. 1. 33.

B

- B**ona opera ut quid æterna gloria præminentur : & mala ut quid supplicio æterno castigentur , ostenditur p. 297. c. 1. 1. 21.
- Bruta ea , quæ cernunt , ut nos videre opinati omnes hucusque sunt , p. 2. c. 1. 1. 7.
- Brutis si loqui concederetur , album Hispanè *blanco* vocassent, ibid. p. & c. 1. 1. 3.
- Bruta si ut nos explicavimus non sentirent , falsum pronuntiassent, qui dixerunt esse communem vim sentiendi illis, & nobis, ibid. p. & c. 1. 2. 6.
- Bruta reflexos actus sensificos non habent , ut nonnulli putant, ibid. p. & c. 1. 3. 5.
- Bruta si in sentiendo nobis paria essent , in intelligendo paria futura erant , ibid. p. c. 2. 1. ult.

Bruta

- Bruta non sentire probatur , p. 3.c.
2. l.8.
- Bruta sentire aliqui dixerunt : sed mentaliter nihil affirmare , nec negare. Quod improbatum , p.4. c.1. l.22.
- Bruta quodam naturali instinctu prosequi aliqua , & fugere alia, qui dicunt , & etiam ipsa sentire affirmant , implicat , p. 6. c.1. l.44.
- Bruta non sentire probatur tertio , p.7. c.1. l.32.
- Bruta si sentiret benignitas naturae auferretur , p.8. c.2. l.20.
- Bruta si sentiret , curam de sede animalium suarum post obitum erant habitura , p.9. c.1. l.8.
- Bruta si sentiret , divinandi vim haberent , ibid. p. c.2. l.1.
- Bruta non sentire , avium experimento docetur , ibid. p. & c.l.15.
- Bruta docta a natura creari , aliqui perperam intelligentes dixerunt , Authorem Aristotelem trahentes , ibid. p. & c. l.25.
- Bruta non sentire , rationibus speculativis probatur. Et primò , quod si sentiret , universalia essent cognitura , p.10. c.2. l.1.
- Brutorum operationibus contemplatis , negare non possumus bruta si sentiret , universalia cognoscere , p.11. c.1. l.20.
- Bruta si sentiret , ex præmissis conclusionem elicerent , ibid. p. & c. l.35.
- Bruta non dicenda elicere ex antecedente consequens , nec universalia intelligere , & si sentiant , improbatum , ibid. p. & c.l.48.
- Bruta indivisibiles animas sunt habitura si sentiunt , probatur ex visiva cognitione , p.12. c.1. l.13.
- Bruta indivisibiles animas necessariò habitura , si sentiret , ex tactivis sensationibus demonstrative , ostenditur p.12. c.2. l.35.
- Bruta si indivisibilem animam non haberent , nec calorem , nec frigus possent sentire , p.13. c.1. l.16.
- Bruta nullum quantum cognitura sunt , si indivisibilem animam non habent , ibid. p. c.2. l.13.
- Bruta si animam indivisibilem haberent , aeternam animam essent habitura , ibid. p. & c.l. 27. Et fusiūs per ea , quæ p. 287. c. 1. l.21. scribuntur , & in mox antecedentibus.
- Bruta reflectenda esse supra proprius actus si sentirent , p.13. c. 2. l.37.
- Brutalium motuum causa redditur , p.14. c.1. l.31.
- Brutorum motuum cum causa redditur , proprietas occulta pro causa , assignatur ibid. p. c. 2. l.2.
- Bruta quatuor modis moveri , ostenditur p.17. c.1. l.43.
- Brutorum motuum primi generis causa , assignatur ibid. p. c. 2. l.38.
- Bruta non posse per modum a nobis assignatum sentire , aliqua objiciuntur , & solvuntur , p.18. c.2. l.21.
- Bruta quomodo fugiant inimica contra sensationem , ostenditur p. 19. c.2. l.47.
- Brutalium motuum secundi generis causa assignatur : prius exprimendo , quid Phantasma sit , p. 20. c.1. l.15.
- Bruta quomodo phantasmatibus moveantur , ostenditur ibid. p. c.2. l.45.
- Brutorum motuum tertii generis causa argumentis quibusdam improbatum. Et solvuntur p. 22. c. 2. l.34.
- Bruta si sentiret , suas animas essent animadversura , p.33. c. 2. l.43.
- Brutorum motus quarti generis eam assignatur p.47. c.2. l.9.
- Brutorum motus quarti generis exemplum

- exemplo , explicatur p. 49. c.1. l.19.
- Brutorum motus ex instinctu naturæ appellati , qui etiam quarti generis ab Authore dicuntur, qualiter fiant , exprimitur , ibid. p. c.2. l.13.
- Bruta non moveri quarto genere motus , ut nos diximus, quatuor argumentis probatur, & ipsa solvuntur , p.50. c.1. l.42.
- Bruta an sentiant , necne, quæ Aristoteles sentiri visus sit , diversis in locis exprimitur , p. 52. c. 2. l.34.
- Bruta existimandi facultate carent, p.67. c.2. l.13.
- Bruta universalia posse cognoscere si sentirent , ex dictis de universalibus , ostenditur p. 96. c.1. l. 29.
- Brutorum nonnullorum animas immortales esse credidit Porphyrius , ibid. p. c.2. l.15.
- Bruta voces ut significativas non posse intelligere, p.97. c.2.l.6.
- Bruta non sentire quadam ratione in operis principio probavimus. Et haec ratio roboratur in commenticulo 3. super 3. de Anima, p.194. c.1. l.36.
- Bruta non sentire ostenditur , quia indivisibilia perciperent,in commenticulo 4. super tertium de Anima , ibid. p.
- Bruta si abrupta , quæ verentur, noscerent , illationes essent illatura ut homines , in commenticulo 5. super tertium de Anima, ibid. p.
- Bruta si naturaliter timerent aliqua, adeo ut non sint libera, incassum fingerent Philosophi , ipsa sentire , cum possent solis speciebus motus brutales salvare , in commenticulo 6. tertii de Anima, ibid. p.
- Bruta sentire , quibus rationibus Aristoteles probare nisus sit , in commenticul.2. super paraphrasin tertii de Anima, p. 205. c.2. Ubi illæ rationes solvuntur.
- Bruta non sentire ex hoc, quod deliberativam vim non habeant, ex confessis ab Aristotele ostenditur in commenticulo 9. p. 206. c.2.
- Brutorum operationes tres præter innumeræ alias ostendunt bruta non sentire , in commenticulo 10. super paraphrasin tertii de Anima , p.208. c.1. & seqq.
- Bruta non sentire etiam ostenditur in commenticulo 13. super paraphrasin tertii de Anima,p.209. c.2.
- Bruta indivisibilem animam non posse habere , ostenditur p.262. c.1. l.1.
- Bruta divisibilem animam habere auctoritate Aristotelis ostenditur , & experimento Augustini, p.263. c.1. l.9.
- Brutorum actus memorandi ostendere videntur animas eorundem manere easdem numero ab ortu usque ad interitum , quod non accedit illis,ut ostenditur p.286. c.2. l.17.
- Brutorum animæ si indivisibles esent, necessariò naturaliter æternæ futuræ erant. Quæ ratio in p. 13. c.2. l.27. ducta est. Et omnino ostenditur bonam esse ex ductis per ea , quæ antecedunt, p.287. c.2. l.21.
- Bruta sentire , probant aliqui Sacrae Scripturæ auctoritate. Sed qualiter , quæ adducuntur , & quæ adduci possent , interpretanda sint , ostenditur p. 302. c. 2. l.25.

C

CAusa motus primi generis brutorum , p.17. c.2. l.12.
Cælestis arcus colores qualiter cogno-

- noscantur, p. 28. c. 2. l. 34.
 Cælestia corpora an proprio motu
 ista infima calefaciant, ostendi-
 tur p. 116. c. 1. l. 42.
 Cælestis causa si animas plantarum,
 & brutorum producit, p. 128.
 c. 1. l. 24.
 Cælestis causa producens bruto-
 rum, & plantarum formas, non
 potest dici libera, ibid. p. c. 2.
 l. 34.
 Centauri majoris capite Dioscori-
 des aberrat, p. 104. c. 1. l. 14.
 Cœna Augusti Cæsaris, p. 290. c. 1.
 l. 11.
 Cognitione principiorum rerum
 naturalium modus humanæ in-
 tellectionis exprimitur p. 289.
 c. 2. l. 13.
 Columbæ colli colores qualitè sen-
 sationem efficiant, p. 29. c. 1. l. 7.
 Cometarum, & aliarum crinita-
 rum stellarum causa redditur, p.
 119. c. 1. l. 19.
 Commentatoris Averrois rationes
 de immortalitate animæ. Et quid
 de eo Author sentiat, ostendi-
 tur p. 170. c. 1. l. 25.
 Commentator Averrois, qua ratio-
 ne fulciebat unicum intellec-
 tum esse in omnibus hominibus, p.
 250. c. 2. l. 36.
 Compositio, quæ in Angelis, &
 substantiis separatis esse dicitur,
 in quo consistat, p. 173. c. 2. l. 1.
 Concharum solertia, p. 7. c. 2. l. 4.
 Conchoydarum linearum passio,
 quæ sit, ostenditur p. 257. c. 1.
 l. 30.
 Connotativi termini implicitè, quod
 universalia sint, ostenditur p.
 88. c. 2. l. 43.
 Connotativa implicitè omnia no-
 mina futura objicitur, & solvi-
 tur, p. 89. c. 1. l. 34.
 Continua non talia fieri per dis-
 tincta à se, p. 98. c. 2. l. 41. &
 seqq.
 Continua seipsis talia esse, & non
- distinctis rebus, rationibus rela-
 tis comprobatur, p. 100. c. 1. l. 1.
 Continua non esse qualia expressa
 sunt, ostenditur, & objectio
 solvitur, ibid. p. & c. 1. 24.
 Continuum, & contiguum, quo
 differant, à nullo hucusque esse
 sufficientè explicitur, ibid. p. c.
 2. l. 8.
 Continua esse talia, ut nos expli-
 cuimus ex hoc, quod duæ tabu-
 læ non se possint tangere, pro-
 batur, ibid. p. & c. 1. 33.
 Continui, & contigui definitiones
 perperam hucusque fuisse intel-
 lectas, p. 104. c. 2. l. 46.
 Continuis existentibus qualia dicta
 sunt, infertur ferramenta fabro-
 rum non tangere dura fabricata,
 nisi aëre medio, p. 103. c. 1. l. 24.
 Contradictionem tantum subter-
 fugere Dei potentiam, ostendi-
 tur p. 170. c. 1. l. 25.
 Cordis partes omnes esse diffabiles
 vi caloris, ostenditur p. 245. c.
 1. l. 46.
 Corporeum non potest spiritalē
 producere, p. 36. c. 2. l. 5.
 Corpus non deferuit animæ ad sen-
 tiendum, nec intelligendum, ut
 instrumentum quo, p. 274. c. 2.
 l. 2.
 Corporis partes posse animam ra-
 tionalem deserere, ostenditur p.
 280. c. 1. l. 9.
 Corpus si corrumperatur ex pacto
 naturæ, animam corrumpen-
 dam esse, ostenditur non esse ve-
 rum, p. 284. c. 2. l. 46.
 Corpore corrupto, animam ratio-
 nalem manere, nulla impos-
 sibilitia parit, ut cæterarum for-
 marum divisibilium æternitas, p.
 285. c. 2. l. 34.
 Creationem non differre à genera-
 tione, si prima materia non con-
 cedatur esse, objiciunt, & sol-
 vitur objectio, p. 134. c. 2. l. 25.

D

Deformia , & pulchra , an talia ex natura sint , aut non , ostenditur p.169. c.1. l.30.

Deliberare bruta credendum erat , si tantum irrationalium actus perpenderentur , in commentculo 9. super paraphrasin tertii de Anima , p.206. c.2.

Deo soli , quæ tribuuntur , qualiter implicat ullum eorum creaturæ convenire , p.157. c.2. l.19.

Deo soli convenire esse unicum essentia , & trinum persona , ostenditur ratione sat valida , p. 158. c.1. l.10.

De potentia materiæ , quæ formæ dicantur eductæ , & quæ non , p.164. col.1. l.15.

Dioscorides mendacii deprehenditur cap. de Centauro majore , p. 104. c.1. l.14.

Disciplinam , aut doctrinam semper esse ostendit animam esse immortalem , ut Augustinus est opinatus. Cujus deceptio ostenditur p.232. c.1. l.22.

Dispositiones , quæ antecedunt generationem elementi , cum de novo fit , an sint , quæ præfuerunt incorrupto , ostenditur p. 125. c.1. l.39.

Dispositiones , quæ antecedunt generationem elementi , cum non maneant in novo genito , cur potius illud , quam aliud dignatur , causa redditur , p.125. c.1.l.3.

Distinctionem realem inter multa , quæ idem sunt , levi cavillo quidam posuerunt , p.145.c.2.l.10.

Distinctionem realem inter animam , & suos actus , quibus rationibus Physici fulciebant. Et earum solutio , p.210. c.1. l.1.

Divi Thomæ ratio , qua ejus Expofitor credit ens distare ab essentia , improbat , p.91. c.1.l.31.

Divinatio per somnia , ostendit ani-

mam immortalem esse , p. 281. c.1. l.11.

Doctissimi , & piissimi viri levi quodam cavillo decepti sunt , ut distinctionem realem inter multa , quæ idem sunt , fingerent , p.145. c.2. l.11.

Doloris sententia Platonis in Phedone , p.295. c.2. l.45.

Dolore compulsus est Hippocrates testari non esse omnia unum , p. 107. c.2. l.40.

Draconum solertia , p.8. c.1.1.4.

Dura , quæ talia permanent , duris non continuari , nisi flexibilia reddantur , p.103. c.2. l.38.

E

Educantur qualiter formæ de potentia materiæ ex opinione Aristotelis , ostenditur p.170. c.1. l.44.

Elementa an materiam habent ex Hippocratis opinione , p. 109. col.2.1.24.

Elementa non constare ex materia , & forma , an consonum veritatis , an minimè , discutitur p.109. c.2. l.40.

Elementa gigni ab elementis , & à causa supra , ostenditur p.131. c.1. l.46.

Elementa an dicantur educta de potentia materiæ , an non , discutitur , & veritas , ostenditur p. 173. c.1. l.28.

Elephantorum solertia , p. 8. c. 1. l.4.

Ens , & essentia an differant , discutitur p.90. c.2. l.45.

Epilogus eorum , quæ scripta retro sunt , & quæ scribenda restant , refertur p.176. c.1. l.1.

Erros innumeri de notitiis tolluntur , p.39. c.1. l.7.

Essentiam distingui realiter ab existentia esse impossibile , quinque rationibus , ostenditur p.93. c.1. l.44.

Ethni-

Ethnicorum libri etiam adventum Christi docent, p. 289. c. 1. l. 28.
Exemplo quodam ostenditur, qualiter anima rationalis in corpore existat, dum vivimus, p. 274. c. 2. l. 12.

Exhalatio secundum Aristotel. sententiam quid sit, p. 118. c. 2. l. 3.
Exhalationem sursum gigni posse, ostenditur p. 119. c. 2. l. 22.

Existimandi facultate bruta carent, p. 67. c. 2. l. 13.

Ex nihilo nil fieri, qualiter perpetram fuerit à Philosophis antiquis, & ab Aristotele intellectum, p. 167. c. 1. l. 1.

Experimento innixus Hippocrates, intellexit non esse omnia unum, p. 107. c. 2. l. 26.

F

Fabrilis artis exemplum ducum ab Aristotele, ad docendum, quæ sit causa generans, ineptum esse, ostenditur p. 140. c. 1. l. 15.

Facultates interiores sensitricis, quot verè sint, p. 67. c. 2. l. 33.

Fame si non vexantur bruta, non posse compelli comedere. In commenticulo decimo super paraphrasin tertii de Anima, pag. 208. c. 1. l. 19.

Ferramenta Fabrorum non tangere dura mediantibus illis effigiata nisi aere medio, ostenditur p. 103. c. 1. l. 24.

Flamma non diffusa cur extinguitur ex aliquorum opinione, ostenditur p. 121. c. 1. l. 40.

Flamma non diffusa cur extinguitur nonnunquam, aberrans Author causam quandam reddidit, quam improbat, p. 123. c. 1. l. 5.

Fœtuum aliquorum major perfectio, quam matrum, quid probet, p. 129. c. 2. l. 20.

Fœtuum irrationalium animas à

forinseca causa produci, p. 130. c. 2. l. 34.

Formæ, quæ educuntur de potentia materiæ, & quæ non, p. 164. c. 1. l. 15.

Formas non educi de potentia materiæ per modum hucusque scriptum docetur, p. 165. c. 1. l. 44.
Formæ qualiter secundum sententiam Authoris de potentia materiæ educantur, p. 170. c. 1. l. 44.

Forma hominis, anima rationalis dicta, cur dicatur noneducta de potentia materiæ, p. 171. c. 2. l. 14.

Forma, quæ potest unum subiectum deferere, & aliud assumere, quod necessariò æterna erit, ostenditur p. 278. c. 2. l. 15.

Formas quantas sine corporibus elementaribus, quæ informantur ab eisdem, impossibile esse manere, ob impossibilia, quæ sequuntur, ostenditur p. 285. c. 2. l. 34.

Fumus, si flammæ admovetur, cur ardet, & in flammam vertitur, p. 123. c. 2. l. 46.

G

Gabieni Cæsaris classiarii prodigium, quo animam immortalem esse, ostenditur p. 288. col. 1. l. 35.

Galeni error de visione improbat, p. 4. c. 1. l. 2.

Galenus, & Plato improbantur, quia tres animas in homine esse finixerunt, p. 62. c. 1. l. 19.

Galeni sententia de Symptomatum differentia libello, cap. 3. improbat, p. 66. c. 2. l. 24.

Galenus oscitantè explicuit Hippocratis sententiam in libro de Humana natura, p. 108. c. 2. l. 10.

Galeni impium decretum de Dei potentia, p. 168. c. 2. l. 9.

Galenus suspicatus est temperiem cerebri esse mentem , p.273.c.2.
l.29.

Galeni sententia ex autoritate Platonis de diversitate animarum , p.300. c.1. l.47.

Generatio novi elementi cur potius sit illius , cuius dispositiones inducuae fuerunt (et si non manent in novo genito) quam alterius , ostenditur p.125. c. 2. l.
34.

Genitivus spiritus an in semine sit , p.127. c.1. l.22.

Gentilis de Fulgineo opinio de extincione flammæ adducitur , p. 121. c.1. l.6.

Gentilis de Fulgineo causa de extincione flammæ , & suffocatione animalium multiplici ratione improbatur , p. 121. c.1.
l.40.

Geometrae dormientis exemplum ductum ab Aristotele ad docendum , quæ sit causa generans , esse impertinens , ostenditur p.
140. c.1. l.44.

Glutinosa cur contactis rebus hærent , cum multis ex eis non continuantur , p.104. c.2. 1.6.

Gregorius Ariminensis quid est opinatus de notitia phantasmatis , p.25. c.2. l.17.

Gregorii opinio de notione intuitiva phantasmatum improbatur , p.39. c.2. l.1.

Gregorii solutiones ad Authoris rationes improbantur , ibid. pag.
& col. l. 41.

H

HÆresiarcha maximus Galenus fuit , p.168. c.2. l.5.

Herbulas vilioris pretii universæ Orbis regiones in magna copia ferunt , p.282. c.1. l.11.

Hermotini Clazomenii prodigium , p.288. c.1. l.25.

Hippocratis Medici de principiis rerum naturalium sententia in libro de Humana natura , p.107.
c.2. l.7.

Hippocrates dissensit à præcedentibus Philosophis experimentis convictus , ibid. p. & c.1.26.

Hippocratis experimentum , quo monstravit omnia non unum esse , validissimum fuit , quod homo non doleret , ibid. p. & c.
1.40.

Hippocrates an sit opinatus elementa ex materia , & forma constare , ut Aristotel. credidisse omnes affirmant , ostenditur p.109.
c.1. l.24.

Homines , qui jentaculum sumere non erant assueti , non famescunt ante horam prandii : qui si jentare consuescant , famescunt prius , p.22. c.1. l.45.

I

Jacobi Fabri Stapulensis paraphasis in Meteorologia vitata , ostenditur p.114. c.2. l. 35.

Jacobus Faber etiam in paraphasi de anima multa errasse , p. 115.
c.2. l.15.

Igniti montes , an aërem crement , discutitur , p.112. c.1. l.40.

Igni elementi duo dubia propoununtur , & solvuntur , p. 113.
c.1. l.40.

Ignis elementaris naturam incertam esse apud Aristotelem , multis ejusdem sententiis , ostenditur p.114. c.1. l.16.

Igni attinentia , explicantur p.115.
c.2. l.28.

Ignis dubia , quæ oriuntur , solvuntur , p.116. c.2. l.23.

Ignis elementaris , & syncerus qualis sit , ex decreto Authoris , ostenditur ibid. p. & c.1.43.

Ignem compositionem mistorum intrantem in visceribus animantium ,

- lium, & in rebus putrefactis percipi, p. 117. c. 2. l. 23.
- Ignis hic infimus non simplex, sed mixtus est, p. 118. c. 1. l. 8.
- Ignis non diffatus cur extinguatur ex aliquorum sententia, p. 120. c. 2. l. 32.
- Ignis non diffatus cur extinguatur ex Authoris opinione, ostenditur p. 124.
- Ignis non tantum ab igne fit, sed à supra causa, p. 131. c. 2. l. 3.
- Ilium Trojanum, undè dictum, in 2. commenticulo super paraphrasin tertii de Anima, p. 187. c. 1. l. 32.
- Illustris cuiusdam rationes de immortalitate animæ ponuntur, & solvuntur, p. 260. c. 2. l. 19.
- Imaginativa quid sit, explicatur p. 66. c. 2. l. 3.
- Imaginativæ symptoma, quòd Theophylo Medico contingit, ut refert Galenus de Symptomatum differentia, cap. 3. ibid. p. &c. l. 24.
- Immortalitatis animæ Authoris liber, p. 223.
- Imperfectum non potest se perfectius producere, p. 131. c. 2. l. 10.
- Indis an nota sit animæ immortalitas, ostenditur p. 293. c. 1. l. 12.
- Indivisibilia quotuplicia sint, ostenditur commenticulo primo super paraphrasin tertii de Anima, p. 193. c. 2. l. 23.
- Inhærentiam non esse accidens distinctum à re, quæ inest, ostenditur p. 146. c. 1. l. 36.
- Inseta non continuari arboribus, quibus inseruntur, ostenditur p. 105. c. 2. l. 23.
- Instrumentum quo non est corpus respectu animæ sentientis, aut intelligentis, sed per quod, p. 274. c. 2. l. 2.
- In rebus speculativis, & non fidei attinentibus, authoritas quævis contemnenda, p. 2. c. 2. l. 19.
- Intellectus rationibus plus in unam, quam in aliam, ibid. p. & c. l. 27.
- Intellectum decet spatiari in campus speculationis, & naturæ, quod iis scientiæ inventæ sint, ibid. p. & c. l. 32.
- Intellectum non cognoscere directe singulare, improbat p. 60. c. 2. l. 3. & seqq.
- Intellectus operationes qualiter ab hominibus fiant, ut hucusque opinatum est, p. 68. c. 1. l. 1.
- Intellectus lumine phantasma posse producere speciem intelligibilem improbat, p. 69. c. 1. l. 27.
- Intellectum non posse ex animadversione phantasmatis elicere species intelligibles, exemplo Apellis Pictoris, ostenditur ibid p. c. 2. l. 28.
- Intellectum speciem intelligibilem elicere aliis modis ostenditur fieri non posse, p. 70. c. 1. l. 45. & seqq.
- Intellectus actus distingui ab anima intelligenti, quibus rationibus fulcitum hucusque sit à Theologis, p. 71. c. 2. l. 18.
- Intellectionem distingui ab anima, quibus rationibus hucusque fulciebatur, ibid. p. c. & l.
- Intellectionem non distingui ab anima, probatur p. 72. c. 1. l. 32.
- Intellections non distingui ab anima, similitudine actuum voluntatis, ostenditur p. 74. c. 1. l. 6.
- Intellectionem non distingui ab anima realiter notione Angelorum, & demonum monstratur, ibid. p. c. 2. l. 39.
- Intellectus actus, quo differant à sensationis actibus, p. 15. c. 1. l. 47.
- Intellectionem organo corporeo non indigere mediately, nec immediately, qui opinati sunt improbantur, ibid. p. c. 2. l. 16.
- Intelligendi modus universalis cogniti-

- nitione percipitur , p. 76. c. 1.
l.1.
- Intellectui ut rei naturam intelligat , nihil interest an ipsa sit in natura , aut non sit , p. 80. c.2.
l.25.
- Intellectum nulla specie intelligibili indigere ad intelligendum, ostenditur ibid. p. c. & l.
- Intelligere qualiter fit , secundum Authoris mentem , p. 83. c. 1.
l.33.
- Intellectus , & intellectio an distinguuntur, queritur , & solvitur, ibid. p. c.2. l.24.
- Intelligere , & sentire , quo diffrent , p. 96. c.2. l.32.
- Intelligere quid sit , p. 97. c.1. l.14.
- Intellectionem non esse qualis dicta est , argumentis ostenditur , & illa solvuntur , ibid. p. c.2. l.28.
- Intellectum esse rerum Conditorem Anaxagoras dixit , p. 128. c. 2.
l.5.
- Intellectus agens , & possibilis , p. 176. c.1. l.33.
- Intellectus agentis , & possibilis Aristotelis sententia , quotquot errorum causa fuerit , & veritas, explicatur ibid. p. c.2. l.15.
- Intellectus an arduis rebus intellectis , minus difficultia intelligat, discutitur. In commenticulo 4. paraphrasis tertii de anima , p. 185.
- Intellectus cur non se semper intelligat , ostenditur commenticulo octavo super paraphrasin tertii de anima , p. 189.
- Intelligendi , & sentiendi actus non distingui realiter ab anima , ostenditur autoritate Augustini , p. 217. c.2. l.23.
- Intellectum unicum esse in omnibus hominibus , qua ratione fulciebat Averrois , p. 251. c.1. lin.
22.
- Intellectum agentem posse sensibilia efficere actu intelligibilia, va-
- num esse , ostenditur p. 257. c.2.
l.38.
- Intellectus cur non se semper intelligat , ostenditur p. 276. c.1. lin.
18.
- Junctae excussoris anno 1552. contextus Aristotelici , & Averrois Commentatoris multa errata habent , p. 270. c.2. l.44.

L

- L**ibelli Divi Thomæ de Ente , & Essentia Expositor improbatur , p. 90. c.2. l.45.
- Libri Ethnicorum etiam adventum Christi prædixerunt , p. 289. c.1.
l.28.
- Lotio , si vesica redundat , compellit somnia re hominem mejere , p. 20. c.2. l.7.
- Lucem eandem numero posse à diversis luminosis servari , impossibile esse , ostenditur pag. 281.
c.2. l.33.
- Lucis exemplo probari animæ æternitatem , futile esse , ostenditur , p. 255. c.2. l.23.
- Lux reflexa à diversis plumis columbae , qualiter sensationem efficiat , p. 29. c.1. l.8.

M

- M**ateriam , formam , & priuationem esse tria principia rerum naturalium , p. 106.
c.1. l.19.
- Materiam an elementa habeant , ex Hippocratis opinione , ostenditur p. 73. c.1. l.16.
- Materiam an elementa habeant , ex propria Authoris sententia discutitur , p. 109. c.2. l.46.
- Materiam primam qualiter ratione ab Aristotele introducitur in omnibus corruptilibus entibus , p. 110. c.1. l.32.
- Materiam primam esse , experimen-

tis

- tis etiam Aristoteles probare poterat, ibid. p. c. 2. l. 17.
- Materia rerum artificialium materia prima monstrabatur ab Aristotele, ibid. p. & c. 1. 43.
- Materiam primam non esse, ut est opinatum ab Aristot. ostenditur p. 111. c. 1. 1. 45.
- Materiam primam esse ostendunt, & solvitur objectio, ibid. pag. c. 2. l. 31.
- Materiam primam esse quadam ratione probatur ab his, qui adversantur opinioni Authoris, p. 124. c. 2. l. 28.
- Materiam primam non esse, rationibus multis, ostenditur p. 143. c. 1. 1. 18. & seqq.
- Materiam primam esse metam potentiam verè dici non posse ostenditur, divisa potentia in plura membra, & omnibus illis membris increpatis, p. 144. c. 2. l. 22.
- Materiam recipere esse à forma non posse, ostenditur p. 145. col. 1. l. 35.
- Materiam non posse separari à forma, & solam manere per Dei adhuc potentiam, aliqui sunt opinati. Quod improbatur pag. 147. c. 2. l. 7.
- Materiam primam non esse aliis rationibus ostendit iterum Author, p. 160. c. 2. l. 15.
- Materiam primam non esse, iterum probatur, & solutio quædam, quæ rationi tribui posset, carpitur, p. 161. c. 2. l. 7.
- Materiam non esse, sed elementa tantum esse primam materiam, ostenditur p. 162. c. 1. 1. 46.
- Materiam primam, & animam rationalem tantum componere hominem, ut Theologi nonnulli sunt opinati, imperceptibile est, ibid. p. c. 2. l. 9.
- Materia prima, si omnibus corporis entibus non inesset, sequi
- productorem entis corporei esse infinitæ virtutis, ut Beatus Thomas, & quidam ejus Expositor crediderunt, falsum esse, ostenditur p. 163. c. 1. l. 3.
- Materiæ nomen primo de generatione, & corruptione, text. commentic. 83. malè interpretatum esse à quibusdam Doctoribus, ostenditur p. 166. c. 1. l. 13.
- Materiam primam ob hoc necessariò inesse rebus quantis, quod nisi illa supponeretur, infinitæ activitatis esset futurus formæ inductor, falsum esse, ostenditur ibid. p. & c. 1. 47.
- Materiam primam, qui entibus induxerunt, quo decepti sint, p. 167. c. 1. l. 1.
- Materiam primam non esse ratione quadam, quæ Authori adversari censeretur, probatum est, & Authori non adversari rationem, ostenditur p. 175. c. 1. l. 47.
- Materiam, hylem Græcis diētam, malè interpretari ab Interpretate Aristotelici, contextus in commenticulo 2. paraphrasis tertii de anima, p. 187. c. 1. l. 32.
- Melancholia ex consuetudine jentandi fertur in os ventris, quæ prius non moveatur, p. 22. c. 2. l. 16.
- Melodia non sensata à brutis, testatur bruta non sentire. In commenticulo 10. super paraphrasin tertii de anima, p. 208. col. 2. l. 13.
- Memoriæ locus, qui sit, p. 20. c. 2. l. 45.
- Membra aliqua radicalia humana semper eandem numero manere ab ortu usque ad interitum tantum, falsum esse, ostenditur p. 280. c. 2. l. 31.
- Mentem esse Dei portiunculam, absurdum esse, ostenditur p. 256. c. 2. l. 37.
- Metalla sordida universæ Orbis re-

- giones ferunt, p. 282. c. 1. l. 11.
 Minus perfectum, se perfectius non
 posse producere, ostenditur pag.
 130. c. 2. l. 38.
 Mista imperfecta, & perfecta à su-
 peris causis fieri, ostenditur pag.
 131. c. 1. l. 20.
 Modus habendi animæ dictus sen-
 tatio, & attentio, p. 33. col. 2.
 l. 19.
 Modus habendi relatus, non esse
 quid distinctum ab ipsa anima,
 p. 34. c. 1. l. 13.
 Mortem homini optimam ex sen-
 tentia Plinii, falsum esse, of-
 tenditur p. 287. c. 2. l. 30.
 Moses qualiter de natura ratioci-
 netur, secundum Galeni sen-
 tentiam, p. 168. c. 2. l. 16.
 Motus brutorum causa, p. 17. c. 2.
 l. 12.
 Motus brutorum quarti generis
 causa exprimitur, p. 47. c. 2. l. 9.
 Motus quarti generis in brutis re-
 perti explicantur, motibus in
 hominibus inventis, cum ipsis nu-
 triuntur, p. 49. c. 1. l. 19.
 Moventia distinguuntur in natura-
 lia, vitalia, & libera, pag. 18.
 col. 1. lin. 1.
- N**
- N**aturæ rerum quid sit tribuen-
 dum, ostenditur p. 150. c. 1.
 lin. 34.
 Neoterici cuiusdam ratio, cur aër
 non cremetur, improbatur, pag.
 112. c. 2. l. 40.
 Nihil posse se perfectius produce-
 re, ostenditur p. 44. c. 2. l. 34.
 Nihil fieri ex nihilo, quomodo per-
 perm̄ fuerit intellectum à Phy-
 sicis antiquis, & ab Aristotele.
 ostenditur p. 167. c. 1. l. 1.
 Nisi demens non divellendus est ab
 assensu hujus, omnes partes si-
 mul sumptæ æquales sunt suo
 toti, et si Plato, & Aristot. opposi-
 tum affirmassent, p. 2. c. 2. l. 27.
 Nominales cur dicti, p. 147. c. 2.
 l. 48.
 Nominales, & reales in quo diffe-
 rent, p. 85. c. 2. l. 28.
 Notitia intuitiva qualiter fiat, ut
 hucusque opinatum est, p. 25.
 c. 2. l. 1.
 Notitia abstractiva qualiter fiat, ut
 hucusque opinatum est, ibid. p.
 c. & l.
 Notitiam esse id, quod hucusque
 opinatum est, rationibus proba-
 re nituntur, p. 25. c. 2. l. 30.
 Notitiam intuitivam fieri, ut Author
 docuit, notione arcus cælestis,
 & plumarum colli columbae, of-
 tenditur p. 28. c. 2. l. 34. & seqq.
 Notitia intuitiva absentia posse na-
 turaliter dignosci, p. 30. col. 1.
 l. 24.
 Notitia intuitiva, si aliquid nosce-
 retur miraculosè, nullum incon-
 veniens sequeretur, ibid. pag. &
 col. l. 48.
 Notitia deceptoria, quæ dicatur, &
 quæ non, p. 31. c. 1. l. 37.
 Noticias non distingui ab anima,
 rationibus probatur, p. 34. c. 1.
 l. 29.
 Notionem intuitivam non fieri, ut
 opinabatur, ostenditur pag. 32.
 c. 1. l. 38.
 Notionem intuitivam esse, qualis
 dicta est, solutione adversorum,
 ostenditur p. 33. c. 1. l. 4.
 Nutritionis actus, in quibus anima
 aliquam materiam amittit, &
 aliam assumit, probat animam
 esse æternam, p. 278. c. 2. l. 15.

O

Objetum non posse producere
 species se perfectiores, of-
 tenditur p. 35. c. 2. l. 31.
 Objectum, & potentiam non posse
 parere sensationem, ut hucusque
 opinatum est, ostenditur p. 36. c.
 l. 1. 8. Okam

Okam opinio de existentia duarum animarum in homine improbatur, p. 61. c. 2. l. 41.

Olendi vim bruta essent habitura, si sentirent, in commenticul. 10. super paraphrasin tertii de anima, p. 208. c. 1. l. 19.

Orpheus Author animal constitui, ut retis implexum dixit, pag. 137. col. 1. lin. 41.

Páraphrasis Authoris in contextum 144. secundi de anima, p. 62. c. 1. l. 40.

Paraphrasis in text. comment. 18. tertii de anima. Et etiam textu comment. primi de anima, usque in finem ejusdem incipit, p. 179.

Pauli Apostoli sententia de appetitu carnis, & spiritus ad Galatas 5. p. 299. c. 1. l. 48.

Penetrationem dimensionum non pati naturam, ostenditur p. 167. c. 1. l. 36.

Perfectius se nihil potest producere, p. 44. c. 2. l. 34.

Perfectio simplicioris, aut minus simplicis substantiæ penes, quid attendatur, ostenditur p. 173. c. 2. l. 1.

Perfectius se nihil potest producere, p. 130. c. 2. l. 38.

Phantasma quid sit, ostenditur p. 20. c. 1. l. 26.

Phantasma affervari in scrinio, seu cella quadam, ibid. p. c. 2. l. 45.

Phantasma cur plus uno tempore, quam alio moveantur in partem anteriorem cerebri, p. 24. c. 1. l. 12.

Phantasma quid sit, ibid. pag. c. 2. l. 31.

Phantasma non esse accidentia animæ inhærentia, ostenditur p. 37. c. 1. l. 34.

Phantasma esse quid ab homine

Tom. I.

sejunctum, & in homine inclusum, ibid. p. c. 2. l. 5.

Phantasma plus uno tempore, quam alio moveri, causa redditur, p. 38. c. 1. l. 17.

Phantasma an intuitivè noscantur, ibid. p. c. 2. l. 18.

Phantasma non posse cognosci intuitivè, ut Gregorius existimat, ostenditur p. 39. c. 2. l. 1.

Phantasma rerum, quæ non sunt, qualiter finguntur à nobis, pag. 41. c. 1. l. 24.

Phantasiam non esse, qualis est opinatus Avicena, & alii Physici, ostenditur p. 65. c. 2. l. 45.

Phantasma non posse producere species intelligibiles, p. 68. c. 2. l. 4.

Phantasma posse producere speciem intelligibilem vi luminis intellectus agentis improbatur, p. 69. c. 1. l. 27.

Philosophi nonnulli adeò quid de novo produci, impossibile reputabant, ut nec alterationes fieri novis qualitatibus productis crediderint, p. 106. c. 2. l. 42.

Pietas si credere aliquid præcipit, obtemperanda est, pag. 2. c. 2. l. 30.

Pili ciliorum cur recti sint, ex Gal. sententia contraria Mosi sententia, ostenditur p. 169. c. 1. l. 30.

Pinnae Conchæ solertia, pag. 7. c. 2. l. 22.

Platonis error de modo visionis tollitur, p. 39. c. 1. l. 17.

Plato, & Galenus improbantur, quod tres animas finixerint, pag. 62. c. 1. l. 19.

Plato, & Aristoteles decepti in investigatione universalis, p. 89. c. 2. l. 34.

Platonis sententia in Timæo de genitore animarum, pag. 134. c. 2. l. 42.

Platonis rationes in Phedone octo, quibus animam immortalem esse

- probasse credit. Et earum solutiones, p. 224. c. 2. l. 16. & seq.
Platonis in Phedone sententia de dolore dicitur, p. 76. c. 1. l. 40.
Platonis decretum ex sententia Galeni, p. 300. c. 1. l. 48.
Plinius dignus irrideri, p. 8. col. 1. lin. 6.
Plinius Ethnicus, quæ de Deo scripsit, referuntur p. 287. c. 2. l. 37.
Plinius quid de morte hominum scripsit, increpatur ab Authore, ibid. p. & c. l. 30.
Pompejo quid acciderit, postquam interemit Gabienum, pag. 288. c. 1. l. 35.
Porphyrius Platonicus brutorum aliquorum animas immortales esse opinatus est, p. 96. c. 2. l. 10.
Posteriorem partem cerebri esse locum phantasmatum, qua ratione Medici compulsi sunt dicere, ostenditur p. 38. c. 2. l. 7.
Potentiam materiam primam dici non posse, ostenditur pag. 144. c. 2. l. 22.
Prædicamenta non distingui realiter Authore Aristotele, ostenditur p. 159. c. 2. l. 23.
Prærupta si bruta noscerent, quid inconveniret, commenticulo 5. super Paraphrasin tertii de anima, p. 194. c. 1. l. 36.
Præsens, & afficiens potest non nosci, & esse rationem illud, ut alia noscantur, p. 30. c. 1. l. 1.
Præfules Hispaniæ peritissimi sunt, p. 1. c. 2. l. 7.
Præfulatus in Hispania qualiter digesti, ibid. p. & c. l. 13.
Principia rerum naturalium intellecta, declarant qualiter cætera intelligentur, p. 106. c. 1. l. 5.
Principiorum rerum naturalium antiquorum Philosophorum opiniones, ibid. p. c. 2. l. 5.
Principia rerum naturalium ex Aristotelis opinione, quæ sint, p. 107. c. 1. l. 8.
- Principia rerum naturalium ex sententia Hippocratis exprimuntur, ibid. p. c. 2. l. 7.
Principia rerum naturalium in totum explicantur, postquam de igne, & ei attinentibus desivit Author loqui, p. 124. c. 2. l. 13.
Principia rerum naturalium iterum discutiuntur, p. 143. c. 1. l. 13.
Privationes bruta essent cognitura, si sentirent, ubi suprà.
Prodigiis nonnullis animæ rationalis æternitas, ostenditur p. 288. c. 1. l. 22.
Productor animarum vegetativarum, & earum, quæ sensitivæ appellantur, quis sit, pag. 127. c. 1. l. 22.
Proportionale speciei quid sit, pag. 18. c. 2. l. 10.
Proprium hominis, & quo à cæteris distinguitur, explicatur p. 3. c. 1. l. 10.
Proprietas occulta in quavis demonstratione supponenda est, p. 14. c. 2. l. 18.
Proprietate occulta dotatae sunt qualitates primæ, p. 15. col. 1. lin. 5.
Proprietatem occultam coloribus inesse, ibid. p. & c. l. 33.
Proprietatem occultam versari in motibus naturalibus, & violentis, ibid. p. & c. l. 48.
Proprietatem occultam non versari in motibus naturalibus, & violentis opinati sunt aliqui, quod multipliciter improbat, p. 16. c. 1. l. 2.
Proprietas occulta versatur in modo resiliendi rerum, ibid. pag. c. 2. l. 33.
Proprietate occulta moveri ventos, ostenditur p. 17. c. 1. l. 13.
Protestatio Authoris, p. 1. c. 1. l. 1.
Psittaci voces humanas qualiter æmulentur, p. 21. c. 2. l. 13.
Pulchra, & deformia a natura talia sint, aut quia Deo placet, pag.

pag. 150. col. 1. lin. 34.
Pulchra, & deformia talia esse, unde proveniat, ostenditur ibid. p. c. 2. l. 23.

Pulchra, & deformia an natura dicantur, ostenditur pag. 169. c. 1. lin. 30.

Putrefactione ut propagatione multa animalia mala fieri, pag. 131. col. 1. lin. 20.

Qualitatis prædicamento sententia, ostenditur ex mente Aristotelis inter prædicamenta non esse distinctionem realem, p. 160. c. 1. l. 38.

Qualitates, quæ insunt substantiæ, sine illa operari non posse, ostenditur p. 271. c. 1. l. 21.

Quantitatem esse accidens realiter distinctum à substantia aliqui sunt opinati, & Deo non licere ipsam à substantia sejungere. Quod improbat p. 147. col. 1. lin. 48.

Qua ratione relatum dogma fulciebant, ostenditur ibid. p. c. & l.

Quantitatem distingui à re quanta, & alia etiam multa differre realiter à substantia, aliqui similitudinibus quibusdam decepti, sunt opinati, ut ostenditur pag. 148. c. 1. l. 36.

Quantitatem non posse à substantia separari per divinam potentiam, piæ aures offendit, pag. 149. c. 1. l. 1.

Quantitatem deinceps non dicendam distinctam à re quanta, ostenditur ibid. p. & c. l. 26.

Quantitatem distingui à re quanta quidam Doctor solvendo nominalium rationem, & aliam obijciendo probare credebat, sed decipiebatur, ut ostenditur ibid. p. & c. l. 46.

Quantitatem inhærentem acciden-

tibus gratiorem esse, quam sine illis dicere protervus posset. Quod improbat pag. 150. c. 2. lin. 29.

Quantitate distincta à re quanta, & si partes distassent, insigniorem quantitatis effectum defuturum, puta loci occupationem aliqui sic opinati sunt, qui increpantr, p. 151. c. 2. l. 17.

Quantitatem distingui à re quanta quidam Author opinatur demonstrativa ratione probare: qui decipitur, cum eadem adversus suam opinionem procedat, pag. 152. c. 1. l. 28.

Quantitatem distingui à re quanta, exemplo quodam auditus, & olfactus, & visus probare nituntur aliqui. Qui improbantur p. 149. c. 2. l. 42.

Quantitatæ unica esse quantam aliquam substantiam, & sua accidentia, an diversis, nihil interest ad loci corruptionem, pag. 153. col. 1. lin. 9.

R

Rationibus Author tantum in naturalibus innititur, & non auctoritatibus, p. 2. c. 2. l. 5.

Rationes intellectum plus in unam, quam in aliam partem ferunt, ibid. p. & c. l. 27.

Rationis definitio, pag. 3. col. 1. lin. 28.

Rationes, quibus Physici, & Theologi opinati sunt actus sensacionis, & intellectionis distingui ab anima adducuntur, & solvuntur, p. 2. 10.

Rationis æternitate putat Augustinus, probare animæ æternitatem. Sed decipitur pag. 232. c. 2. lin. 28.

Rationes, quibus animæ immortalitas ab Authore demonstratur, proponuntur p. 261. c. 2. l. 33.

Ra-

- Rationem , qua probabat Author , quòd si anima brutalis indivisibilis esset , à corpore sejungibilem esse , validam ex assertis ex Authore manere , ostenditur pag . 287. c. 1.
- Rationes 23. quibus impii animæ æternitatem confutare existimant , proponuntur , & solvuntur , p. 292. c. 1. l. 17.
- Reales , & nominales , quo differant , p. 85. c. 2. l. 29.
- Realis cur sit nominatus , p. 147. c. 2. l. 47.
- Realium error , quo affirmabant distingui realitè connotata per terminos connotativis à subjectis , undè ortum traxit , ostenditur p. 154. c. 2. l. 30.
- Realis distinctione substantiæ , & accidentium , duabus methodis percipitur , ibid. p. & c. l. 43.
- Realem distinctionem inter prædicamenta singendam non esse , vel Aristotele teste docetur , p. 159. c. 2. l. 23.
- Reflexos actus sensificos bruta non exercent , ut aliqui putant , p. 2. c. 1. l. 35.
- Relationes , ut paternitas , & filiatione distingui realitè à patre , & filio , ut aliqui sunt opinati , improbat , p. 148. c. 2. l. 10.
- Relationes , ut paternitas , similitudo , & aliæ , non posse distingui à fundamentis , ostenditur pag . 153. c. 1. l. 46.
- Relationes non esse distinctas à fundamentis , & terminis quidam Doctor acris ingenii , levi ratione seductus , credidit , p. 158. c. 2. l. 17.
- Relationes non esse distinctas à fundamentis , & terminis , aliis rationibus , ostenditur p. 156. c. 2. lin. 41.
- Reminiscendo sciri , quæ ignorabantur , ostenditur ex mente Augustini . Et solvit ratio , pa-
- gin . 239. col. 2. lin. 25.
- Respiratione prohibita , cur suffocetur animal , Gentilis de Fulgineo explicit : sed ab Authore multiplici ratione improbat , p. 121. c. 1. l. 40.
- Retractionum libro Augustinus nonnulla eorum , quæ in libello de Animæ immortalitate scriperat , retractat , p. 234. c. 1. l. 33.
- Rheticæ rationes , quibus anima immortalis esse , ostenditur pag . 287. col. 1. lin. 35.

S

- S**Cholarium Magistrorum innueri errores nostra doctrina tolluntur , p. 39. c. 1. l. 7.
- Scientia cur potius dicatur relativè , quæ Musica , aut Grammatica , mero Aristotelis placito dictum in cap. de Qualitate , ostenditur p. 160. c. 1. l. 45.
- Scire quòd sit quodam reminisci , Augustinus sensisse videtur , pag . 234. c. 2. l. 13.
- Scriptis nec verbis hucusque prolatâ sunt , quæ ab Authore docentur , p. 2. c. 1. l. 4.
- Scriptores aliqui sunt , qui putant abundè roborare aliquid , dum Aristotelem faventem illi rei ducunt . De quibus miratur Author , ibid. p. c. 2. l. 5.
- Scriptoris satius lecturis consuluis sent validis rationibus , quæ futilibus autoritatibus , ibid. p. & c. l. 22.
- Semini inesse spiritum genitivum aliqui Physici opinati sunt , pag . 127.
- Semen sentire probat arguento , & id solvit , p. 127. c. 1. lin. 42.
- Semen non esse animatum ostenditur . Et quædam inanis solutio ad rationem improbat , pag . 39. c. 2. lin. 36.

- Semen non esse animatum ultra alias rationes, ostenditur pag. 140. c.2. l.28.
- Sensatio quomodo fiat, secundum Authoris sententiam, p.26. c.1. lin.31.
- Sensatio intuitiva, secundum Authoris sententia, quomodo definienda, p.27. c.1. l.27.
- Sensationis modus noster increpatur ab aliquibus, & objectiones solvuntur, p.28. c.1. l.7.
- Sensationis fieri, ut Author dicit, probatur dignotione arcus cælestis, p.28. c.2. l.34.
- Sensationes deceptoriae, quæ dicantur, & quæ non, p. 31. c.1. lin.37.
- Sensationem non deceptoriam, ac deceptoriam non esse qualiter diximus, argumento probatur, & illud solvit, ibid. pag. c. 2. lin.39.
- Sensationem non fieri, ut opinatum hucusque est, ostenditur p. 32. c. 1. l.38.
- Sensationem esse modum certum habendi animæ, ostenditur pag. 33. c.2. l.19.
- Sensationes non esse quid realiter distinctum ab anima, probatur p.34. c.1. l.29.
- Sensationes non esse distinctas ab anima, alia ratione, probatur p. 13. c.2. l.13.
- Sensationes non produci ab objectis, & potentia, ut hucusque opinatum est, ostenditur p. 36. c.1. l.17.
- Sensationes, quo ab intellectione differunt, ostenditur p. 75. c.1. lin.47.
- Sensationis brutalis incertus erat Aristot. Et certus inductionis specierum ab objectis in facultates, quæ sensitrices appellantur, quo non erat asserturus bruta sentire. In commenticulo decimo super Paraphrasin tertii de Anima, p.207. c.2. l.8.
- Sensibilia communia sensibilia per se non esse, sed potius sensibilia, per accidens, p. 57. c. 2. l.3.
- Sensibilia reddi actu intelligibilia ab intellectu agente, vanum esse, ostenditur p.257. c.2. l.38.
- Sensifica facultas communis hominibus, & bestiis esse opinatur, p.1. c.1. l.4.
- Sensitivarum formarum, quæ sit causa, p.129. c.1. l.34.
- Sensitivæ operationes sine corpore ut instrumento quo fiunt, p.272. c.2. l. 47.
- Sensitivus appetitus qui sit in anima, ostenditur p.299. c.2. l.8.
- Sensus communis qualis hucusque sit opinatus, p.55. c.1. l.23.
- Sensum communem non esse talem, qualis est hucusque opinatum, ostenditur p.56. c.1. l.47.
- Sensum communem non esse qui opinabatur, secunda ratione ostenditur. Et aliæ quoque consequenter leguntur p.58. c.2.l.14.
- Sensui communi, quæ objiciuntur, solvuntur à quodam expositore textus 146. secundi de Anima. Et ejus solutiones improbantur p.59. c.2. l.14.
- Sensus communis existentia alia ratione improbatur, p. 61. c. 2. l.21.
- Sentire quo differt ab intelligere, palam exprimitur, p. 96. c. 1. l.9.
- Sentire quid sit, ibidem.
- Sentire non fieri ut Author dixit, ostenditur. Et solvitur objectio p.97. c.2. l.28.
- Sentiendi, & intelligendi actus non distingui ab anima realiter ostenditur auctoritate Augustini, p. 217. c.2. l.23.
- Simum male interpretari ab interprete tertii de Anima, in commenticulo 5. super tertium de Ani-

- Anima , ostenditur p. 188.
Similitudines , quibus quantitatem , & figuram , & relationes compulsi sunt aliqui Physici fingere distinctas esse à substantia , nullius esse valoris , ostenditur p. 148. c. 1. l. 36.
- Simili quodam ostenditur qualiter anima rationalis dum corpus informat, existat in corpore, p. 274. c. 2. l. 12.
- Simplices angeli magis , aut minus cur dicantur , p. 173. c. 2. l. 1.
- Singulare directè non cognosci ab intellectu aliqui dixerunt. Et hoc improbat p. 60. c. 1. l. 19.
- Siti si non præmuntur bruta , nequeunt compelli bibere , in commenticulo 10. super Paraphrasin tertii de Anima , p. 208. c. 1. l. 19.
- Situla submersa in aqua , aut quodvis vas fundum planum habens si perpendiculariter elevatur , cur extractioni ex aqua resistat , causa redditur , p. 105. c. 2. l. 7.
- Solis exemplo rationem nominarium , qua probabant non distinguiri quantitatem à re quanta , solvebat quidam doctor. Sed increpatur p. 149. c. 1. l. 46.
- Solutio , quæ tribui posset primæ rationi , qua probatur bruta sensu carere , improbat p. 4. c. 1. l. 22.
- Somnium Augusti Cæsaris , p. 289. c. 1. l. 34.
- Somnium aliud ejusdem p. 290. c. 1. l. 1.
- Sonus qualiter æmulatur , p. 21. c. 2. l. 13.
- Soni qualiter æmulentur exemplo ceræ , & aquæ , & aliarum rerum , ostenditur p. 23. c. 1. l. 5.
- Sonis amoenis bruta mulcenda essent , si sentirent. In commenticulo 10. super Paraphrasin tertii de Anima , p. 208. c. 1. l. 19.
- Species rerum aliquarum præsentium natæ sunt movere phantas-
- mata aliarum rerum , p. 20. c. 2. l. 38.
- Species non posse dici sensationes , ostenditur p. 26. c. 2. l. 5.
- Species productas ab objectis non posse esse perfectiores objectis , ostenditur p. 35. c. 2. l. 31.
- Species intelligibiles ex phantasmatis elici , improbat p. 68. c. 2. l. 4.
- Specie intelligibili non indiget intellectus ad intelligendum , p. 80. c. 2. l. 23.
- Specie intelligibili non indigere intellectum , ratione probatur p. 81. c. 2. l. 1. & seq.
- Speciei ejusdem quæcumque sine medio approximantur , continua fiunt , p. 164. c. 2. l. 23.
- Spiritus genitivus , an in semine includatur , p. 127. c. 1. l. 43.
- Spiritu genitivum esse formaliter animatum , vel virtualiter , esse ineptam distinctionem , ostenditur p. 130. c. 1. l. 16.
- Spontinæ quid sint , ostenditur p. 138. c. 1. l. 27.
- Spontinarum simile ductum ab Aristotele , improbat p. 139. c. 2. l. 48.
- Stercus immodicè redundans , compellit somniare hominem cacare , p. 20. c. 2. l. 7.
- Suasoriæ rationes , quibus anima immortalis esse , ostenditur p. 287. c. 2. l. 1.
- Subjectio quid sit apud Aristotalem , p. 106. c. 1. l. 28.
- Substantia universalis qualiter dignoscatur , p. 79. c. 2. l. 47.
- Substantiam per accidens non cognosci probatur , & objections solvuntur , p. 82. c. 2. l. 17.
- Substantia non eodem modo consideratur cum ut subjectum accidentium intelligitur , & cum ut universale concipitur , p. 84. c. 2. l. 20.
- Substantia sine accidentibus consideratur

derata , dici potest alba , & dulcis , argumento probatur. Sed hoc , & alia , quæ objiciuntur , solvuntur , p.146. c.1. l.45.

Substantiam distingui à quantitate , quibus similitudinibus ostendebant Physici nonnulli. Et eorumdem deceptio , ostenditur pag. 148. c.1. l.36.

Substantiam realiter distingui quandoque ab aliquibus accidentibus , & quandoque accidentia tantum modum substantiae esse , quibus methodis noscamus , ostenditur p.154. c.2. l.43.

Substantia incorporea cur magis , aut minus simplex dicatur , ostenditur p.173. c.2. l.1.

Substantiam non posse recipere magis , & minus , & ei nihil esse contrarium , ostenditur p. 284. c.1. l.45.

Suffocationem non fieri , ut Gentilis existimavit , multiplici ratione , ostenditur p.121. c.1. l.6.

Suffocatio animalium qualiter fiat , ut à Gentili de Fulgineo opinatur , ostenditur ibid. p. c. & l.

Suffocatio prohibita exufflatione , qualiter fiat , secundum Authoris sententiam , ostenditur p.123. c.2. l.35.

Superior causa producens plantarum , & animalium formas non dici potest libera , p.128. col.2. lin.40.

T

Tabulas duas exactè planas ad invicem applicitas non se posse tangere , nisi flexibiles redditur , probatur pag. 100. c.2. lin.33.

Tabulas relatas non posse se tangere ratione probabatur. Et contra rationem objicitur ab adversis , & rationes solvuntur. Et aliis Authoris sententia roboratur , pag. 101. c.1. l.27. & seqq.

Tom.I.

Tabulæ planæ , quæ sine medio jungerentur , statim continuarentur , p.105. c.2. l.3.

Temperiem cerebri suspicatus est Galenus animam esse , pag.273. c.2. l.29.

Tempus in quo Author scribebat , p.1. c. 2. l.4.

Theologi aliqui asseveravere racinari aliqua bruta , pag. 3. c.1. lin.33.

Theologi opinantes ex sola materia prima , & anima rationali hominem constare , imperceptibilita dicunt , p.162. c.2. l.9.

Theophylo Medico quid acciderit , Galenus de Simpl. differentia , cap:3. p.66. c.2. l.24.

Trinam Persona , & unicam Essentia esse aliquam creaturam , implicat , p.158. c.1. l.10.

Turdi voces humanas qualiter emuluntur , p.21. c.2. l.13.

Vacuum esse nonnulli Physici crediderunt , p.107. c.1. l.2.

Vacuum si successisset , quæ inconvenientia sequerentur , p. 167. c.1. l.25.

Vapor secundum mentem Aristotelis quid sit , p.118. c.2. l.19.

Vermiculus insectus , de quo Augustinus in libro de Quantitate animæ , p.261. c.1. l.28.

Versus , quibus inventus est quidam in coenam Augusti Cæsaris , pag. 290. c.1. l.40.

Virgilii Maronis versus ex æcloga 4. exponuntur ab Authore , ibid. p. c.2. l.32.

Viventibus , & non viventibus esse communem vim generandi sibi similem in specie , concluditur , p.134. c.1. l.27.

Unitatem intellectus , quo fulciebat Commentator Averrois , & ejusdem increpatio , p.250. c.2. l.36.

- Voces humanæ à brutis non percipiuntur, ut significativæ, p. 8. c. 1. lin. 44.
- Voces quomodo æmulantur, pag. 21. c. 2. l. 13.
- Voces quomodo æmulentur exemplis ceræ, & aliarum rerum, ostenditur p. 23. c. 1. l. 5.
- Voces ut significativæ sunt, à brutis percipi non posse, p. 97. c. 2. lin. 6.
- Universalis cognitione bruta distinguuntur à cæteris animalibus aliqui credidere, p. 3. c. 2. l. 39.
- Universalis tantum cognitione intellectum, quam maximè dignosci, p. 76. c. 1. l. 1.
- Universale in quo dividatur, & ejusdem membra, explicantur ibid. p. & c. l. 13.
- Universale, de quo Aristoteles in Proœmio Physicorum, quale sit, ostenditur ibid. p. c. 2. l. 19.
- Universalis qualiter noscatur, docet Author, p. 79. c. 1. l. 47.
- Universalia per accidens, & non per se noscuntur, ibid. c. 2. l. 7.
- Universale in entibus non reperiri,
- pag. 86. col. 1. linea 16.
- Universale ut cognitum tantum habet esse in intellectu, ibid. p. & c. l. 33.
- Universalia jam quod in singularibus non sunt, an in rerum natura sint, queritur. Et solvitur quæsitum, p. 87. c. 1. l. 15.
- Universalis diversæ Aristotelis sententiæ, & fermè contrariæ, adducuntur, ibid. p. & c. l. 46.
- Universalis quæsita tot, & tanta Authorum controversia, quæ fuerit occasio, ostenditur p. 88. c. 2. l. 7.
- Universalis existentiam querentes, quo decipiebantur, exemplo probatur, ibid. p. & c. l. 43.
- Universale esse, quale ab Authore dicitur, improbat, & obiectio solvitur, p. 90. c. 1. l. 3.
- Urina redundans in vesica, cogit somniare hominem mingere, p. 20. c. 2. l. 10.
- Vulgus Philosophorum plus fidei, quam scientiæ eorum, quæ se scire credunt, habent, p. 1. c. 1. lin. 13.

DE RATIONE INSCRIPTIONIS Operis hujus.

NON parùm anceps, ac hæsitabundus per aliquot dies fui, quam iis nostris lucubrationibus inscriptionem impunerem, cum scribendi modum hunc nostrum inusitatum ab omnibus censendum existimarem. Si enim Paradoxon inscriberem, etiamsi non esset ab re, superbum Commentariis nostris indidisse nomen mihi videbar. Si aliud quodvis, minus Operi convenire, nec quadrare putabam. Quas ut fugerem ambiguates, ex paterno, ac materno nominibus Operis titulum confidere dectevi. Cumque meus pater Antonius, & Margarita mater, dum vivebant, appellarentur, Antonianam Margaritam Commentaria nostra nominari, ut decreveram, exequutus sum. Veraque fateri volo, non displicuisse mihi fugienti insolentem nomenclaturam, dum piam quæro, simul extollentem Operis conditionem præter propositum invenisse. Quin & hæc ipsa nomenclatura, non solum augustum omen, verum perennitatis quoque Operis spem intulit. Quo frustrari Deus Optimus Maximus non patiatur: idemque omnes Operis hujus lectors precari exoro. Nam quamvis nullis meritis nostris tanto dono digni censemur, quod saltem paternam pietatem post latram custodiri præceptam observaverimus, non respuendos esse speramus. Vale candide Lector.

CAUTIO LECTORIBUS OBSERVANDA antequām Opus hoc legere aggrediantur.

Nemo adeò oculatus esse potest, ut munia, quæ sibi injunguntur, omnia sine labore perpetuo exequatur. Quapropter miretur nemo, si erratula, seu mendax aliquot in hoc Opere reperiantur, cùm in tam minutis rebus, nec Argus ipse, aut Lynceus acutissima oculorum acie præditus adeò prospicere possit, quin illi aliquando aliquid subterfugiat. Quas quidem in hunc Catalogum colligi decens esse existimavit, ut providus lector priusquam legere Opus incipiat, hac methodo sine magno negotio castiget, nec præcepto hoc neglecto, à virtuata lectione inter lucubrandum improvidus offendatur. Cui etiam consulo, quod si forte prosequendo lectionem, de quavis re, quam noster liber tractat, quæ obiter à nobis (non sine lectoris commodo) intermittuntur, legere negligat, ut finem materiæ incepere noscat, quod id efficere, non evolutis chartis, poterit, si, a. b. c. seriem consulat. Ibi enim si de insensibilitate brutorum (verbi gratia) rationes omnes videre cupiverit, conspecta serie literæ b, noscet quanto folio quicquid ad sensationem brutalēm attinet, reperiiri possit. Quem ordinem in cæteris materiis servabit, qui volet. Et quod cautio hæc in solos relatos usus describat lectoribus, ulterius progredi cesso. Valete.

AD LECTOREM SCOPUS AUTHORIS IN CONFICIENDO OPERE.



CIO multos suspicaturos, me potius quadam aucupandæ auræ mundanæ cupiditate commentaria hæc, cum ab omnium usque in hæc sæcula Scriptorum opinione, tum à populari vulgo peregrina, ac extranea condidisse, quam veridicam doctrinam hominum literatorum, & rudium mentibus inferendi libidinem solicitasse: quos decipi, meam conscientiam testor. Non enim adeò isthæc ambitio mox, & inter loquendum elapsura, in tam prærupta loca, & solidæ gloriae obstituta protrudere me quinquagesimum quartum agentem annum erat prævalitura, ut velut insanus adolescens, momentaria hæc æternis præferrem: plusque exteriori huic homini placere, quam intiorem demulcere gratum mihi esset futurum. Porrò vos omnes confios facere volo, nihil præter veritatem impulisse me, ut præsens opus conficerem, & multa alia nondum in lucem edita, & mox (si Deus conceferit) edenda, tām speculationi attinentia, quam Medicæ praxi adeò utilia, ut novitate quoque extranea. Cūm enim nobis ab indole prima insitum, & nativum fuerit, numquam dum per vacationem à domesticis negotiis licebat, non meditari nonnihil Physicum, aut Medicum: indè multa ab utriusque professionis Authoribus placita ut in-

indubitata recepta , scrupulum ne minùs vera es-
sent , intulerunt . Quæ dum altius rimari , & ex-
amini submittere incoepi , veritatem non levi labo-
re extorquens , non futilem , nec cassam nostram
suspicionem fuisse comperi . Quam in re Medica
exequeens , adeò prosperè , & ad votum , quæ ra-
tus fueram , contingebant , ut dein plus eventi-
bus nostra opinio roboretur , quam prioribus
rationibus esset fulta . Quod non parum Arri sit ,
nec spem exiguum præbuit , nulla nostra inven-
ta futilia fore , quin universa vera : mecum ipse
ratus , si ubi tantum conjectura quadam , & ci-
tra demonstrationem ullam veritas venanda est ,
à veritatis scopo non defecimus : qui fieri poterit ,
quòd in speculativo negotio demonstrativis ratio-
nibus nato comprobari , ipsis jam per me , Deo
concedente , inventis , decipiāmur ? Quo firmior
in decretis propriis effectus , excusoribus primi-
tias has nostrarum lucubrationum commisi , quæ
velut speculator per universam Europam sparsæ ,
quòd noster non nos decepit amor , alacriter nun-
tiabunt : aut si nobis fidendo digna ex proba-
tione vera scripserimus , certos faciet : omnibus
enim nedum concedo quòd natura ipsa permis-
sum est . Mendacium dici , aut scribi non per-
mittant , quin totis nervis in nos , ac in placita
nostra , si qua veridica ratione , & non livore , &
Authoris odio concita , defringi possint , insur-
gant , precor , atque exoro . Gratius enim mihi
erit ab his doceri , quam rudibus horum com-
mentariorum lectoribus imponere . Sed ne ullus
suspiciatur , me minùs cautè priùs scripsisse , cum
de-

demonstrationes reperiisse, quibus nostræ senten-
tiæ fulciebantur, dixi, ambigens in præsens vera,
falsavè dictaverim, quod à demonstratione alie-
nissimum est (ipsa enim adeò firmiter assentiri
conclusioni cogit, ut nullus certius se esse sciat,
quam hanc, linea recta super lineam rectam inci-
dens, duos angulos rectos in forma, vel in valo-
re producit) respondere huic non indoctæ objec-
tioni cogor, demonstrationem distinguendo in
exquisitam, & undique perfectam, de qua Arist.
1. Posteriorum: quam invenire in Physico, aut
Medico negotio nemo potest, quod aliena valdè
ab his facultatibus tam exacta probatio sit, ut Aris-
tot. primo Ethicorum, cap. 3. refert, inquiens:
*Est enim eruditus exactum ipsum eatenus in unoquoque ge-
nere flagitare, quatenus fert ipsius rei natura. Simile
namque videatur esse Mathematicum suadentem proba-
re, & ab Oratore demonstrationes exigere. Et primo
de Partibus animalium, cap. 1. scribens: Quam-
quam demonstrandi modus, necessitatisque ratio in na-
turali doctrina diversa, atque scientiis speculativis est.*
Atque in communiorem, minusque exactam,
qua Aristot. contra antiquos Philosophos in uni-
versis suis commentariis de physico negotio trac-
tantibus utitur. Cujus generis nostras rationes esse
testabamur. Has ergo non immerito veriti sumus,
ne defringi ab ullo possint, ut nobis licuit Arist.
ipsius non paucas, ut commentaria ista monstra-
bunt, explosisse. Placuitque ea, quæ ad theorian
attinebant, prius edere, quam quæ ad praxin, dua-
bus de causis, quod etsi vitare quam brevius pos-
simus, quæ humanæ vitæ periculum inferant, pre-
tio-

tiosum sit , pretiosius existimavimus mentem legentium à mendaciis , quibus erat imbuta, vindicare , & quòd fortassis minor nostris dogmatibus consulentibus saluti hominum fides à Lectoribus adhiberetur , si nos insalutatis Logica , & Physica facultatibus (ut hujus ævi Medici solent) de medendi ratione novas methodos doceremus , quam deinceps , postquam perlectis his commentariis , periculum fecerint de nobis , quòd degustatis liberalibus artibus rem Medicam aggressi sumus. Suscipite ergo sincero animo (quali à me dictatum est) Lectores placidissimi opus hoc , non enim iniqua posco, sed pari lege vobiscum ago. Jesus Christus æquis simus , benignissimusque Judex vos , ac nos se frui in æternum permittat. Qui cum Patre , & Spiritu Sancto in sæculorum sæcula regnat.



ANTONIANA MARGARITA, OPUS NEMPE PHYSICIS, MEDICIS, ac Theologis non minùs utile, quàm necessarium.

EST adeò difficilè narrantibus eos eventus, quorum oculati testes fuere, ita sincerè veritatem dicere, ut nihil addi, neque adimi possit, ut raro contingat, quin è duobus oculatis testibus alter ab altero dissentiat. Quod si tractantibus pauci momenti res frequenter accidit, nimirum ut conditoris librorum nonnumquam idem contingat, quod volentes vera fateri, aut lapsu calami, sive caligine mentis, nonnihil minùs verò consonum scribant. Quapropter nequis putet nos pertinaci cervice perstituros in nonnullo errore, si fortè ignari eum dictaverimus, confitemur nos ipsos, & nostra scripta, subjici correctioni Summi Pontificis, ac Ecclesiæ Romanæ.



DEO receptum doctis, ac indoctis est, sensificam facultatem com munem brutis, ac homini bus esse, ut nemo sit, qui plus ambigat de hoc, quàm de principio complexo illo: Omne totum majus est sua parte. Cujus oppositum suadere, vel potius, demonstrare, Physicorum vulgo aggredi non auderem: existimans hujus generis homines plus fidei eorum, quæ se scire putant,

Tom. I.

habere, quàm scientiæ: ideoque obturatis auribus, ac obstinato corde, additum mentis nostræ doctrinæ clausuros. Verum cum mihi adeò feliciter contigerit, ut ea tempestate scribam, qua omnes ferme Præsules Hispaniæ adeò per tissimi sint in Physico & Theologico negotio, vel in jure pontificio, ut nullorum seculorum doctissimis cedant: ac sic quasi summa prudentia præfulatus eorum digesti sint, ut quotus quisque Præsul doctior, dignitate excelsior, quos censores sum habiturus, au debo de his differere, quæ nullus

A

an-

ante nos , nec scriptis , nec verbis protulit , Axiomate illo , quod proposui , prius paraphrasticè explicato . Cùm brutis hominibusque esse facultatem sentiendi communem dicitur , non aliud intelligi datur , quām bruta ea , quæ ceñunt , ut nos videre , tot etiam , ac tantas colorum figurarum magnitudinis , aliorumque communium , ac priorum sensibilium differentias sentire , prout nos simplici cognitione percipimus . Ut si brutis loqui permissum esset , album colorem quem vident , album appellassent si Latinè loqueretur , vel , blanco , si Hispanè . Quadratam etiam figuram si tangerent , ea appellatione Latinè nominassent , aut Hispanè , quadrada figura , dixissent . Et de cæteris sensibus exterioribus eadem norma servaretur . Si enim hoc non faterentur , qui dicunt , brutis , nobisque communes esse quinque exteriores sensus , falsum pronuntiassent . Nam si aliter bruta quām nos sentirent , nequamquam verè diceretur , sensationibus exterioribus æqualia nobiscum esse . Etiam distinguere nostrum sentire ab eorumdem sensu tene rentur : quod ipsi negligunt , credentes , ut dixi , in cognitionibus exterioribus paria nobis esse bruta . Secūs in reflexione supra actus exteriorum sensuum : id quippe bruta non posse , nonnulli asseverant , quod hominibus permittitur : nequeunt enim ipsa videre , seu cognoscere se videre , cùm vident : sentire se sentire , cùm sentiunt : percipere se audire , cum audiunt . Iis enim privantur , secundūm nonnallorum opinionēm , ut dictum est , bruta , ac consimili bus reflexionibus supra proprios actus . Quibus jactis ad veram intelligentiam eorum , quæ dicenda sunt , prosequi incipio promissa ,

Prius vos monens , me nullius quantumvis gravis authoris sententiam recepturum , dum de religione non agitur , sed tantum rationibus innixurum . Miror quidem nonnullos doctos scriptores , qui cum aliquam quæstionem ex his , quæ frequentè in physicis occur runt , explicandam sumunt , quod alteram partium , quam veram esse credunt , abundè roborare existiment , dum Aristotelem sibi faventem duxerint : immemores , quām leviter adversi etiam in suas partes eumdem trahere valeant , ipso adeò obscurè ex professo scribente , ut ego existimo , ut duci in utramvis partem idem contextus facilè possit : oblii etiam in rebus , quæ speculationi , & non fidei attinent , autoritatem quamlibet contemnendam . Certè satius hujusmodi scriptores lecturis consuluiscent , si validis rationibus quod verūm esse credebant , probassent , quām futilebus authoritatibus mentes docendorum irretirent . Rationes enim sunt , quibus intellectus potius in unam , quām aliam partem lavatur duciturque . Dum enim ea , quæ pietas credere præcipit , aguntur , intellectus obtemperare jussis tenetur , ut in aliis spatiari ipsum in speculationis & naturæ campos permittere , non exigua commoda affert , hoc enim , scientiæ inventæ , additæ , adultæque sunt . Quis enim tam demens est , ut divelli possit ab assensu hujus : Omnes partes simul sumptæ , æquales sunt suo toto , & si audiat Aristotelem & Platonem adversum asseverantes ? Porro ne eos , qui me legere cupiunt , immorer , quām brevius potero , proprium hominis , quo à cæteris brutis distinguitur , explicabo . Secundò rationes afferam , quibus manifestè constet , si bruta in sentiendo nobis paria essent ,

Quo intellectus plus in alterutram partium fertur.

essent, exinde necessariò inferendum, nihil proprium nobis hominibus esse, quod illis commune non esset. Namque ex brutorum operationibus si alterum elicetur, & reliquum elici necessarium est. Tertiò, quid brutorum motuum causa sit, ac quomodo moveantur, explabimur.

Hominum differentia à brutis, quo discernitur.

Nullibi quippè verius hominum differentia à cæteris animantibus reperietur, quam in ejusdem finitione, hæc enim, cum, quæ decet est, genus, ac differentiam continent. Cum ergo homo animal rationale finiatur, animal, pro genere assumitur, rationale, pro differentia. Rationalitate differre hominem à cæteris animalibus verè dicimus: sed cum neque verbis his adhuc omnino percipiatur differentia ipsa, nisi ulterius quoque explicitur, relicta finitione rationis, quam Augustinus lib. 2. de Ordine, scripsit, & ea, quæ lib. 2. authoris ad Hennium traditur, id, quod ipsa est, palam explicemus, dicentes, quod ratio est vis animi, distinguendi, ac connectendi potens, qua à cæteris animalibus homo distinguitur, ille que præpollet, atque imperat. Verum cum sciam non defuisse ex Theologorum numero aliquos, asseverantes etiam ratiocinari aliqua bruta, peculiareisque rationes habere, indeque inferant, non ex hoc solùm homines à brutis distingui, sed alio quoddam proprio modo, puta cognitione universalis, quod dono humanus intellectus dotatus fuit, brutis minimè universale cognoscentibus, non tantum convincere teneor eos, qui asseverant, solo discursu rationis homines à brutis distingui, sed & illos, qui dicunt, cognitione universalis tantum differre. Cum statim colligam, certum esse, si bruta nobiscum paria in sentiendo essent, etiam in ra-

tiocinando, & universalia intelligendo, futura nobis simillima. Reliquis ergo omisis, aliud, quod promissi, prosequamur: non multis, sed validis rationibus nostrum propositum fulcientes, quarum prima sit.

Si bruta actus exteriorum sensuum ut homines exercent, id canis, aut equus mentaliter (jam quod voce bruta privata fuerint) conciperent, visis dominis, quod homo viso hero: & ut homo viso hero in mente asserit hunc esse sui dominum, ita canis, aut equus, idem concipient. Vel si aliquis hoc fateri nolit, neque brutis tantum tribuere, inficiari non poterit, bruta, visis amicis, aut inimicis, mentales propositiones formare, quibus eorumdem anima sensitiva cognoscit hos amicos esse, illos inimicos, amicos enim amicè prosequitur, inimicosque fugit: sed hoc fieri nequit; nisi vi aliqua interiore, seu æstimativa, aut cogitativa appellatur (de nominibus enim cura habenda non est, dum res intelligentur) id præcipiat, præceptumque illud sine cognitione non fieri in nobis experimur, cum posterius sit sensatione. Bruta ergo si in sentiendo paria nobiscum sunt, eodem modo fugere, aut æmulari amicos, aut inimicos debent, prout & nos ergo affirmare mentaliter alteros amicos, aliosque inimicos coguntur dicere, qui præfatam similitudinem brutorum & hominum ponunt. Ulterius animalia irrationalia asseverant interius res tales esse, quales sunt, ergo eadem distinguunt ea, quæ talia sunt, ab his, quæ non talia sunt: nam si hoc secundo privarentur, & primo privari necessarium erat. Consequientia probatur. Nequaquam verè dici posset agnum cognoscere ovem matrem, si idem non valeret distin-

*Bruta carere
sensu probatur.*

guere inter eam & alias oves similimas. Si enim confusè indistinctèque quamlibet ovem agnus adiret, uberaque cuiusvis ovis fugere niteretur, cognoscere parentem verè non diceretur: modò cùm factis comprobetur sic parentum uberibus ora agnus admovere, ut his sufficiens alimentum exhibentibus, nulla alia ubera agnus poscat: ergo distinguere agnum propriam matrem à reliquis ovibus confiteri coguntur, qui primum dixerunt. Idemque compelluntur asseverare præcipuum rationis opus brutis concessum esse, quod in definitione rationis Augustini autoritate in libro 2. de Ordine, inservimus. Diximus enim rationem, esse vim animi quandam distinguendi, ac connectandi potentem.

Improbatur opinio aliquorum, qui negant affirmare bruta, & sentire ea testantur.

Opinabuntur aliqui hanc nostram rationem facillimè solvi posse, dicentes, quòd non omnes, qui cognoscunt, affirmant aliquid esse, vel non esse, ut qui simplici apprehensione cognoscunt, non aliquid de aliquo negant, nec affirmant, ut Aristoteles 3. de Anima, text. comment. 21. testatur, indeque inferrent bruta posse simplici apprehensione cognoscere sensibilia absque ulla assertione negante, aut affirmante ea esse qualia sunt, aut non esse quæ non sunt. Qua responsione ratio nostra diluitur. Huic enim hypothesi præcipue innitebatur, quòd bruta mentaliter affirmant, aut negant inimicum & amicum eum esse, qui est.

Sed qui relatis sibi satisfaciunt, non parum à veritatis scopo discedunt, innixi decreto Aristotelico, tribuenti duplē operationem intellectui, alteram apprehensionis simplicium, aliam compositionis, ac divisionis. Quæ Aristotelis sententia perperam intellecta (ut reor) causa, & origo omnium errorum

fuit, qui de cognitione brutorum afferuntur ab opinantibus illis simplicibus apprehensionibus bruta moveri, nullasque mentales propositiones formare: quæ omnia quā maximè à vero distant. Nam quamvis verum sit, quod testantur, ipsa nullas propositiones formare, quia non sentire probavimus, falsum est quod dicunt, eam simplicem apprehensionem, qua sensibus extrinseca cognoscere affirmant, sufficere ut moveantur.

Primò ergo probemus quām indoctè inartificiosèque argumento respondeant: postea verò Aristotelis sententiam ductam discutiemus. Et ut primum dilucidius intelligatur, supponimus aliam facultatem esse, quæ motum in nobis & brutis imperat, ab ea, quæ sentit, & intelligit, ut Aristoteles tertio de Anima, text. comment. 45. & 46. probat indicans textu comment. 48. & 49. in nobis intellectum practicum, & in brutis sensitivam cognitionem præcedere imperatum motum, & si ipsa sensitiva cognitio non sit quæ moveat, sed appetitus, aut phantasia in brutis, ut ipse existimat, in hominibus intellectus practicus & appetitus? Ergo si sensus & cognitio rei, quæ diligitur, & quam consequi cupimus, antecedit motum prosequutivum, necessariò non tantum sensus simpliciter apprehendens antecedere debet hunc motum, sed cognitio distincta rei prosequenda, cum assertione quòd est, ac ubi est: aliter enim capere intellectus non potest, brūtum sic aliquid cognoscere, ut nesciat an sit, vel non sit, neque ubi sit, & quod ab illo fugiat. Non enim si ignoratur situs rei spretæ, vel amatæ, potius versus rem quām in contrariam regionem ferendum erat animal, quòd fugit, aut quod prosequitur amatum.

tum. Quippe non negamus aliquid cognosci posse absque assertione quod sit, aut non sit, ut de chimera, & universal exquisito, cum intelligitur, hoc asseritur, ut infra dicemus, sed impossibile reputamus fugi, quod esse ignoratur. Si enim ex iis, quae in nobis experimur, ea quae bestiis accident eliciunt, quod (ut dixi) rationem nostram solvunt, ob idque testantur bruta sentire, quod illata plaga fugiunt, cur non affirmant, bruta mentales propositiones formare, quibus noscunt distincte illum lupum esse, qui ut inimicus fugiendus est, cum eum fugit ovis, hominibus non aliter, fugientibus inimicum distincte cognitum, quam mentaliter concipientibus inimicum esse? Qui enim confusè indistincteque ambigunt an amicus, aut inimicus sit, qui adeo, motum tardum fugæ, & contrarium prosequutionis nonnumquam exequuntur, prout opinantur amicum, vel inimicum esse quem conspiciunt.

Quod si praedictis convictus, confitearis bruta noscere inimicorum, & amicorum existentiam, & negaveris eadem in suis mentibus habere aliquas propositiones attestantes inimicos, & amicos esse, qui sunt, dicam, te in re nobiscum convenire, verum quod tu nesciens confiteris eadem, quae ego sciens assevero. Quid enim est dicere, agnus cognoscit lupum existente, quam agnum in mente propria habere hanc: hic qui adeo, lupus est? Nos enim consciit sumus cum sensibus cognoscimus amicos, qui adsunt, mentibus formare propositiones, quae testantur, amici sunt, qui adsunt. Quin aliud in nobis non esse sensibus cognoscere amicos praesentes, quam mente formare relatas propositiones. Qui ergo fatentur bruta cognosce-

re existentem, aut absentem inimicum, aut amicum, formare ipsa in mente propositiones confiteri coguntur: aut si ita non sit, explicit, quid sit cognoscere inimicum existentem, & non invenient aliud, quam formationem praedicatorum mentalium propositionum: cum omnibus constet, non resolvit participium praesentis nisi in relativum, qui, & verbum praesentis, ut haec: Homo cognoscit inimicum existentem, in hanc resolvitur: Homo cognoscit inimicum, qui existit. Hoc deleto errore, qui primus in hoc negotio hominum intellectus adeo damnosa caligine hucusque oppresserat, & in tam insigne errorem eos perduxerat, ut pares irrationalibus fecerit, pauca de Aristotelis citato decreto dicamus, seriem initii ejus contextus in medium ponentes. [Indivisibilium igitur intelligentia in his est circa, quam non est falsum. In quibus autem & falsum, jam & verum est. Compositio quædam jam intellectuum est, sicut eorum, quae unum fiunt, & cæt.] In quibus verbis nihil aliud Aristoteles refert, quam quod intellectui duplex convenit operatio. Una apprehensionis rerum intellectarum citra ullam compositionis considerationem, & sic neque existere eas, aut non existere intellectus hoc opere cognoscit, quia componere res cum tempore jam esset, neque eas aliis rebus jungi intelligit. Altera operatio est, qua indivisibilia intellecta aliis componit, ut asymmetron diametro, aut albedinem albo. Vel eadem dividit, ut cum symmetron à diametro, aut non album ab albo sejungit. Et in hac secunda operatione tantum veritas, & falsitas est. Quod decretum quam parum (immò nihil) faveat iis, qui opinantur bestias priorem tantum ope-

Textus Aristotelis explicatur.

operationem habere cùm sentiunt, & non secundam, nullus est, qui ignoret. Primo, ob id, quòd operationem intellectus sensui adaptant. Secundo, quia data illa operatione bestiis convenire, ea non sufficeret ad motum earum exequendum. Ut neque homines moventur, aut fugiunt, sine assertione existentiæ, aut non existentiæ rei, quæ compositio, ut diximus, est. Sed de his in præsentiarum hactenùs: post enim dilucidabimus has duas operationes tantum esse intellectus, discursus enim, ac ratiocinium, quod multi addunt, à compositione non differt. Et etiam monstrabimus, quomodo intellectus absque assertione existentiæ, aut non existentiæ rei cognitæ sèpius cognoscatur.

Etiam operatio secunda intellectus, quæ componendi, dividendi facultas est, necessariò bestiis concedetur. Nam quòd distinguant, dividantque bruta, probavimus. Quòd etiam componant, patet. Nulla enim vis cognitiva potest affirmare hoc prosequendum est, quæ priùs non asseveraverit, hoc esse, id quod est: modò hujusmodi assertio, sine compositione non fit. Patrem enim non assevero ego, eum esse, qui est, nisi quia talem figuram, & colorem, ac cætera individualia sic in patre meo viso cognosco, qualia illi inesse juncta, ac simul composita, priùs cognoveram. Agnus ergo eodem modo ovem parentem sequetur, quia in ea id cognoscit, quod ei inest, quod componere appellatur.

Qui enim solvunt hanc rationem, dicendo, quòd bruta quodam naturali instinctu prosequuntur matres, odioque habent à natura creatos inimicos, ideoque agnus hoc instinctu fugit à lupo

numquàm ante viso, & non à cane sat simili, amatque matrem, & non aliam ovem, verbis tantum satisfecisse existimo, re ipsa nequaquam. Nam aut hunc naturalem instinctum appellant facultatem aliquam, ac proprietatem, quæ agno, & matri insita est, ut ferro, & magneti trahenti idem, & ferro, & altero magneti abigenti, aut quid aliud. Si primùm, falsè ergo prolatum fuit illud ab omnibus hucusque assertum bruta nobiscum in sentiendo paria esse, ac adeò paria, ut Okam ausus sit asseverare, omnibus hominibus duas infartas esse animas, sensitivam, intellectivamque: quæ ultima si auferretur, reliqua manente, residuum nova bruti species dicendum esset. Si quid aliud, cum instinctum naturalem dicunt, intelligunt, id explicent: nam medium nullum inter proprietatem, qua trahitur, aut fugatur quidpiam, & vim sentiendi, & extimandi, qua prosequitur utile, & fugatur inutile, percipi potest. Si ergo à proprietate non moventur prosequendo, aut fugiendo bruta ea, quæ amant, aut à quibus abhorrent, ergo sensatione, & extimatione tali, qualis est in nobis: sed hoc ultimum impossibile esse probavimus, ergo primùm ex quo sequitur.

Ulterius quæro, an hic modus fugiendi inimica prosequendique amica, qui instinctus naturalis in brutis appellatur, prærequirat cognitionem rei prosequendæ, aut fugiendæ, aut non? Si ultimum, falsè assertum est, nobiscum bruta sentiendi facultatem communem habere. Si primùm, etiam sciscitor ego, qui modus sensacionis sit ille, an omnino similis nostris, an aliquo similis, alio dissimilis? Si similis, sequuntur inconvenien-

nientia præfata , ac afferenda. Si dissimilis , quæro , an sit in nobis quandoque aliqua sensatio talis, qualis est ea , quæ brutis accidit, aut nulla? Si nulla , mirari subit, quod brutorum iis physicis hunc revelaverit sentiendi modum eorum , cuius nullus homo experimentum in se unquam reperit,cum homo bruto superior inferiores ejus operationes assequuturus erat. Et jam quòd ita sit , explicit formam hanc sentiendi brutorum, scribentes , explicantesque dissimilitudinem inter eam , & nostram , ac pronuntiantes , utrum illa , quæ vocatur brutorum sensatio , vitalis immutatio talis sit , ut ea anima bruti aliquid objecti extrinseci cognoscat , aut nihil. Si nihil , implicabit eam vocari sensationem , qua nihil sentitur. Si aliquid , ergo mentaliter asseverat , aut negat bratum de objectis cognitis à se , quòd illi convenit , aut quòd denegatur , id enim est aliquid cognoscere , quod mentaliter affirmare esse tale , quale est : & non tale , quale aliud à se differens. Placuit de hoc iterum fusiùs agere , & si de eodem suprà tractatum sit.

Tertiò , si ex operationibus , ac signis affectuum brutorum nobis licet conjectari de actibus exterioribus , nullis aliis rebus , quæ implicant , animadversis , quis vacans lectioni naturalis historiæ animalium , brutis non tribuisset plus ratiocinii , quam aliquibus hominibus? Nec enim valde rationalis existimabitur discursus canis : qui cum insequitur leporem , usque in vivum , per unam ex viis arripit iter , quia alteram olfactiens , leporis odorem non sensit.

Si actus animalium à Plinio , & Aristotele scripti recenseantur , ex quibus omnia , aut plura promere molestum esset , ideo pauca , quæ

fese offerunt , & si non potiora , adducentur. Eaque ducere placet , quæ quibusdam generibus aquatilium contingunt. Et primò Concharum solertia adversus polypos , & polyporum contra conchas referatur , ut Plinius lib. 9. cap. 30. scripsit. [Avidissimos , inquiens , esse polypos concharum. Illas verò sentientes polypi brachium intra sui cavitatem erodentem comprimi , præcedentes brachia eorundem. Quod impunitum manere raro dimittitur. Insidiantur polypi conchis apertis , quæ visu , omnique sensu alio quam cibi carent. Imponuntque lapillum extra corpus inter partes siliceæ testæ , qua integuntur ipsæ , ne palpitatu ejici valeant. Polypi ita securi grasantur.] Solertia secunda Pinnæ conchæ sit. [Pinna concharum genus nascitur in limosis subrecta semper , neque unquam sine pifice alio comite , quem Pinnothem vocant. Is piscis comes Pinnæ , Squilla parva alio nomine dicitur. Pandit se Pinna hiante scilicet testa , ac corpus luminibus orbum intus minutis piscibus præbet. Assultant illi protinus , & ubi licentia audacia crevit , implet pinnæ conchæ cavitatem. Hoc tempus speculatorius index , morsu levi significat. Illa , ore compresso , quidquid inclusit , exanimat , partemque socio tribuit.] Horum aquatilium solertia à Plinio , 9. lib. cap. 42. refertur , ubi scriptor hic , qui historiam universæ naturæ ornatissimam condidit , & hebetissimæ speculationem naturalis facultatis coluit , admiratus exclamat : [Quo magis miror quosdam existimasse aquatilibus nullum inesse sensum.] Dignus potius ipse admiratione rideri , qui credit concham solo alimenti sensu dotatam , cum Squilla pactum conventionemque facere , ut

ut quidquid indicio Squillæ fraude à concha partum fuerit, inter prædonem, & speculatorum partiatur. Tertia Draconum, & Elephontorum contra se dimicando solertia referatur, quæ à Plinio, 8. lib. cap. 12. traditur. [Cum scandendi in tantam altitudinem quantum Elephantes habent, difficultas vinci à Draconibus difficulter possit: Draco iter Elephantum ad pabula speculatus, ab excelsa se arbore injicit. Scit ipse Elephans imparem sibi luſtatum contra nexus Dracorum: itaque arborum, aut rupium attritum querit. Cavent hoc Dracones, ob idque gressus primū alligant cauda: resolvunt illi nodos manu, quam proboscidem appellant. At hi in ipsa nare caput condunt, pariterque spiritum procludunt, & mollissimas lancingant partes. Idemque Dracones obvii deprehensi in adversos erigunt se, oculosque maximè petunt: ita fit, ut plerumque cæci, ac fame, & moerore tabe confecti reperiantur.] Neque ut diem, & tempus hisce confabulationibus perdam, hæc à me tradita sunt, sed ut ex his omnibus cuivis liceat hanc animadversionem efficere, si bestiis concessum esset adeò subtilia exigitimare, qualia narrata sunt, cur eisdem non permittetur universam loqulam nostram, quod minus arduum est, addiscere, nutibusque nobiscum confabulari, ac consuescere, jam quod instrumentis vocalibus privata sunt à natura? Ut homini, cui deesset à natura lingua, & latinitatis ignaro, liceret nutibus consuescere cum hominum populo assueto latinè solum loqui. Ea enim verba nostra, quæ putantur agnosci, intelligique à brutis, ut sunt quibus ad incessum, vel ad fistendum iter instigantur bestiæ, aut alia, quibus lasciviunt, aut

iraſcuntur, non sic à brutis audiuntur, ut ab hominibus voces significativæ, nec eisdem obtemperant bruta, ut quæ percipient mentem præceptoris, sed naturaliter ex habitu moventur, ſono aures bestiarum feriente, ut citharoedi digiti, ipſo circa alia meditante. De quibus postea fusè causam reddemus. Neque tam pauci momenti hæc ratio est, quod doctos non convincat. Cum enim experiamur homines, qui ardua, & difficultia intellectu concipiunt, promptissimos esse ad intelligentum ea, quæ minus talia sunt, naturas bestiarum hoc eodem privari, non est undè opinari posuit, niſi à cælo effet nuntiatum.

Quartò, si bestiis datum effet sensationibus exterioribus, & organicis interioribus nobiscum convenire, inhumanum, ſævum, ac crudele, fieri ab hominibus paſsim concedendum effet. Quid enim atrocius, quām veterina animalia ſub gravibus oneribus, & prolixis itineribus fessa, vapulis cædere, & ferro adeò crudeliter punge-re, donec ſanguis ē vulneribus manet, ipſis non raro gemitibus, ac vocibus quibusdam (ſi ex nutibus eorum licet elicere animorum ſuorum affectus) miserationem pe-tentibus? Ac ultra hanc immanitatem, quæ tantò atrocior, quanto frequentior habetur; crudelitatis apicem obtineret taurorum agitatorum tormentum, ſudibus, enſibus, lapidibusque cæſis ipſis: nec in alium humanum uſum, quām ut iis flagitiis humanus viſus dilectetur, quibus bestia vindictam mu-gitu ſupplex poſcere videtur. Atque non tantum hominis parvus affectus culpandus offertur, dum hæc ita percipi à tauris, ut nutus eorum indicant, creduntur, ſed omnis benignitas naturæ aboletur

Bruta si ſentirent univerſa naturæ be-nignitas abo-leretur.

*Bruta vim di-
vinatricē ha-
berent, si sen-
tirent.*

& cuspatur, quæ genuerit viventia illa, ac quamplurima alia, ut vitam adeò ærumnis & miseriis plenam agant.

Quinto sequetur, si concedatur, quod periti, atque indocti Philosophorum opinati sunt, convenire in sentiendo homines, ac bruta, ipsa etiam de sede animarum suarum post obitum curam habitura. Quoniam probatur ex ante dictis, ac certis experimentis patet, ipsa mortem vereri, ac fugere, ceu ultimum terribilium, prout homines. Sed ut timor terrorque venturæ hyemis, quam quæ ortæ formicæ in verè sequente non neverunt, extimativas earundem compellit præcipere membris earundem triticum in terræ cavitates velut in horrea congerere, ac extremas partes seminis erodere, ne hyberno humore germinet. Item hirundines, multaque alias hujus naturæ alites mare transvolare. Cur quod facilius est, ipsa non existimabunt, si se noscunt morti obnoxia, quam formidant, quid post obitum sit eventurum ipsis? Non enim adeò arduum existimare hoc est, velut seminis germinationem venturam, atque medelam hujus incommodi erosionem extremitatum tritici futuram. Sed hoc ultimum brutis his permittitur, ergo primum concedendum est, quod curam habere de suis animabus post obitum est, quod probare conabamur. Dicere enim mortem propriam bruta non præcognoscere, ex operationibus, quas bruta efficere cernimus, nequaquam asseverare possumus, quin oppositum. Ergo ut ex aliis operibus qui philosophantur dicunt nobiscum in sentiendo irrationalia paria esse, eodem modo ex his operationibus & id affirmare compelleduntur.

Sexto ex adductis in hac ultima
Tom.I.

ratione palam elicere licet, vim divinatricem brutis tributam à natura esse. Consequentia patet. Multa horum prævident hyemem venturam à nullis præceptoribus doctæ, quæ ideo quod parum ante genita sunt hyemem non neverunt, ut formicarum agmen verè hoc genitum, aut hirundinum novarum multitudo, quas interemptis parentibus solas manere fingo: qui timor & prævisio venturi numquam cogniti non nisi divinatione fieri potest, ergo consequentia bona.

Præterea hoc idem alia ratione comprobatur. Observamus avium quamplurium genera, statim ut ab ovo exeunt, certa semina in alimentum eligere, aliaque illis commixta despicere, quorum nullum ante ortum neverunt: quod fieri nequaquam potuit, nisi divinatrice facultate dotatae forent, ergo intentum verum.

Putant nonnulli has, & consimiles rationes sufficienter solutas esse, dum hoc respondetur, brutorum nonnullorum species doctas à natura procreatæ fuisse, id autoritate Aristotelis lib.8. de Historia Animalium, roborantes. Ibi enim Aristoteles sic inquit: [Actio autem, & omne animalium sine ratione negotium in coitu, procreatione, ac victus solertia versatur: necnon ad frigora, aestus, mutationes denique temporum pertinet, inest enim omnibus sensus nativus mutationis factæ frigore, aut calore.] Et sententia ejusdem lib.9. cap. 6. inscripto. De quibusdam animalibus, quæ prudentia quadam natura instituit. Et cap.7. ejusdem libri, cuius titulus est: De ea intelligentiae parte, qua animalia quædam hominum rationem repræsentat: non ulterius universa hæc, nec profundiùs verba illa examini subjicientes. Namque si sermo ille hoc significat,

*Improbatur
solutio aliquo-
rum, dicen-
tium bruta à
natura docta
esse.*

quod bruta ipsa ita docentur à natura, ut noscant hyemem venturam, quam non neverunt, aut selenem sibi decens, quod non videbant, distinguant ab indecenti, divinationis facultatem iūs necessariò concedunt, non enim aliud divinare dicitur, quam noscere futurum, quod nulla conjectura sciri potest. Sic enim dicimus hominibus datam vim divinandi, quando Deus eos consciens fecit futuri, velut aduersi fatentur avibus esse concessum à natura. Si tamen hunc sensum non efficiunt verba illa, sed hoc significant, quod bruta à natura habent fugere aliqua, & profecti alia, ac providere nonnulla, quae non plus noscunt, quam succinum festucam quam trahit, aut magnes ferrum: quod Aristotelem velle locis citatis patet, cur cùm alias operationes brutorum vident philosophantes, de illis idem judicium non eliciunt, putà, trahi equum ab speciebus herbæ, vel hordei inductis in oculos equi, vel à fumali vaporatione inducta in narres, fugereque ovem, vel agnum lupum, inductis lupi speciebus in oculos eorum, ut ferrum, à certa magnetis specie abhorret, inducta que vi magnetis in ferrum, à magnete fugit? Quae cum fateantur, rationi consentanea erunt, & impossibilia quae intulimus, vitabuntur, & nequaquam opinari permittent nobiscum in sentiendo bruta paria esse. Quamplura hujus mesisis argumenta ducere valeremus ad improbandum hoc mendacissimum dogma, omnibus quasi à primis incunabulis insitum. Sed hujus farinæ argumenta omittere volo, ut ad alia, quae demonstrare omnino dogmatis falsitatem reor, deveniam. Quorum primum hoc est.

Inter omnes Philosophos, ut in

exordio hujus nostræ lectionis dixi, convenit universalis cognitionem soli intellectui concepsam esse: adeoque vim illam intelligendi universale intellectrici facultati propriam esse affirmant ii, ut hominum sensibus hoc cognosci non admittant, quanto magis brutorum. Sed ex hypothesi horum factentium bruta in sentiendo nobiscum æqualia esse, necessariò elicetur brutis quoque datum esse universale intelligere, brutorumque animas indivisibiles, ut hominum esse, ac ex præmissis conclusionem, quæ necessariò colligitur, elicere: ergo ex eo fundamento compelli poterunt ii dicere, brutis inesse intellectum. Quod in idem rediret, ceu affirmare, bruta, & homines, ejusdem esse speciei. Quod non tantum manifestè absurdum, verum & impium est, ergo antecedens ex quo sequitur.

Primum ex tribus, quæ sequi dixi ad assertionem illam falsam philosophantium probemus, supposita Aristotelis in primo Posteriorum authoritate eventibus consona, ibi enim asseritur ab eodem, imposibile esse, cognitis præmissis debito modo & figura sitis, quæ necessariò inferunt aliquam conclusionem, conclusionem prolatam non cognosci. Nullus enim est, qui noverit has: Omne animal rationale est risibile, & Omnis homo est animal rationale, qui statim non intelligat conclusionem hanc: ergo omnis homo est risibilis, si ea proferatur. Etiam non potest accidere, quod aliquis noscat has propositiones: Iste homo est bipes, &, Ille est etiam bipes, & sic cæteri omnes, qui non intelligat etiam hanc, si proferatur: Omnis homo est bipes. Et ut præfatis conclusionibus necessariò assentimur, cognitis antecedentibus, ita quibusvis aliis.

Rationes speculative, quibus probatur
bruta non sentire.

Primum ex tribus impossibilibus, quæ sequi dixi ad assertionem eorum qui opinantur bruta sentire.

aliis. Si ergo nos homines, qui libero arbitrio potimur, compelli-mur, assentiri conclusioni illi, cuius præmissæ intellectæ sunt, ergo à fortiori bruta assentientur eidem: sed ita est, quod Philosophorum agmen asseverat irrationalia cognoscere ignem hunc calidum, quem calefacientem sese sentiunt, ac illum etiam eodem modo afficien-tem, & singulos eadem vi dotatos, ergo necessariò cognoscent hanc conclusionem: Omnis ignis est calidus: sed hæc universalis est, & non potest hæc cognosci, universali non cognito: verum ergo diximus, compelli adversos affirmare brutis inesse vim cognoscendi uni-versalia.

Negare enim non valent, univer-sale, non intelligi à brutis, ope-rationibus eorundem contemplati-s. Ipsa enim quo suis ignes fu-giunt, velut quæ noscunt vim urendi omnibus ignibus insitam. Etiam peculiariter quædam irrationalium species alias verentur formidantque, atque à quibuscumque indi-vidis illarum specierum visis fu-giunt, ut quæ insitam suis menti-bus habeant cognitionem illam uni-versalis, ut nos homines à singula-ribus omnibus abhorremus, quo-rum universale nobis inimicum est.

Eadem ratione probatur brutis inesse discurrendi vim. Eliciunt enim ex omnibus singularibus uni-versalem propositionem, ut homi-nes colligentes ex debito ante-de-dente conclusionem, quæ necessariò sequitur. Non enim inficiari id potest, si actus brutorum tantum perpendantur: præsertim illi, qui relati sunt ab Aristotele de His-to-ria Animalium, lib. 8. & 9. Et à Plinio in 8. 9. & 10. ac multis aliis locis traduntur.

Qui enim opinarentur has nostras rationes imbecillas invalidas-

Solutio quæ rationi reddi potest impro-batur.

que ob id esse, quoniam potuit na-tura certæ animalium speciei tri-buere notionem peculiarem certa-rum rerum, denegareque eidem cognitionem aliarum, indeque evenire formicas prudentia dotasse af-servandi sementem in terræ cavita-tes, quibus vetuit alia, quæ facilio-ra cognitu erant, percipere, mini-mè dictis his rationes nostras dis-solvunt.

Primò, quòd universi homines de seipsis oppositum experiantur. Omnes enim consci sumus, res fa-ciles tunc facillimè intelligere, cùm aut à natura prædicti sumus ingenio acri difficultia cognoscente, vel usu quodam cognitu difficultia assequi-mur, quod Aristoteles 3. de Ani-ma, textu commen. 7. scripsit. Se-cundò, quòd daretur modus asse-verandi, ferro, festucæque sensi-tricem animam inditam esse, qui-bus tantum à natura concessa esset cognitionis magnetis, aut succini sibi amicorum, & ferro odium alterius speciei magnetis, à qua ferrum abi-gitur, aliarum rerum cognitione interdicta, ac vitata: omnibusque gravibus rebus etiam concessam esse facultatem cognoscendi cen-trum, quod amant, & in quod, si non prohibeantur, tendunt, eisdemque permisum ab eadem na-tura fuisse cognoscendi vacuum, à quo adeò abhorrent, ut tendere in centrum, cùm licet, nolint, ut id vitent, iisque solùm duabus cog-nitionibus dotata à natura gravia fore.

Minimè enim dissimilitudine quadam posita sufficienter respon-disse adversi opinentur. Dicent enim fortasse, ea quæ intuli, à me decenter illata fuisse, si magneti, aut festucæ, aut gravi insita esset vis sentiendi contactu, qua faculta-te puncta hæc fugerent pungen-tem, ut formicis, & aliis animali-bus

bus indita fuit; sine qua animal esse non potest. Namque ceu ipsis permittitur fateri brutis accidere diversa ab his, quæ in nobis experimur, peculiares extimationes illis concedendo: etiam nobis licebit affirmare, prædictis entibus festucæ & ferro, & gravibus, inditam esse peculiarem vim tactricem, quæ solùm, quæ relata sunt ab eis sentiuntur, tactu eorundem sensationibus reliquis privato.

Tertium inconveniens, quod sequi assertiōē vulgi Philosophorum diximus, erat, necessariō sequi, brutorum animas indivisibiles, ut hominum esse, hoc sic colligitur. Si brūtū cognoscit (verbī gratia) parentem, mentaliterque asseverat illum esse sibi amicū, cognitione inhārente potentiaē cognitivā brūti, quæ materialis & organica est, illius cognitionis dimidia pars, certaē parti cognitivā inhārebit, ut altera dimidia alteri, non enim horum cognitionis potest esse indivisibilis, hoc est, tota in toto, & tota in qualibet parte, cū producatur ab objecto corporeo in potentiam organicam, à nullo enim prædictorum spiritalis reddi potest. Ulterius si dimidia sensatio-ne dimidium parentis sentitur, & altera dimidia reliquum, ut perspectivi etiam fatentur nobis accidere, cū recipimus species visibiles in crystalloide humore, asseverantes dum glacialem humorem pertingunt ab axi disgregari, separarique illas, ne conus pyramidis, quæ fingitur ab objectis protrahi usque in visum, indivisibilem tantum partem crystalloidis afficiat, unde nequaquam potius dextra visorum cognoscentur ut dextra, quam ut sinistra, si species dextri, ac sinistri in punc-to coirent, & non in quanto crystalloidis, cum puncti neque dex-

trum, neque sinistrum sit: ergo irrationalia sensatione existente quanta, non poterunt distinguere inter anteriores & posteriores partes parentis visi. Consequentia probatur. Ea pars facultatis cognitivās brūti, quæ afficitur sensatione anterioris partis, non potest cognoscere posteriorem: neque quæ cognoscit posteriorem, valebit percipere anteriorem, cū realiter utræque partes à se se different: ergo nulla pars brūti poterit distinguere inter utraque, cū qui judicat, ac distinguit alterum ab altero, utrumque cognoscere teneatur. Sed experimenta probant, bruta distinguere inter amicos & inamicos, & per consequens, ac necessariō sequitur hoc concessio, etiam inter anteriorem & posteriorem partem discernere, cū minus arduum sit, præsertim quod ubera posterioris partis suggere procurant, & anteriores partes non inquirunt, ergo vel id natura faciunt: aut si cognitivē distingueret, indivisibili anima, quæ est simul in dextra, ac sinistra parte potentiaē cognitivā brūti id efficient, quod necessariō sequi probare, ut fecimus, promisseramus. Item alia ratione idem probatur, nam præteritam fortassis ignari perspectivā non sequuti sunt: ratio hæc est, necessariō sequi, bruta mediante tactu nihil percipere posse, aut animabus indivisibilibus ipsa frui. Consequentia probatur, supponendo duo omnibus notissima. Primum, quod si ego quādam rem novissem & non aliam, & aliis aliquam & non quam ego, quod nostrorum neuter conferre illas posset, nec de illis ambabus judicium ullum edere valeret. Secundum, quod adeò numero distant, ac distinctæ inter se sunt diversæ partes cujusvis quanti, ut ego & alter homo. Quibus

præhabit, dilucidè sequitur, quod si talpa (verbi gratia) oculis carens, filios noscere tactu voluisse, nequaquam posset, nisi ejusdem anima indivisibilis esset: quia tangens quavis sui parte faciem, & membra filiorum, neque figuram, neque quantitatem eorum percipere posset. Nam fingamus, quod pedali quantitate sui talpa filium tetigit, quam partem talpæ tangentem quoque finge divisam in centum portiones æquales. En quod quælibet ex illis portionibus tangit filii talpæ consimilem portionem, & quod si anima indivisibili non fuerit dotata talpa, sic illarum partium quævis sibi subditam partem noscet, ut de altera continua notione nullam habeat plusquam ego ejus, quod alter noscit. Ac inde ulterius, quod nec figuram nasi, nec oris, nec menti cognoscere talpa poterit: quia quævis particula talpæ particulam tantum nasi tactu novit, & nulla pars universas nasi filii talpæ percepit, ex quo meritò illa tum à me est, nulla effigiata membra filiorum percipi posse à talpa. Et ut deduxi argumentum in naso, sic in aliis particulis faciei, aut reliqui corporis poteram. Etiam ut finxi divisionem in centenas partes, sic in millesimum numerum valuisse.

Undè quoque inferri optima alia consequentia posset, quod nec calorem, nec frigus bruta percipient, si animam indivisibilem non habent, ut non habent, supposito quodam notissimo principio. Illud est, insensibiles alterationes à tactu non percipi. Cùm ergo digitalis quantitas bruti (exempli gratia) tangens rem frigidam posset per considerationem humanam concipi divisa in decem mille partes æquales, & etiam in alias in infinitum minores, quarum quælibet

infinitè parvo frigore afficienda est, quod infinitè parvam activitatem est habiturum, cum à multitudine formæ insequatur actio: restat ergo universas illas infinitè parvas partes insensibilitè afficendas, & nullam illarum percipere sensationem caloris, neque frigoris. Ac ut ratio collecta est ex digitali quantitate bruti, sic ex omnibus aliis suis partibus colligi potest.

Secundò etiam elicetur, nullam quantitatem esse noscibilem à bruto medio tacto: quia quævis pars tangens subditam tantum percipit, & cum infinitæ sint partes tangentes & tactæ, & nulla pars duas nisi tantum sibi compararem percipiat, necessariò ergo infertur quantum non nosci. Qui enim quantum noscit, simùl diversas partes est percepturus: quod nulli alii competere potest, quam ei, qui simùl in multis partibus existens, totus in toto, ac totus in qualibet parte esse dicitur. Quod si iis rationibus convictus, animæ brutali permittis accidere spiritalem vim, non inexiguum errorem incides. Præcipuum enim rationem, qua animæ rationalis duratio perpetua esse probatur, huic animæ vi innititur. De quibus fusè in fine operis de animi immortalitate agentes, Deo concedente, tractabimus.

Irrationalia etiam actus exteriorum sensuum cognoscere coguntur dicere, qui eadem mentaliter affirmare, vel negare aliquid dicunt. Ii quippè qui animæ brutorum illud tribuunt in omnibus facultatis, quæ organum, ut exerceantur, requirunt, nobis similia esse affirmant. Et cum sensus communis organum in anteriore parte cerebri in nobis, ut illi fatentur, habeat, restat brutis eundem sensum communem esse concessum, cui hoc

Nullum quantum noscendum esse à bruto si indivisibilem animam non habuerit.

Non calorem, neque frigus bruta percipient, si animam indivisibilem non habent.

Reflectenda esse animalia supra actus exteriorū sensuum si sentient.

hoc tribuitur actus exteriorum sensuum percipere, ac inter eos & objecta sensuum differentiam assignare. Cognoscent ergo bruta sensu illo communi visionem, olfactumque exindeque sequitur, ea, cognita visione, cognoscere se videare, & sensato olfactum, sentire se olfacere: & per eandem normam de cæteris omnibus actibus dijudicare, & ut dixi, de objectis producentibus eosdem actus notionem habentia distinguere inter odorem & colorem differentiam signando, mentaliterque affirmando hunc odorem non esse illum colorem. Ex quibus omnibus necessariò sequi datur, brutis permitti accidentium & substantiæ dignotio. Quæ enim affirmant hic odor non est ille color, necessariò cognoscere tenentur, cum simul sint, ea non esse corpora, ac entia per se subsistentia, cum nulla talium unquam simil esse visa à brutis, neque hominibus sint. Si ergo non sunt substantiæ, quod definitio substantiæ illis non convenit, restat ea cognoscenda ut accidentia inhærentia substantiæ, quod intulimus.

Complures possem adducere rationes, quibus impossibile esse constaret, brutis ullam cognoscendi vim inesse, sed quibuscum tantum qualitatibus inducitis ab objectis extrinsecis in partes exteriores illas, quæ sensus appellantur, vel aliis accidentibus productis à phantasmatibus reservatis in memorativo loco in alia interiora loca eorumdem brutorum, compelli bruta ipsa moveri, quas omitto, quod in universi operis hujus discursu semper rationes eliciam, quibus hæc nostra sententia roboretur, & ut causam reddam eorum motuum, quæ bruta efficere conspicimus, nonnumquam insequendo quod confert, alias fugando, vel fu-

giendo quod nocet.

Sed cum horum omnium motuum immediata causa reddenda proprietas quædam, quæ versatur inter animal quod movetur, & rem, quæ movet, assignanda à me est, quām nonnulli Physicorum putant ab illis tantum physicis redi, qui nesciunt eventuum propria assignare rationem: antequam quidquam illorum, quæ promisi, explicem, iis physicis palam monstrabo, nullam fermè rationem ab eis redi sine hac proprietate, quām implicitè proferentes, explicitè non percipiunt, exordio sumpto à ratiocinio demonstrativo.

Porrò nullus, qui primum posteriorum Aristotelis librum perlegit, ignorabit demonstrationis præmissas primas, immediatas, necessarias, & de per se propositiones perpetuò futuras, veluti ejus, quām duximus, demonstrationis: Omne animal rationale est risibile; & Omnis homo est animal rationale: ergo Omnis homo est risibilis. Major, & minor, primæ, ac immeditæ, & de per se, ac necessariæ propositiones sunt: non enim notioribus propositionibus ipsæ intelligi possunt, quām ipsæ sint. Nec cur omne animal rationale sit risibile, aut unde proveniat, quod omnis homo sit animal rationale causa ulla redi potest, quām natura ipsa rerum, cui placuit jungere illam passionem risibilitatem dictam illi animalis differentiæ rationalitati appellatæ: quæ cùm proferuntur, occulta proprietas animalis rationalis doctis explicatur. Ac ne dumtaxat in præmissa demonstratione hoc accidit, verū in quavis, ubi antecedens immediatae propositiones sunt, idem necessariò contingit. Et cùm nihil verè sciri sine demonstratione possit, cum scientia sit habitus conclusionis demonstratio-

Qui demonstrat facultati occultæ necessariò initi probatur.

Incipit reddere causam motuum brutorum circa sensationem eorum, & primò quibus rebus insita sit virtus occulta ostendit.

tione acquisitus, restat perpetuum esse veritatis demonstrationum præmissarum proprietatem occultam tantum causam futuram.

*Qualitates
primæ facul-
tibus occul-
tis dotatas esse
offenditur.*

Qualitates elementorum, quæ primæ appellantur, etiam occultis qualitatibus præditæ sunt. Testantur enim omnes, qui physicam novêre scientiam, caliditati insitum rarefacere, frigiditate oppositam vim inesse, putâ densare: sed cùm rarefactio nihil aliud sit quâm diffusio in ampliorem locum ejus rei, quæ sub minore continebatur, restat caliditati convenire movere partes in ulteriorem circumferentiam, quâm ante, frigiditati verò cogere partes in minus arctum locum convenire, & motu quodam coadunare. Qui motus tam qui fit in re vi caloris rarefacta, quâm qui accidit enti vi frigoris condensato, nullam habent immediatam causam, præter proprietatem. Ut enim succino convenit movere festucam, & versus se trahere, & magneti ferrum ad se ducere: eodem modo calor ubi inductus est, partes subjectas aptas moveri cogit in ulteriorem circumferentiam diffundi, & frigus in strictum locum partes subditas coire coercet.

*Colores quali-
tatem occul-
tæ habere pro-
batur.*

Coloribus consimilis occulta proprietas à natura collata est. Album enim, ac eximiè lucidum, vivendi facultatem disgregat, ac raram efficit, ceu nigrum congregat, adeò immodicè, ut nonnunquam dolorem inducat. Qui motus partium organi, quo cernimus, tanta admiratione digni sunt, prout illi, qui relati fuere, ferri, ac festuæ. Qui colorum effectus in calorem, & frigus reduci non poterunt, nive eximiè frigida disgregante, & pipere calido nigre diem congregante.

*Occultam pro-
prietatem ver-
sari in moti-*

versatur. Quis enim aliam causam *bus naturali-*
bus, & via-
lentis.
præter proprietatem reddere potest gravis sursum resilientis, quod primum ab alto descenderat, aut parvæ speræ versus jacentem resulantis, quæ priùs in parietem directè impulsa est? Si enim impetum gravis in centrum descendantis, aut pilæ jaætae causam resultus esse existimaveris, à verò quâm maximè aberrabis. Impetus enim illi non resiliendi causa esse possunt, cùm in oppositam loci differentiam moveant, quin potius resultum impedire deberent, si non in asylum hoc proprietatis occultæ configamus. Est enim talis naturæ ordo, quod quanto à magis elato loco grave descendit, ac cum majore impetu cadit, tanto in altiore partem resilit. Ac consimilis in vi pulsis rebus proprietas conspicitur: tanto enim velocius versus jacentem moventur res impulsæ, objectam rem offendentes, quanto majore impetu jaæta fuere, ut fateri cogamur, præcessisse aliquem talis motum causam esse, ut alter talis sit, qualis non fuisset, nisi motus, qui præfuit, & non est, non præfuisset: non quod illud privativum, putâ motus præteriorum, causa sit positiva hujus positivi scilicet resultus, sed tantum forma rei, quæ movetur, præcipua, & omnimoda causa sit, maximè resiliendi, si priùs cum magno impetu descendit, aut impulsæ res est. Huic consimile Beatus Thomas opinatus est contingere in omnibus generationibus rerum naturalium, cùm universas formas, tam substantiales, quâm accidentales creditit ipse corrumpi, cùm naturale ens, quod rationale non sit, definit esse, ac ex natura rei accidere, alias accidentales dispositiones ejusdem speciei cum præcedentibus de novo simùl cum for-

forma nova procreari.

Improbantur solutiones eorum, qui motus naturales & violentos absolvunt a proprietate occulte.

Solvi enim non potest ratio hæc, qua probamus tantum proprietatem occultam, quæ naturam dicimus causam esse resiliendi, dicens, causam manifestam resumptionis fore densitatem aëris intercepti inter rem impulsam, & objectam rem, quæ tangitur: qui tanto defensior fit, quanto velocius res mota est: ac in tantum in distantiorum partem plus impellitur res, quæ resultat, quanto cum majore vi aëris ipse conatur in propriam raritatem reduci: ad quam reductionem necessariò sequitur expulsio rei, quæ comprimebat.

Nam hoc verum esse non posse, vel ex hoc innotescit, quod evenitus probat, post contactum lapidis vi jacti in pavimentum domus, ipsum lapidem sursum resilire: modo si cum lapis jaetus tetigit pavimentum, aëris ille densus, qui intercipiebatur inter lapidem jacatum, & pavimentum ad latera jacti lapidis impulsus est, cur ibi non persistet, ac sinet, lapidem impulsu supra pavimentum, in quo cecidit, quiescere? Aut si tanta cupiditas rarescendi aëri condensato inest, cur in spatiostam aëris sphaeram, quæ minimè resistit undique intra suos terminos duci, non diffunditur ipse, ibique rarescit, & non lapidi subjicitur, ut ipsum elevationi renitentem, descendereque cupientem, sursum pellat?

Dicet quis fortassis, non aliunde impulsa resilire, nisi quod partes rei impulsæ tangentes rem objectam adeò violentiam contactus comprimantur versus suum centrum, ut præternaturem situm habentia, cupiant dilatari, & in situm priorem redire, ac cum tunc versus rem objectam impetuose moveantur, inde resiliant.

Alia solutio improbatur.

Certè cum ignorantiam eorum, qui hanc assignat causam, considero, non possum risum contineare, quod video eos non videre, cum putant dubium soluisse, inextricatum, ut priùs reliquisse. Statim enim quæro ab his, cursi (verbi gratia) pars circumferentia spheræ, qua ludimus, vi contangens pavimentum adeò versus proprium centrum contrahitur, ut ex illa parte plana evadat, non ei sufficere, assequatur priorem circularem situm, quem impulsu amiserat, iterum in rotundam figuram redire, & parum elatiorem reddi, tangendo in puncto, si perfectè spherica fuerit, & pavimentum exactè planum, quod prius, cum plana illa pars tangens erat, insuperficie tangebat absque ulteriori elatione versus aëris partes, ut semper accidit. Contingit enim pilam impulsam ab homine in lapideum pavimentum, adeò in altum per angulum rectum resilire, ut decem cubitorum altitudinem superet: cuius elationis causam non assignaverunt, quam investigabam ego, nullam aliam esse affirmando, nisi proprietatem, sive naturam illius gravis, quam diximus.

Versatur quoque occulta proprietas in modo resumptionis rei, quæ insilit. Perspectivi enim omnes fatentur, per eosdem angulos resilire species ab speculis, per quos cadunt in eadem. Quod etiam rebus jactis in objecta perfectè plana contingit. Nam si parva sphaera impulsa in parietem objectum eum tangit, rectè in impellantem resilit, ut cum oblique, eos angulos resiliendo efficit, quos cadendo confecit. Cujus eventus nulla alia reddi causa potest, quæ natura rerum, cujus conditori placuit, resultus per ejusdem speciei angulos fieri, & non per diversos.

Def-

In modo resumptionis versari proprietatem ostenditur.

Descendere ad peculiares, ac minutis proprietates herbarum, partium animalium, ac lapidum, eaque istis scriptis inserere, non aliud esset, quām universos libros de historia naturae transcribere: & qui brevis esse cupio, gravis implicatus impertinentibus rebus evaderem, quod ab optimo instituto quām maximē alienum est. Ideō de hac re unicam tantum cælestem vim scribendo, non plura dicam.

Ventorum diversos motus à diversis aspectibus cælestibus originari quod proprietate quadam sic, & aliter movent.

Quis adeò crassæ mentis est, quod quampluries non observet ventorum contrarias mutationes, non tantum in diversis diebus, verum & in ejusdem diei diversis horis fieri? Quorum tam adversorum, ac è diametro pugnantium exhalationum motuum, putà ab Aquiloni in Austrum, & ab Austro Aquilonem versus, & ab Oriente in Occidentem, & è contrà ab Occidente in Orientem, nulla alia reddi potest causa, quām diversus influxus cælestis, qui heri vim exhalationibus (si verum est has ventum esse) inferebat, qua à polo in æquinoctialem eas ire compellebat, hodie oppositam inducit facultatem, qua contra moveri coguntur: quoniam motu cælorum aspectus stellarum mutati sunt, à quibus vis illa motrix flatulentorum spirituum manat. Atque ut diversa commixtio elementorum causa est diversæ speciei mixti, sic diversi aspectus stellarum, diversas facultates motrices in exhalationes inferunt. Pluviae etiam varios eventus in eadem diei hora in hanc eandem causam reducimus.

Quatuor modi quibus bruta moventur recensentur.

Satis eventibus ductis probatum supereft, quām præ manibus, ut inquiunt, facultas occulta versetur in quampluribus effectibus, & si non qualis est, à multis physicis noscatur. Quo supposito fundamento, ut brutorum motuum cau-

sas citra sensationem ullam illorum reddam, scire expedit, bruta multiplicitate moveri, vel à rebus præsentibus, & quæ sui speciem, vel æquivalens, in organa proportionalia nostris, quibus sentimus, inducunt, ut cùm in alimentum præsens feruntur, vel ab inimico, qui adest, fugiunt. Vel secundò à phantasmatis rerum, quæ aliquando motus brutorum causa fuerunt. Aut tertio ab altero prædicitorum, sed priùs brutis ab aliquo magistro doctis, sine qua docilitate ipsa non illum motum exequuntur, quem exercent, nec à præsentibus illis rebus, nec à phantasmatis earumdem absentium agrentur. Ut cùm Psittaci aut turdi loqui docentur, aut canes, vel simiae saltare discunt. Quartò & ultimò ipsa bruta motibus quibusdam moventur, qui ex instinctu naturæ appellantur: quales sunt formicarum, apum, & consimilium animalium certis operibus destinatorum: & inter hos, rari, & numquam fermè visi motus brutorum, recensentur. Ut caprarum quædam peculiaris solertia, de qua Plinius lib. 8. cap. 50. meminit. Et leonum clementia in Getuliæ fœminam, atque eorundem miserorum astus in Mentorem Syracusanum, & Alpim Samium, & aliorum animalium consimiles motus à nobis aliquando visi, & historia recensiti.

Digestis ergo animalium motibus in quatuor, quos retuli modos, uniuscujusque causam veritati similiorem quoad possim investigabo. Jam, quod compulsus præteritis rationibus compertum mihi scio esse, & omnibus, qui has legentes ipsas intellexerunt bruta non sentire, duobus ut principiis in hoc opere suppositis, nam in alio eorundem veritas probatur. Primum est, esse triplex genus eorum, quæ

De primi generis motu causa agitur, distinguendo primò moventia in natura libera & vitalia, & supponendo à cerebro nervos motores oriri.

moventur. Quoddam merè naturaliter, quod nullis organicis particulis motum exercet, ut gravia descendentia, aut levia sursum lata. Aliud merè voluntarium, ut homines sponte moti. Tertium medium inter relatos est illud, quod organis movetur, & tamen non sponte, sed vi quadam, sive interiori, seu exteriore agitur, & vitalia moventia hujusmodi appellantur, de quibus nunc agimus. Hæc enim, musculis quibusdam contractis & expansis, loca mutant, ab objectis exterioribus, vel phantasmatibus in plurimum tracta, aut pulsata. Secundum suppositum sit, à cerebro oriri omnes nervos, per quos in nobis sensationes universæ fiunt, visu, auditu, tactu, gustu, & olfactu. Etiam ab eodem oriri nervos illos, quibus tam musculi humani, quam brutorum contrahuntur, & distenduntur, ut motus progressivi & alii fiant.

Iis præhabitibus, accingor reddere causam prioris speciei motus brutalis, quam esse dico in motibus insequutivis species rei prosequendæ, aut fugandæ, inductæ per non-nullum organum, proportionale illis, quibus sentimus, usque ad eam partem cerebri, quæ origo nervorum est, quæ objecti illius præsentis specie affecta, vel proportionali speciei, necessariò sic statim contrahit & distendit diversas partes animalis, ut eas decet ad motum exequendum, ut occulta qualitate inducta à ferro in magnetem, vel succino in paleas, ipsa versus inducentia aguntur. Ac diversi multò sunt duo hi relati brutorum motus. Qui enim ad res amatas prosequendas tendunt, gestu quadam alacri proportionali illi, quem hilares habemus, à brutis exercetur: non quod illa hilara nec mœsta esse possint, ut nec dolorem, aut

delitiam habere, cùm non sentiant, sed (ut post dicam) ut gesticulationibus ostendant, quod intus non percipiunt. Alius verus motus consequutivus quoque, quo fugamus nocua, in inimica fertur, ut præcedens in amica, sed hic contrario gestu exercetur, proportionali enim illi, quo afficimur, cùm irascimur. Dixi non immerito, jam ter, quod inductis speciebus, vel proportionali speciei hæc species motus exequatur. Nam quamvis nos sentiamus, & bruta moveantur visu, & olfactu, & auditu, ac gustu speciebus; & non realibus qualitatibus, ut plures opinantur, tactu non speciebus afficimur, sed realibus qualitatibus, frigoris, aut caloris, humoris, aut siccitatis alteramur.

Contra hæc scio objici posse primum, si ita est, ut retuli, quid in causa fuerit, quod animalia suffusione oculorum patientia non moveantur à præsentibus amicis, aut inimicis, ut prius quam morbo illo laborarent? Et sic in auditu & aliis sensibus male affectis objici poterit. Cui objectioni facillima est responsio, scilicet organa, per quæ deferenda est species, non esse sic pervia, ut decet speciem, ad hoc sufficiat movere animal, ut non sufficit immutare hominem ad objectum extrinsecum percipiendum. Creata enim irrationalia sunt à natura adeò æmulantia homines, ut eisdem affectibus, quibus hominùs benè sentit, eisdem minùs benè & irrationale moveatur.

Secundum quod argui poterit est, alienum à veritate videri, accidente illo appellato specie induceto in parte cerebri, quæ origo nervorum est, tam multi modos motus fieri, ut qui fiunt à felibus viis muribus, ac qui fiunt ab eisdem paucientibus filios, & alii multipli- cies hujus generis. Quod non diffi-

*Contradicta
objicitur ma-
lis affectibus
organorum
sentiendi bru-
torum, & sol-
vitur objec-
tio.*

*Objicitur 2.p.
multi modos
motum irra-
tionalium,
quam non vi-
dentur posse
oriri ab spe-
ciebus.*

ciliis præterito solvimus. Si enim conferamus relatos motus merè naturalibus, multò artificiosiores illis hi sunt: verùm si aliis vitalibus, non est cur potius de his admiratur, quād de innumeris, qui in nobis contingunt, cum bilis à jecore in intestina excernitur, & ab eodem sanguis in vasa totius corporis protruditur, & aquositas urinæ ad vesicam perducitur, & melancholicus succus ad os ventriculi, & alia innumera hujus sortis, solis primis qualitatibus succorum, vel superfluitatum, affidentibus jecur, & alia membra cum excernunt, aut trahunt ad se aliquid eorum, quæ afficiunt, nullam sensationem, cum benè valemus, inferendo, cum quibus, si decent, membra attrahentia voluntantur, volvendo, ac revolvendo illud, quo alenda sunt, pluribus motibus, quād cattus murem à se captum.

*Objicitur ex
cito motu posse
res visus, vel
aliis organis
sentiendi pre-
sentatas.*

Si iteratò arguis, non esse possibile adeò citò transfire speciem rei objectæ, usque ad partem illam cerebri, quæ est origo nervorum, ut experimur bruta ab objectis rebus trahi, negabo impossibilitatem, cum ipsæ species sine resistentia inducantur, idèoque subitò, ut lux. Quòd si iterum objicias, quid de qualitatibus primis inductis in brutum, quibus vel fugatur, aut trahitur illud, quæ habentes contrarium subitò induci non valent, ut species, quæ idem non habent. Dicam, quòd velut si magnes inducit illam qualitatem occultam, qua ipsum movetur inferri portionem, totum ferrum propter continuatatem versus magnetem tendit: sic calore, aut frigore inductis in organum bruti proportionale nostro sensitivo, movetur totum brutum ad illud, quod trahit ipsum ad se, & si non ad locum cerebri, qui origo nervorum est, calor attingat;

Tom. I.

quanto magis, quod illa realis actio non sic exactè sincerè fit in nervos sensitrices, quin origo nervorum vitaliter occulto modo immutetur.

Restat & alia objectio, qualiter sit possibile, alimentum, aut aliquam rem amicam suis speciebus trahere semel brutum ad se, & non hoc esse perpetuum eisdem. Sic enim annona trahit equum famescens, & equa ipsum lascivientem: quod eundem jam pastu annona, vel coitu equæ saturum nequaquam movet. Quod non sic eventurum erat, quin semper in quæ semel movetur brutum, si illa adessent, movendum erat, ut ferrum in magnetem præsentem perpetuò fertur, & palea in succinum. Cui objectioni respondendo, dico semper arguentem decipi, collatione entis moti merè naturaliter ad ens vitale. Non enim ut illa, quæ sine organis aguntur naturalia entia, ad eam differentiam loci moventur perpetuò, si non cohinentur, ad quæ semel mota fuere, præsente motore: sic agentia vitalia, quorum motus non sic originantur ab ullo principio invariabiliter movente ut relata, quin à quadam tali qualitate motrice, quæ jejunum animal nata est versus producentem ipsam trahere, in saturum nullam talem vim illa habente. Nec destituit natura similitudine aliqua illorum, quæ naturaliter & sine organis aguntur, hos viventium motus insinuare, cum adamanti indit vim producendi certam qualitatem in ferrum, qua ineptum redditur ipsum moveri ad magnetem, ut animal, quod annonam multam ingessit, ad eandem non est natum trahi.

Relata est causa motus brutalis exequiti in rem convenientem præsentem, quam brutum proce-

*Quæritur quo
modo possit
accidere aliu-
mentum tra-
hens semel pa-
rum post cum
saturum ani-
mal est, non
trabere.*

C. 2

qui-

*Causa reddi-
tur motus bru-
talis fugientis
nimica.*

quitur, vel in rem fugandam, cui inimicatur: restat ergo reddamus causam oppositi motus, scilicet cum ipsum fugit a noxiis sibi rebus, ut ovis a lupo, vel bos a leone, & mus a fele, & alia a suis inimicis, quae non differt a praeterita. Nam velut relatum a me est speciebus rei convenientis agi irrationalia versus inductorem specierum, sic ab speciebus inimicarum rerum abiguntur ipsa in oppositas regiones, velut certa specie lapidis fugatur ferrum, ceu magnete trahitur.

Causa secundi generis motus brutorum redditur, quod phantasma sit, prius expresso.

Præter ea, quae adducta sunt a nobis, ut similitudinem aliquam monstraremus eorum, quae diximus accidere brutis in nobis non sentientibus & aliis rebus esse, complures quoque alias motus naturales tam inanimatorum quam hominum afferre possem, quos, ut prolixitatem vitem, transeo, ac ut secundi generis motum irrationalium causam investigem, prius supponendo phantasmata, ut post doceretur, esse corpuscula quædam spirituosa, occulto quodam modo affecta ab extrinsecis objectis, nata in absentia objectorum, afficiendo partem cerebri anteriorem, ducere homines in cognitionem illorum, quæ olim ab ipsis hominibus cognita sunt. Quæ quoque dum prædictam corporis partem non afficiunt, asservantur in triclinio posterioris partis cerebri memoriae deputato, ut cum libuerit nobis elicere ea ab illo loco, ut afficiant syncipitis particulam abstractivè noscentem, possimus.

Quo cæmento jacto, inquio, quod bruta ad loca pastuum, ut sunt prata, vivaria, alvearia, stabula, ubi olim alta, vel fota tegumento fuere, prædictis locis absentibus moventur, phantasmibus illarum rerum motis in partem anteriorem cerebri illorum proportionali nos-

træ cognoscenti abstractivè, cum irrationalia dictis egent: indeque ipsa bruta compulla versus rem, qua indigent, ferri, ut a præsentibus rebus convenientibus movebantur.

Neque est cur hoc plus mireretur, quam alium consimilem evenitum in nobis dormientibus saepè contingentem. Si enim lotio vesica, aut intestina face immodica redundant, somniamus mejere, vel ventrem exonerare, excitamurque non rarenter iis insomniis. Cujus eventus nulla alia reddi potest causa, quam quod redundantia prædictorum excrementorum moveat phantasmata motus facultatis expultricis eorundem, & in partem syncipitis abstractivè noscentem impellat illa, a qua ipsa inter dormendum abstractivè noscuntur.

Etiam sciendum, quod velut nosducimur in cognitionem abstractivam absentium cum excitati liberi cum simus, volumus elicere phantasma ullius rei, cujus memorari volumus, quod recordari dicitur: & etiam nobis nolentibus contingit memorari amici, quia equus, vel famulus ejus fortè tunc nobis præsens factus fuit, tracto naturaliter phantasmate amici in partem abstractivè noscentem ab specie rei præsentis solitæ comitari amicum; quod reminisci Plato in Phedone appellat. Sic brutis accidere non tantum fugere præsentia, quæ nocent, aut nocere sunt solita, sed & illa, quæ comitari sibi inimica solent, ut non tantum ferantur inconvenientia, sed in ea, quæ comitari solent illa, quæ ipsis convenient.

Utque dilucidius monstretur, quomodo præfata phantasmata moveant bruta, scire decet, in occipite brutorum esse quoddam scripnum, seu cellam quamdam, in qua

Similitudine eorum, que hominibus contingunt, causa. 2. generis motus irrationalium robatur.

Etiam similitudine non nullorum accidentium vigilantium.

Phantasmata quomodo bruta moveant ostenditur.

imagines eorum, quæ oculis salubriter affectis in debita distantia sitis præsentata fuere, ad vivum resecata asservantur: ubi etiam sonorum, qui per aures ingrediuntur, & saporum per gustandi organum, & reliquorum duorum sensibilium imagines conduntur: qua in re simillimi brutis sumus. Sed in nobis ultrà potentiam hanc servatricem phantasmatum, quæ memoria appellatur, est in sincipite facultas alia, qua cognoscimus res illas, à quibus phantasma genita fuere, dummodo à parte posteriore illa cerebri trahatur phantasma illud, cuius parentem noscere volumus, coramque anteriore nesciente præsentetur, quæ cognitio abstractiva nuncupatur. In brutis tamen, quæ nullas mentales propositiones formant, & si non sit facultas illa, qua noscuntur res absentes, ut neque prælentes posse dignosci ab eisdem diximus, est tamen quid proportionale illi in sincipite eorum etiam situm: coram qua facultate si imago rei absentis asservata præsentetur, bruti membra coguntur eo modo moveri, quo cùm res ipsæ verè aderant, movebantur, bruto æquè affecto ut priùs cùm primum phantasma genitum fuit. Hæc ergo causa à me redditur latratus canum, & aliorum motuum factorum à brutis dormientibus. Illa enim compelluntur moveri in somno, phantasmatisbus præsentatis illi parti sincipitis, quæ proportionatur nostræ cognoscenti abstractivæ, velut in vigilia visis rebus movebantur. Eademque causa est fugiendi, flagello, vel fuste viso, quibus, vel similibus percussa fuere: quia cùm primum cæsa his sunt membra irrationalium, inducitis speciebus in facultatem proportionatam nostræ sensitrici, arripe-

re fugam compulsa fuere non aliter, quam à multo magnete, vim abiciendi habente, paucum ferrum fugeret.

Ut causa tertii generis motus irrationalium reddatur, ubi de motibus eorum, quæ doceri sunt apta, acturi sumus, de turdorum nempè, & plittacorum loquela, & canis, & limiae motibus ab illis æmulatis, considerare primum decet, quomodo auditis vocibus æmulantur ipsæ. Nam cùm sonus nihil aliud sit, quam aér taliter, vel aliter motus, aut aliquid præter motum inductum in aërem à proferente sonum, & vox organis voci destinatis exerceatur, quorum nullum cæci vident, & qui oculis prædicti sunt, etiam ut æmulentur vocem, cernere loquentis os, & alia membra, quibus formatur, non procurant, sed tantum arrectas aures, attentisque loquenti exhibere: undè fieri potest, quod res adeò impertinens, putâ vox ipsa, quam aér (ut dixi) motus est in aures immissa, causa sit motionis organorum brutorum, vel hominis, destinatorum ad formationem vocis, taliter ut à proferente motu fuere? Certè si in arcem illam supra ductam multorum effectum causam proprietatem occultam, seu naturam confugiamus, brevitè quæsitum absolvemus. Sed cùm ego non adeò stupidus sim, ut omnium eventuum immediatam causam vim occultam esse existimem, sed tantum nonnullorum, putâ ultimorum, omnibus intermediis causis investigatis, accingor reddere hujus facti causam: supponendo quemlibet aërem motum sic conari movere quascumque res ab eodem contactas, prout ipse movetur. Videmus enim turbines corrigiis in modum spirarum præcinctos celeriter dissolutos ab spiris corri-

Redditur causa 3. generis motus irrationalium: Et primò causa assignatur voci, quæ non vise, sed auditæ amulanatur.

giæ in gyrum agi per insigne tempus: cuius motus omnes, qui rectè philosophantur, causam reddunt, ipsum aërem cita dissolutione corrige sic versatum, prout ipse turbo ab eodem aëre actus moveri conspicitur. Ergo proportionale huic contingere animantibus non miremur. Aër enim agitatus ab ore, & instrumentis vocalibus taliter fermè moverit, prout ipsa mota sunt: intransque auditus organum, feriensque ipse per quædam antecedentia media partem illam cerebri, à qua oriuntur nervi motores instrumentorum vocis, eos incitat sic moveri, prout ipse motus est. Et cum (ut prædixi) ipse sic actus sit, prout loquentis membra vocalia mota fuere, restat, ut de primo ad ultimum ipsa vocalia instrumenta audientis ita incitentur moveri, qualiter loquentis mota fuere, dum animal sic formatum sit, ut à natura ipsi tributa sint instrumenta formandæ vocis. Quod addo, ut solvam, quod mihi objeci posset: cur scilicet tantum quædam animalia doceri possint loqui, cæterisque vetita sit nostrarum vocum æmulatio? Cùm dico doceri bruta, non eo modo, quo homines intelligo, sed per quandam similitudinem ad nostram docilatem ea doceri dicuntur. Ut etiam cum dicuntur sensus exteriores, aut interiores, vel actus eorum habere, per quandam synonymiam sensum brutorum, & actum eorumdem ad nos, dictos sic existimo, omnesque sententias talium authorum, ut quæ maximè inconveniret non exponere, ut dixi, explicandas esse attestor.

Exemplum in nobis relati motus bruta-

Non omisit natura relatorum motuum irrationalium exemplum in nobis ipsis occultè insinuare, cùm non assueti hora nona ante meridiem (exempli gratia) jentare, mi-

nimè tunc famescimus: qui si per mensem assuefscimus in relata hora jentaculum sumere, accedente illa, fame corripimur, tunc majore copia sanguinis, qui famem effet cohibitus, redundantibus venis, propter assuetudinem jentandi in nona hora, quam fingo superaddi prandio, & cœnæ assuetis, quæ prius, cùm tantum prandebamus, ac cœnabamus. Cujus affectus famescendi scilicet, nobis invitis, & ignaris, tunc cùm non soliti eramus, nulla alia reddi potest causa, quæ aliquod occultum movens melancholiæ ad os ventriculi, ad excitandum appetitum tunc, cùm per mensem jentavit homo, quæ prius cùm jentare non assueti eramus, differebat melancholiæ motum usque in horam prandii. Ad cujus similitudinem in psittacorum, aut turdorum cerebro introducto sèpè vocum humanarum sono, moventur eorundem vocalia instrumenta, quæ prius quiescere assuerant. Et canum, & simiarum aぐuntur membra, visis humanis motibus, quæ ante quiescebant, in plurimum instigatis, ac allectis ab homine his irrationalibus ad æmulationem motuum humanorum flagelli poena, aut alimenti præmio.

Contra tamen ea, quæ inter assignandam causam vocum æmulatarum à quibusdam avibus diximus, quædam objectio non contemnenda insurgit. Ea est, falsum videri, quod dicitur, aërem agitatum ab ore, & instrumentis vocalibus taliter moveri, ut ipsa mota sunt. Nam si aër quibusvis vocalibus actus in circulum moverit, velut aqua, in qua lapis injectus est, ceu physici ferunt, ut aqua circulariter movetur, lapide per lineam rectam superjacto, sic aër in circulum à voce agitabitur, voce in aërem rectè impulsa: quod

Objectio contra causam assignatam docilitatis brutorum.

si acciderit, falsa erit nostra assertio, attestans aerem moveri, prout humana vocalia membra mota fuerunt.

Solvitur obiectio. Ut hanc nempē objectionem dilucidē solvamus, fingendus est aer agitatus à voce humana non adeò liquidus & tenuis, ut est, sed velut quedam cera eliquatissima, quam vox diffusa figurasset, tot, ac tantis angulis, aut circulis, lineis, eminentiis, ac cavitatibus, ut si ipsa cera taliter figurata ab aere agitato, ut ipse est, solidesceret, typus ac proplastice valeret esse, & qui in se velut æs cavatum diffusa metalla susciperet, ut ipsa evaderent sic effigriata, ut vox humana formata fuit, puta ut aer frangitur, cum dictio hæc, Petrus, profertur, sic æs effusum in typum illum cereum effigiaretur. Prior enim syllaba Pe, scilicet, labiis tantum junctis, ceteris vocalibus instrumentis quiescentibus, profertur, ut, trus, lingua tantum dentes feriendo, & ipsis parumper motis, dicitur. Quæ diversa fractio, si in cera eliquata, aut in molli massa triticea fieret, tam diversis formis relata effingeret, ut quivis cernens oculis illas figuræ, posset distinctè cognoscere, quæ maximè differre has dictiones prolatas non tantum inter se, verùm & ab aliis quibusvis. Hæ ergo diversæ figuræ si in aerem, vel aquam injicerentur, & si ipsam in circumulum moverent, non tamen circumferentiam linea perfectè circulari claudi permitterent, sed universam circumferentiam aeris, vel aquæ illis figuris afficerent, quibus ipsa erant effigiata, ut notum omnibus est.

His ergo habitis, dico facillimè solvi objectionem, negando lapidem rejectum in aquam, ipsam imperfectè circularem figuram effingere, quin circumferentia circuli

aquei illas eminentias & figuræ servare, quas lapis rejectus habebat, assevero, & si insensibiles visu esse attestor, quod lapis citò descendens, aquam renitentem multiplicibus sui ipsius lapidis angulis & eminentiis non sic potest perfectè configurare, quod in secunda & tertia inundatione non delitescant, aqua in circulum mota, quod aeri passibili non accedit. Ipse ergo in voce configuratus, per aures usque in cerebrum intrans, cum illud sit mollissimum, taliter ipsum figurat, ut aer ipse figuratus est, quod sic effigiatum incitat nervos à se ortos, sic moveri, ut proferentis, cum loquebatur, moti fuere, quia non alium situm cerebrum loquentis servavit, cum loquebatur, quæ quem effingit vox in cerebrum audientis, qui situs cerebri necessariò à voce prolatæ gignendus est, velut cera, aut massa adeò in altum effigiata à sigillo ferreo, quod à tergo ceræ emineret eadem figura, quæ in sigillo quodvis fertum, si ipsum cederet, & mollius ipsa cera fieret, & quamlibet aliam rem, proprio tergo non alter figuraret, quæ ferrum, quo ipsa sigillata est. Quibus solvisse sufficientissimè objectionem existimo, & aliud, quod quæri posset, putà, cur aliqua irrationalia relatam facultatem imitandi homines loquentes habeant, & alia non: & cur elephanti, simiae, & canes, & aliæ bestiæ imperatos motus exequantur, & tigres, & alia immitia minimè, usque in illum locum differo, ubi de causa quarti modi motus brutorum agetur.

Quæ relata sunt, portionem quædam quæsiti enodarunt, sed universum non absolverunt. Ea enim, quæ diximus, causam tantum exhibent vocum, quæ imitantur, cum audiuntur, non tamen aliarum, quæ pro,

proferuntur, nullis multo ante loquentibus. Psittaci enim & turdi s̄epiissimè loquuntur, quæ semel, aut pluries audierunt, nemine loquente tunc, nec per multos dies ante, ea quæ ipsi cantillant. Cujus rei causam dico esse phantasma relictum à voce prolata in parte servatrice eorundem, præsentatum illi proportionali nostræ, qua cognoscimus abstractivæ.

Cur plus uno tempore quam alio psittaci & turdi quo dicuntur can-tillent.

Sed cur potius una hora quam alia tales imagines ducuntur in partem illam. Syncipitis brutorum consimilem nostræ, & non aliæ, nulla alia reddi potest causa, quam frequens motus spirituum & humorum scrinii imaginum servatricis, qui talia aut talia compellit exire phantasmatæ, qualia humor motus poscit, non enim aliter brutis accidit penes hoc, quam nobis. Nam ut non rarerter nobis circa diversa meditantibus occurrit imago paterna, aut amici multo ante non visi, qua gaudio afficimur, prædictos cognoscentes abstractivæ, quia tunc humor sanguineus dominabatur, excellebatque in cerebro, cui inditum est à natura, imagines rerum delectantium offerre cognitrici facultati interiori, ut melancholicus humori in cerebro redundantि datum est, ea compellere phantasmatæ in anteriorem partem cerebri vehi, quæ moerorem tristitiamque inferre possent: sic brutis accedit, talia aut talia phantasma præsentari, qualia humor dominans, vel agilitas phantasmatis poscunt. Vel cum quæ relata est causa deest, dicimus contingere potius unum phantasma, quam alterum præsentari potentiae interiori cognoscenti: quoniam assidua meditatione nostra de re illa, quæ genuit imaginem seu phantasma, quod præsentatur, factum est, phantasma illud agilius, promptiusque

curlui in partem anteriorem, quam aliud ullum, ut frequentius vox aliqua prolata & in cerebrum bestiæ intrans, phantasma sui ipsius agilius reddit, quam rarerter auditæ idque causa est somniandi frequentius ea, quæ interdiu acta sunt, quam alia. Prout ergo humor, aut superfluitas, vel frequens meditatio vigilantis, aut introitus vocis per aures animalis plus minusve dominantur, sic phantasmatum exitus in anteriorem partem sequuntur, aut motum humorum, aut meditationem excitatorum, aut frequentem introitum vocis in aures in nobis & brutis, dum voluntas nostra oppositum non imperet, nobis enim dormientibus contingunt motus phantasmatum, prout dictum est, vigilantibus quoque & nolentibus præcipere accersiri potius imaginem hanc, quam illam. Secùs cum nobis placet plus patris (exempli causa) quam matris imaginem cognosci.

Quæ relata sunt, inter reddendam hanc tertiam causam motuum brutorum, duplicem quæstionem physicam explanari poscunt. Prima, an phantasmatæ, seu imagines rerum, quæ asservantur in parte cerebri, quæ memorativa appellatur, corpora sint, an accidentia inhaerentia substantiæ ulli interiori. Ubi etiam reddetur ratio, quæ movit physicos asseverare, esse servatricem facultatem, memoriam appellatam, sitam in posteriore cellula cerebri animalium. Secunda quæstio, quæ explananda se offert, est: Utrum phantasmatæ illa, quæ præsentantur potentiae cognitrici interiori nostræ, cognoscantur ab ea ut objecta, an tantum res, quæ genuerunt imagines illas, cognitione abstractiva percipientur? Hæc ergo dissolvam primum dubia, deinde auspicabor reliquorum motuum

tuum brutorum causam assignare.

Quomodo intuitivè & abstractivè cognitionem noscamus.

Explicaturus animæ notiones interiores exterioresque, omnibus hæc lecturis suadere volo, ea, quæ à me dicentur, vera futura, si, qui mentem meam his scriptis noverint, sese cùm absentia, aut præsentia cognoscunt, sic, prout ego fateor, sentire, aut intelligere ea, experti fuerint, ut sum relatus. Non enim hic agitur de situ orbis, ubi fidem docenti adhibere expedit, credendo mare certis in locis terram adeò undique intundare, ut prope adsit, si latius distenderetur, nihil animantibus relictum: alias autem in tantum coire, ut si quidpiam plus cogeretur, terra ultiore maris digressum esset cohabitura. Sed actus animæ discutiuntur explicanturque: quorum quisvis adeò conscius est, ut Aristot. in exordio librorum de Anima, scientiam ejusdem referat certissimam esse. Non ergo admiratione corripiatur ullus, si à communi omnium opinione coactus quandoque discessero, in me non experiens ea, quæ illi dixerunt. Etiam animadvertis; nec ipsos illa, quæ protulerunt, sensisse: cùm impossibile esse ulli, id accidere, quod ipsi commenti sunt, sim probaturus.

Suppositis ergo finitionibus notitiæ intuitivæ abstractivæque (prior enim est cognitio objecti suis speciebus immutantis sensitricem facultatem, vel aliquo vim specierum supplente, & posterior objecti absentis mediantibus phantasmatis sufficientis) primum quod illustrandum se offert est, quod occasionem fuisse plurimarum ambiguitatum & errorum complurium existimo, scilicet: Quid sit aliquam rem cognoscere intuitivè, & quid abstractivè. Putant enim fermè omnes, cognitionem intuitivam esse quod-

dam accidens appellatum visio, si oculis cernimus: aut tactio, si tactrice facultate sentimus: aut olfactio, seu olfactus, si naribus olfacimus. Et in sentientibus gustandi, ac audiendi facultatibus idem accidens gigni credunt: abstractivamque aliam cognitionem consimilem prædictis esse existimant.

Differunt tamen, ut isti referunt, quod intuitiva rei præsentis est, modo, quo definivimus, eademque res sensata simul cum sensu exteriore ad ejusdem productionem concurrit: abstractiva verò rei absentis, imagine rei ad ejusdem formationem vim habente. Hanc imaginem Gregorius Ariminensis secundo Sententiarum, quæst. 2. distinct. 7. putat intuitivè cognosci ab ea facultate interiori, quæ absentia noscit, re, quæ produxit, cognita abstractivè. Alii diversum credunt, cognitionesque has, quæ notitia abstractiva intuitivaque dicuntur, nonnulli putant inesse organis animatis, quibus sentimus, alii toti distincto à suis partibus, vel tertiaræ entitati, de quo agemus, alii verò, ipsi animæ. Omnes tamen conveniunt, non posse animam nostram quidquam sentire, aut intelligere, si ipsa ullo non affiliatur accidente realiter à se distincto. Nam credunt isti id, quod modo non cognoscebat, quia dormiens, nunc dicitur cognoscens, quia vigilans, & aliquid cernens, aliquo distincto à se dici tale, quale est: quoniam si seipsa anima cognosceret, & inteligeret, non esset potior ratio, quod dormiens appelletur sentiens, quam vigilans.

Etiam alia ratione idem robora-re autumant, quia nullum album tale appellari sciunt sine albedine: neque ullum calidum sine calore, accidentibus realiter distinctis à subjectis denominatis eisdem. Ad

Quomodo fiat notitia intuitiva & abstractiva ut omnes opinantur.

Quid Gregorius Ariminensis de notionephantasmatis credit, et quod alii.

Quid intuitiva & quid abstractiva notitia.

eandem normam inferunt ipsi, factendum fore, nullum cognoscens dici tale sine cognitione realiter distincta à cognoscente. Adducit Gregorius Arimin. citato in loco Augustinum pluribus in locis, præsertim in libris de Trinitate, id, quod retulimus multis verbis, asseverantem ut ipse creditit,

Hæc, quæ sub epilogo quodam à me sunt ducta de notitiis abstractivis, intuitivisque appellatis, explicant, quid apud physicos dicatur sentire, seu organo exteriore aliquid cognoscere. Non enim aliud esse creditur, quam sentiens esse affectum sensatione intuitiva, si ab objecto præsente simul & potentia accidens illud, dictum sensatio, genitum sit: aut abstractiva, si ab imagine, seu phantasmate rei absensis notitia ortum duxerit. Sed cum horum, quæ relata sunt, pauca, aut nulla vera esse existimentur, mihi incumbit, non tantum modum, quo noscimus, diversum à præfato explicare, verum & antecedentem ab omnibus fermè physicis receptum, veris, ac perspicuis rationibus divellere, ac improbare.

Autoris sententia explicans modum, quo sentimus.

Quæ ut expressius percipiuntur, contemplari decet, ab omnibus rebus, quæ sensibus exterioribus cognoscuntur, aliquid in organa facultatum sensitivarum induci: id que si diversæ rationis est à re gigante, species dicitur, ut quæ in medium, ac oculum inducit à colore, aut quæ à sapore in gustandi organo generatur. Verum si ejusdem rationis est cum producente, non propriè species dicitur, quamvis sensitricem facultatem sic, ut species, afficiat, sed nomen rei generantis sortitur, ut calor in tactrice vi genitus, calor ut ejusdem genitor appellatur, ipso deserviente ad sensationem, ut species coloris ad visionem. Hæc ab omni fermè

Physicorum schola recipiuntur, excepto Okam, & ejusdem sequacibus, quos convicisse in nostro opere nedum ædito reor.

Ulterius scire convenit, hujusmodi species, aut accidentia consimilia genitoribus inducta in organa facultatum, quibus exteriora immediate cognoscimus, nequam posse dici sensationes, ad hunc sensum, quod ipsa sint forma sentientis, ut calor calidi, aut color colorati, aut figura figurati: quia ipsa esse immediatas causas sensationum, sine quibus sensationes naturaliter esse non possent, existimamus. Habent enim hæc se non aliter cum organis affectis, ut Aristot. secundo de Anima, text. Comment. 21. quam pes in generatione vestigii, aut sigillum terreum in figura-tione ceræ, sed horum nullum est forma figurati, absente enim pede, manet vestigium ejus in cinere: & remoto sigillo, non abest ceræ figura ab eodem relicta: ergo quid aliud dicendum restat, dici horum figuratorum formam? Quæ enim qualia dicuntur, non sine ipsis formis talia dici valent. Et cum nihil in cinere, aut cera maneat, quo sic configurata prout sunt dicantur, præter talem modum se habendi illarum partium configuratarum, ergo ille modus forma dicendus est, & nihil aliud, id enim quādiū durat, denominat rem figuratam prout est. Nec modum illum rei singatis esse accidens ullum reale distinctum à re taliter se habente, ut infra discutietur, sed idem esse cum re configurata existimante.

Tertiò perpendite, nequaquam sufficere organum sensitivum esse configuratum à re, quæ sentitur, ad hoc, ut ille modus se habendi organi appelletur sensatio, sed ultra id requiritur animadversio. In hoc enim sensatio differt à forma-

Non sufficere inductionem speciei in organum ad sensationem fieri nisi attentione adgit.

tione, quæ sit à sigillo, vel pede, vel quavis alia re sui figuram in rem aliam imprimente: quod statim ut illa impressa est, res figurata appellatur ejus figuræ, cuius est. Quod organis sensitivis nostris nequaquam accidit. Illis enim configuratis, prout ab specie, vel re proportionali speciei fieri datum est, nemdum sentientes dicuntur homines, nisi aciem mentis in rem illam, quam noscere volunt, vertant. Unde quasi in proverbium exiit, fortibus imaginationibus intenti, delapsa sub oculis non videmus. Nullus enim adeò stolidus erit, ut fatari velit, objectas res nostris sensibus, non eos afficere, cùm à sensu aliis intento non percipiuntur, eventibus ipsis oppositum docentibus. Non enim minus calemus ab igne præsente, cùm calorem non percipimus, quoniam arduis negotiis vacamus, quam cùm igni astantes, nullis rebus impediti calorem igneum noscimus.

Ex relatis manifestum restat, sentire nihil aliud esse, quam organum facultatis sensitricis indebita distantia situm, ac sufficienter dispositum, affici ab specie sensati, vel ab homogenea qualitate ejusdem rei sensatae, facultate, quæ sentit objectum, animadvertente. Unde sensatio dicenda erit ille modus se habendi sensus animadvertis. Verum cùm adhuc hisce verbis mens non omnino capere quidditatem sensationis intelligit, ulterius explicetur ipsa, proferentes, sensationem intuitivam, esse notiōnem quandam rei corporeæ actu præsentis, vel immutantis actualiter, seipsa, vel alio sui vices supplente: notio enim, seu cognitio, nomen generis sortitur, superiorque est sensatione cognoscere enim dicuntur tam sentientes, quam intelligentes, ut voces istæ nunc sig-

nificare volumus, quamvis aliter sentire de harum vocum significato, Arist. 1. *Posterior. cap. 2.* apparet. Sed non est, jam quod ita esset, nisi de nomine controversia. Notioque distincta rei præsentis nihil aliud est, quam quædam certitudo, seu fides nostræ mentis talis existentiæ objecti sensati qualis est. Cum enim dicor videns distinctè colorem parietis præsentis, certus sum, colorem illum ibi esse, ubi stat, ejusque figuræ esse cuius est, & hoc tantum parietem videre dicitur.

Si quæsieris primum, an ad hoc, ut dicatur anima sentiens parietis colorem indigeat aliqua alia re præter attentionem, & affectionem factam in organo facultatis sentientis, & quod sufficiat ille modus taliter se habendi animæ, ut ipsa dicatur sentiens, an quid aliud requiratur. Etiam si secundò interroges, an talis modus habendi animæ sit quid distinctum ab ipsa anima, an identificetur ipsi, ut sensio sententi, vel figura figurato, ut prius dixi?

Ad primum respondebo, quod nihil aliud est (ut dixi) hominem cognoscere distinctè intuitivè aliquam rem, quam animam illius esse certissimam existentiæ rei sitæ ubi est, visæ, aut gustatæ, aut quovis alio exteriori sensu perceptæ. Quod non aliter fit, quam ad affectionem organi animam informantem affici (eo modo quo indivisibilis substantia, potest) prout ipsum affectum est: quam affectionem in se animadvertis anima, dicitur videns rem, non enim aliud est videre rem, quam vertere intuitum animam in suam affectionem. Ut si cereæ data esset facultas sensitiva, quæ nosceret figuram sigilli ferrei actu imprimenteris in eam, sola versione sui intuitus in figuram in se ipsam

*Solvuntur
duo quæsita
attinentia mo
do sentiendi
nostræ.*

impressam, absque ulteriori affectione, figuram sigilli diceretur tunc sentiens, cum intuitum suum vertet in se, non se per hanc versionem noscens, sed sigillum, quod illam afficit.

Si objicias adversus hanc nostram sententiam, quod ego ipse, qui promissi nihil dicturus, quod quilibet in suis actibus non experriatur, fingo modum videndi, quem nullus in se experitur, cum dico videntis animam intuitum suum vertere in se affectam ad affectionem organi animati, & aliorum sensuum organorum facultates dici eodem modo sentientes, cum verit intuitum anima informans ea in se affectam ab objectis. Nam quilibet cum videt colorem parietis, non aliud, quam parietem coloratum videre se asseverat, & non, ut ego existimo, cernitur parietis color, visa scilicet ab anima affectione sua, quæ facta fuit à colore. Si enim sic accideret, ut ego retuli, duplē cognitionem videntes habituri eramus: unam ipsius animæ cognoscentis se affectam: alteram ejusdem cognoscentis colorem parietis per quandam illationem, scilicet, quia ego in anima sic sum affectus, ergo color talis in tali distantia situs est. Quorum nullum quis unquam in se novit.

Solvo quippè hanc objectionem ego, proferens objicientem decipi, cum credit, quod anima vertens faciem suam (ut more Augustini loquar) in se affectam ab objecto ad affectionem organi, dicatur notio sui: quin existimo versionem illam animæ non terminari in seipsum ut in rem notam, cum se nosse non vult, sed in rem exteriorem affectivam, ut sit illa animadversio animæ ratio & forma, qua objectum extrinsecum noscitur, ipsa anima per sui animadversionem tunc

non se noscentem. Et ne me machinari impossibilia, & à capti hominum aliena existimetis, monstrabo quid simile ab omnibus physicis necessitate compulsis passim assertum. Credunt enim tam Gregorius Ariminensis, quam cæteri, rem absentem cognosci abstractivè, imagine rei taliter afficiente potentiam interiorem, qua absentia cognoscimus, ut ipsa facultas interior dicatur noscens rem, quæ genuit illam imaginem: sic, quod cognitio illa non terminatur in rem, quæ præsens afficit, sed in rem, quæ abest, & forsitan jam non est. Et ipse Gregorius non tantum hoc asseveravit, verum quod phantasma, seu imago interior intuitivè cognoscitur: & quod unica cognitione anima intuitivè cognoscatur phantasma, & abstractivè extrinsecum objectum: omnibus aliis physicis, quibus ego fidem adhibeo, oppositum credentibus, imaginem scilicet, aut phantasma, nequaquam cognosci. A quorum dictis ego non devio, cum affirmo, quod anima seipsum affectam ab objecto animadvertis, illa animadversione non dicitur noscens se, sed cognoscens objectum, quod affectionem producit.

Item nullus est, qui nesciat, colores cælestis arcus non esse veros, & tales, quales dijudicantur. Etiam multiplices colores colli columbarum adeò fictos esse, ut qui relati sunt. Ac non ob aliud fictos dici, nisi quia non sentiuntur res, quæ visionem efficiunt, sed diversæ, affecto organo à rebus, quæ sunt, & non sentiuntur, taliter, ut à rebus, quæ sunt, & cum immutant, sentiri sunt solitæ. Illa enim reflexio lucis solis, quæ in diversis nubis partibus soli oppositis fit, taliter oculum immutat, prout color puniceus, & rubeus, ac viridis immuta-

re assueverunt: idèque & si cum deceptione, tamen judicamus iridem illis tribus coloribus variegatam, quorum nullo illa affecta est, de ipsa luce reflexa, ut de re non sensata, judicium nullum edentes, sed alterius rei sensationem non inducentis notionem habentes. Et lux etiam reflexa à diversis plumis columbae diversum situm obtinentibus afficit visum prout illi diversi colores, qui putantur esse in collo columbae, afficere sunt soliti, ut ii, qui non sunt, esse opinentur, eo, qui afficit, putà luce reflexa non cognita visu, quibus simile accidere animæ affectæ à re visa fatemur, cùm rem extrinsecam videt. Ipsa enim seipsa immutat, notionem non sui, ut lux iridis reflexa, sed objecti quod afficit inducens. Neque dumtaxat duobus exemplis ductis cognoscuntur ea, quæ sunt causæ sensationum, quod non ut objecta extrinseca sentiuntur: anima, quæ seipsum afficit, non cognita, verùm in quavis deceptione sensuum idem accidere, certi sumus. Nam si quis asseveret cùm Luna in ecclipsi ejusdem appareat rubea hanc peregrinam affectionem, ipsa non recipiente, dicendam esse conspectam à nobis, falsa proferet. Si enim id sentiri dicitur, quod sui notionem infert in sensum, cùm Luna non tam sui sensationem inducit in sensu, qualem verè habet, sed diversam: ergo ipsa non est dicenda sentiri à sensu visus. Nisi id appellaveris, sentiri ab aliquo, quod organum sensus illius afficit: sive afficiens immutatione illa sentiatur, seu non, quod impropriè sentiri, dicetur.

Citatur Augustinus, ut quod codem modo loquendi utatur, quo author.

Jurisperiti dicere solent, se erubescere, cùm sine lege loquuntur. Quo rubore perfunderer ego, qui non adeò petulans sum, ut id affirmare ausim, quòd ratione pri-

mùm, deindè authore aliquo partim, aut in totum roborari non possit, nisi iis, quæ mox dixi, tueri possem. Primo ergo hæc ita se habere, ut asserta sunt, rationes ducatae, ac ducendæ probabunt. Secundo Augustinum hoc sensisse, adversosque nobis posse compelli idem dicere monstrabo. Porro distinguitur in præsentiarum animadvertere animam aliquam rem à cognitione illius rei. Stat enim facultatem aliquam aliquid animadvertere, quod non cognoscit, ut de potentia interiore cognoscente abstractivè objectum sola animadversione modi se habendi animæ geniti à phantasmate absque ejusdem modi notione referebamus. Quod Augustinus innuisse decimoquinto de Trinitate per sex columnas à principio illius libri videtur, cum refert. [Deducto enim corpore, si sola anima cogitur aliquid ejus est mens tamquam caput ejus, vel oculus, vel facies. Sed non hæc ut corpora cogitanda sunt: non igitur animam, sed quod antecellit in anima mens vocatur.] Ergo si aliquid in anima proportionatum oculis corporis scitur esse, non à ratione alienum erit, hoc quidquid est, de quo statim disseram, posse verti versus animam affectam, & sui animadversione non se noscens dici, cùm se noscere non vult, sed cognoscens rem, quæ primum afficit ipsam, quæ res extrinsecum objectum est. Ut si Deus indidisset vim alicui enti, ut lapidi cuidam, qua statim, ut ipsum præsentaretur coram oculis sanis cuiusvis hominis, ipse homo cerneret intuitivè solem, sive adesset, seu abesset ipse, per immutationem factam à lapide illo in oculos humanos, qua lapis non cognosceretur, sed sol præsens, aut absens intuitivè cerneretur.

*Præsens, &
afficiens potest non nosci,
& esse idem
ratio ut alia
noscantur.*

*Absentia posse
nosci intuiti-
vi.*

Neque eventum impossibilem existimetis: quia supposui non cognosci quod præsens est: etiam absens intuitivè posse cerni: audientes tantam physicorum catervam primum imagini servatæ in absentia objecti tribuentem, quæ, ut retuli, non cognoscitur, re, quæ produxit, cognita. Secundò etiam citra miraculum sæpè contingente illis, qui tempore eclipsis solaris attentius solem speculantur, etiam ipsum oculis aversis intuentes. Sed quoniam scio posse hoc secundum cavillari, dicendo non intuitivam visionem illam solis esse, sed quorundam corpusculorum spirituorum intra oculos vi solis illustratorum. Quia si intuitivè sol cernetur, in situ, ubi est, conspicetur, quod illis visionibus non accidit, ideo ducam eventus alios frequentius contingentes, quibus, quæ absunt, cernuntur intuitivè: hoc supposito, illud abesse dici, quod vel in tanta distantia situm est, ut quantumvis medium esset ab omni opaco expers, ipsumque sufficientè illuminatum, non posset in oculum sui species vitaliter afficienes inducere: quia extra sphæram activitatis illius objecti sic immutantis ipsi oculi siti erant: & hoc modo sæpè quæ absunt, cernuntur à myopia oculorum affectu laborantibus, interpositis per specillis inter oculos, & res, quas cernere non poterant sine illis, quia distabant, & illi propter malum affectum tantum proxima conspicere valebant, vel quod, & si organum facultatis visivæ intra sphæram suæ activitatis contineat, non tamen in organum facultatis visivæ suam actionem inducere potest, opaco aliquo intercluso inter rem videndam, & organum facultatis visivæ. Uti si proximus quis alicui rei cohiberetur illam cons-

picere: quoniam paries, vel aliud opacum interceptum esset inter rem, quæ videnda erat, & visum, quo interdiceretur visio. Et hoc secundo modo, quæ absentia sunt, etiam conspicere sæpè datur, velut si in fictili vase in sui fundo depicto figura Alexandri, vel alterius rei, conspicere figura non concedetur, quia fictilis vasis paries esset impedimento deductioni speciei à fuado illius ad oculum usque, si per rectam lineam visio facienda esset: quæ figura modo non conspiceta, statim conspicienda se offeret, si idem vas aqua repleatur, quod ante vacuum aqua erat, refractis speciebus à perpendiculari, ut perspectivi inquiunt, & sic oculum pertingere valentibus, quæ rectum iter agentes, oculum attingere non valebant. Nihil mirum ergo si vi naturæ id sæpè fiat, quod absens cerni valeat, à Deo id fieri posse concedi, quin absurdum aliud testari: potest enim Deus taliter afficere oculum, prout species, quæ prius non afficiebant, nunc aqua immissa in vase afficiunt. Hanc enim vim causæ efficientis, Deum posse supplere, nullus ambigit. Sed aqua in vase immissa valuit notionem intuitivam, figura prius non visa, nunc gignere: ergo oculo sic affecto à Deo, etiam conspicietur intuitivè, quod non noscebatur.

Si objeceretur, si ita esset, ut retuli, sequi, posse Deum decipere, quia valeret gignere notitiam intuitivam rei non existentis. Quod aut inconveniat, aut non, hic non indagatur, sed dato quām maximè inconvenire, hanc objectionem solverem ego per id, quod non sequitur, genita notitia intuitiva rei non existentis in oculum Petri, ipse testaretur illam rem quæ non est, sibi præsentem esse, qua assertione deciperetur Petrus, ergo

*Objicitur con-
tra asserta,
scilicet, quod
Deus posset
gignere noti-
tiam intuiti-
vam.*

ergo Deus deceptionis causa foret, & deceptor dici posset. Nam quod non sequatur, patet. Quia ignorantia Petri potius fuisset causa deceptionis illius, quam Deus ipse. Si enim Petrus doctus esset, scivisset potuisse Deum fecisse illum intuitivè noscentem rem non praesentem: & si hoc sibi compertum esset, affirmasset, verum esse rem, quam intuitivè novit, adesse, nisi à Deo fuisset notio intuitiva illius rei in se Petro infusa, qua conditio addita, jam non deciperetur Petrus, immò vera scivisset. Nam si hoc suffecisset ad appellandum Deum deceptorem, quod notione aliqua in nobis genita cognoscere mus rem aliam esse, quam est, pas sim deceptor dicendus esset, qui talem naturam facultati videndi tribuit. Quod si lux certo modo refracta in nube oculum afficiat, hominem cogit cognoscere arcum tricolorem in ea parte nubis esse, ubi nullus color est. Et si rem per ingentem à se distantiam sitam homo videt, multò minorem, quam sit, cognoscit: quæ etiam notio nes intuitivè, & fallaces sunt, ut illa, de qua agebamus. Sed Deus in relatis naturis hominibus collatis, non fallax dicitur, sed summè verus est: ergo nec faciendo hominem cognoscentem intuitivè, quod non est, fallax dicendus erit.

*Quæ dicantur sensatio-
nes deceptio-
rie, & quæ non.*

Et quia de deceptione contingente in visu circa res, quæ quam maximè distant, tetigimus, scire expedit, quod secundum meam sententiam hujusmodi cognitiones, quibus magnitudines aliæ, quam sunt, judicantur, & aliæ hujus generis, quæ deceptoriae cognitiones dicuntur, non possunt verè dici, esse eorum objectorum, quæ sunt, sed eorum, quæ non sunt. Ut enim saepius dixi, non inconvenit, quod non est, cognos-

ci, aliquando ut non existens, aliæ falso, & deceptorie, ut existens. Non enim sequitur, est notum, ergo est, plusquam, est homo mortuus, ergo est.

Quippe qui lunam conspicit, eam non majoris quam pedalis diametri judicans, & cognoscens, non verè cognoscere visione illa lunam dicetur: quod si ipsam videret, non multò tota terra minorem diametrum ejusdem esse cognovisset. Nam ut qui in nube colores esse, qui non sunt, visu existimans, decipitur, & non videns colores existentes, sed qui non sunt, verè dicitur: ita, qui lunam minorem quam sit, cognoscit, nequaquam verè lunam videns, & cognoscens dicendus erit, sed eam, quæ non est, percipiens. Nisi opinetur aliquis ut dixi, illud dicendum cognosci, quod afficit potentiam sentientem, & cùm luna suis speciebus immutet visum, eam appellandam visum existimet, in qua opinione decipietur. Jam enim non exiguis exemplis probavimus, non pauca afficere facultatem sensitivam, quæ non cognoscuntur, & inter reliqua phantasmatu relictæ in absentia objectorum immutantia facultatem interiorem cognoscentem abstractivè duximus: quæ sic afficiunt, ut sua affectione eadem non cognoscantur, sed illa, quæ ipsa genuerunt.

Objici posse adversus nos vide tur, sequi ex dictis, tantum verè dicenda cognosci, quæ exactè talia qualia sunt, cognoscuntur: & cùm, quæ plus justo, ut verè dignoscantur, absunt, non exactè percipiuntur, sequetur fermè omnia, quæ sentire aliquo ex sensibus exterioribus dicimus, non verè dici sensibus exterioribus percipi. Nam potior pars eorum, quæ sen-

*Objectionem
quandam co-
cedit author.
ut verum pre-
bantem.*

tiuntur, non exactè percipiuntur. Quam consequentiam ut bonam concederem ego, & simul consequens. Nisi impropriè illud vocaveris cognosci, quod afficit facultatem congnoscentem, & si in sui exquisitam notitiam cognoscentem non trahat.

Priusquam ulterius procedam in solvendis dubiis, quorum solutio ni incumbo, explicare decet Augustini sententiam ductam ex decimo quinto de Trinitate, affirmantem in anima esse mentem, velut caput, aut oculum, aut faciem, dicendo intelligendam esse, ut ipse Augustinus innuit, non partem quantitativam ullam in anima esse fingendam, quæ caput, aut oculus, sive aliud peculiare membrum sit, sed animæ nostræ diversas facultates esse illa quæ finguntur membra diversa motrix, concoc trix, irascibilis, concupiscibilis, & sentiens, ac intelligens, quæ ultima mens dicitur: atque hæc pos trema, mens appellata, adeò libera est, ut possit quandoque sese mens in absentium, aut præsentium cognitionem vertere: nonnumquam aliorum præsentium notioni adeò attente vacare, ut aliorum objectorum astantium cognitioni non incumbat, ut suprà dicebamus: etiam sui ipsius notioni operam dare, omnibus aliis cognitio nibus posthabitatis.

Universa, quæ retuli, si (ut de cœt) perpendantur, omnes doctores de actibus animæ agentes hoc dumtaxat convincere debet, asseverare animam ipsam taliter se habentem, tantum universas notio nes suas esse: cum sœpè contingat, ipsam adeò attente animadvertere aliquam figuram elegantè depic tam, ut nihil, quod illi astet, præ ter figuram videat, visione, ne quaquam, accidens distinctum ab

anima esse, valente. Namque si accidens esset genitum naturaliter à facultate vitoria, & objecto, ut communis physicorum schola testatur, sequeretur, universas res oculis objectas, necessariò esse cons piciendas, quantumvis contemplationi figuræ pulchræ depictæ in cumberet visus. Consequentia probatur. Quia si productio visionis, quod accidens realiter distinctum ab anima est, naturaliter gignitur à facultate visiva, & præsentia objecti ut hi credunt, cur potius figura, cuius contemplationi vacat visus, generat accidens illud, dictum visio, quam alia, quæ visui objiciuntur? Quippè si dixeris, quod anima valde intenta visioni unius figuræ non potest generare aliam, hoc nihil valere, vel ex hoc constat: primò, quia ignis non imbecillior est ad producendum unum ignem quam mille. Etiam quia si aliquod instrumentum præter organum ad hujus visionis productionem, putà spiritus visivi à cerebro missi necessarii es sent ut attentio fieret, cum maximè incumbit visus contemplationi figuræ, oculos illis abundare certum est. Organum enim illud, quod ullam exercet operationem, ad se trahit spiritus, quibus perficiatur, vel anima eosdem mittit. Ob ergo organi defectum, aut spirituum penuriam, nequaquam dici potest attentionem deesse, aut vi siones illas non fieri. Neque in potestate voluntatis est non videre, quæ objiciuntur, cum visio naturaliter producatur. Ergo, ut prædixi, omnia, quæ coram oculis præsentantur, conspicienda erant: cum omnes causæ, quæ requiruntur, adsint. Anima enim ipsa, quæ concurrit ad generationem visionis figuræ, adest, & cætera adesse probavimus, ergo visio aliorum ob*

*Improbatur
communit opio
rio de modo
sentieendi.*

objectorum, ultra notionem figuræ, gignenda erat, quod non contingit.

*Solutione ad
versariorum
authoris sen-
tentiam robo-
rari.*

Nihil enim restat, quo huic rationi facere satis possit, præterquam dicere, attentionem animæ deesse ad visionis productionem, & hanc non fieri ab spiritibus: Animam enim requiri ad visionis generationem iij dicent, sed non quomodocumque habentem, sed aut nulli rei valdè attentam, aut ei, cuius visioni incumbit. Quam solutionem recipio ego ut sufficiensem. Et sciscitor ab his: quid sit illa animæ attentio, sine qua visio gigni non potest? Si dixerint, quod sit aliquod accidens distinctum ab ipsa anima: quæro cùm ad productionem visionis figuræ illud in anima sit, cur non sufficiat ad producendum aliorum objectorum visiones? Si respondeatur, quamlibet rem visam indigere peculiari attentione, quæram iterum, quis attentionis genitor est? Si dixerint objectum, & facultatem visoriam, & animam, hoc verum esse non potest. Quia ubi alicui rei conspectæ immodicè vacamus, & alias subditas oculis non conspicimus, illa omnia coéunt, & visio non gignitur, ergo aliquid aliud præter hæc tria requiritur ad attentionis productionem. Si id fateantur, dicentes alio accidente afficiendam esse animam ad attentionis generationem: quæram quæ causa sit genitrix illius alterius accidentis requisi-
tæ ad generationem attentionis? Si aliquam prædictarum trium protulerint, putæ objectum, aut facultatem, aut animam, mox quæram, cur potius genitum fuit illud accidens præcedens attentionem concurrentem ad generationem visionis figuræ elegantis, quam ad productionem attentionis requisitæ ad cognitionem domus præsentis affa-

bre fabricatæ? Et cùm nulla pos-
sit reddi ratio, nisi fingendo aliud
accidens requiri, quo potius in il-
lam attentionem quam in aliam
determinetur, in infinitum proce-
dendum esse dicere compelluntur
isti. Restat ergo nequaquam dicen-
dam esse attentionem animæ acci-
dens ullum ab anima distinctum,
sed eandem volentem taliter se ha-
bere circa illud objectum, quali-
ter non se habet circa alia, dici
sui ipsius attentionem. Ergo si hoc,
sine quo visio celebrari non potest,
modum habendi animæ certum es-
se probavi, cur visionem ipsam
etiam modum habendi animæ non
appellabimus, ut est?

Si à me interroges, quid sit ille
modus habendi animæ dictus at-
tentio, & quo differat ab alio mo-
do dicto visio, & modi habendi
animæ diversas res videntis quid
sint, & quo inter se distent: dicam
me eos modos non cognoscere à
priore, sed à posteriore per effec-
tus diversos, sed conjectari eos
proportionales esse diversis sitibus
corporum nostrorum, & prout no-
bis conceditur infinitos situs, ac
ubi infinita mutare, syncathegore-
maticè quidem, id est, non tot,
quin plura, ita ipsi animæ permis-
sum est infinitis modis se habendi
affici. De quibus omnibus fusè sta-
tim dicetur, ac postmodum etiam
perficietur, ubi Augustini decre-
ta nostris palam favere monstrabi-
tur.

Puto me sufficienter explicasse
veritatem hujus negotii hucusque
perperam intellecti, etiam cuivis
perito physico monstrasse, bruta
sentire non posse, cùm ex dictis,
ac dicendis necessariò eliciatur si
ipsa sentient, animas eorundem
modo dicto cognituras objecta a-
nimadvertentes, scilicet affectio-
nes in sensu factas ad affectionem

*Diversi modi
habendi ani-
mæ, tam cum
sentit, quam
cum vult at-
tentare esse, ac
alii.*

organorum , cùm non sensationibus accidentibus , neque alio modo , quam dicto , possint animalia sentire , quæ facultas tantum animæ separabili à corpore convenit , ut infra ostendetur , cum de immortalitate animorum in fine hujus operis tractabimus . Sed antequam de ulla alius rebus agam , explicare placet , an modi habendi animæ , sint quid distinctum ab ea , an non .

Solutio dubii. Hoc secundum dubium , ut dixi sciscitabatur , an modus ille habendi animæ noscentis objectum extrinsecum , qui formalis cognitione est , esset aliquid extrinsecum ab ipsa anima , an identificaretur eidem , solaque ratione distingui diceretur . Cui breviter respondeamus , affirmantes , ut prædictimus , non realiter , sed ratione ipsa differre . Impossibile enim existimamus , cognitionem ullam esse rem distinctam entitatib[us] à cognoscente : quod verum esse in sensationibus exterioribus in præsens exactè probemus .

Sensationes exteriores non esse quod realiter distinctum ab anima probatur. Pro quo primò ab adversis interrogatur , an illa qualitas , quæ visio , aut olfactio , aut quævis alia sensatio exterior appellatur , sit accidens corporeum , existens totum in toto , & pars in parte : an spirituale , totum toti , & totum cuilibet parti adstans . Si primum dicatur , eo videre , aut sentire , ullum quantum nullus posset , ut mox colligam , & spirituale nequaquam esse probabo : ergo nullius naturæ esset , quod entibus contingere implicat . Si enim ens est , alicujus naturæ esse tenetur : & inter spiritale , & corporeum nullum est medium : ergo si nullius harum naturarum est , restat non esse . Quod si corporeum esset accidens , visio , nequaquam , possemus sensationibus his quantum aliquod cognoscere .

Sic deducitur . Sit paries albus centipedalis longitudinis , ac latitudinis , coram oculis Petri , aut Pauli adstantis , producens visionem in oculum Petri , aut Pauli , quam extendi in partem centralem crystallini , seu glacialis humoris , idem enim sunt , si ibi visio fit , aut in cruciacione nervorum opticorum , si illic visio perficitur , necessariò est confitendum , cùm accidens corporeum ipsa sit , sequendo eorum placita , extensem ergo illud accidens in predictas partes crystallini humoris quædam pars dextram illius afficit , aliam sinistram . Ulterius ergo medietate dextra tantum medium objectum ad sui productionem concurrens percipietur , & sinistra aliud medium cognoscetur : & nihil erit in nobis , quo dextrum , ac sinistrum percipiemus , neque quid quod de centipedali illo colore judicium elicere posset : cùm nulla pars illius organi visoriæ possit de universo colore , sed de sua medietate asseverare , deest enim cuilibet parti sensationis alterius , sine qua illa , quæ produxit sui sensationem , sentiri non potest . Implicit enim aliquid sine sensatione sentiri . Neque hoc argumento tantum probatur non posse centipedalem colorem cognosci , sed neque semipedalem , aut ullum quantumvis parvum quantum sic colligendo , cognosci deducitur . Nam sensatione medietatis sinistrae crystalloidis tantum diuidius color generans eam sentitur : ergo medietate medietatis sensationis tantum quarta pars totius coloris percipietur , & altera medietate alia quarta totius coloris videbitur , & nulla parte tota medietas dignoscetur : cum nulla unica pars sit , quæ utraque medietate medietatis sensationis sit affecta : sine qua affectione , sensatio-

ne dicta, color quantus sentiri secundum eos non valet. Eodem as-
tu colliges tantum punctum quan-
torum cognosci visione. Et eisdem
rationibus tantum punctum tacto-
rum sentiri à tactu, & aliorum ob-
jectorum sensationes tantum punc-
torum, non quantorum fore pro-
batur, quo nihil absurdius.

*Ratio 2. con-
tra eos, qui
testantur sen-
sationes esse
accidentia rea-
litè distincta
ab anima sen-
tiente.*

Secundò interrogo, an sensa-
tiones eæ, quæ accidentia distinc-
ta à sentiente ab adversis appellan-
tur, perfectiores sint objectis pro-
ducentibus, an minus perfectæ,
vel æquè ut objecta producentia
perfecta sint. Nullum horum esse
posse probavimus: ergo sensatio-
nes qualitates distinctas à sentien-
tibus dari nullus mentis compos
affirmavit. Non posse ullum ex his
ultimis accidere, probare non im-
moror, quod notum sit, sensatio-
nes, quæ vitales immutationes
sunt, perfectiores esse accidenti-
bus producentibus notitias sensiti-
vas. Primum ergo nec dici posse
probemus per hoc, quod nihil per-
fectius se producere possit, qui
enim quid non habet, conferre il-
lud non valet: ergo objecta, quæ
perfectionem sensationum non ha-
bent, tribuere ea sensationibus
non potuerunt.

Huic rationi forsan tibi facilis
apparebit responso, dicens, non
à solo objecto gigni notitiam, sed
ab objecto simul, & facultate cog-
noscente, ut Beatus Augustinus
propè finem noni libri de *Trinitate*
retulit, dicens: [Ab utroque
enim notitia paritur, à cognoscen-
te, & cognito.] Et etiam dices,
quod non tantum ab objecto, &
facultate sensitrice fiat notitia, sed
quod in visione lux, quæ spiritali-
or ipso colore est, concurrit ad
productionem visionis. Sed horum
quodlibet verum esse non posse,
probatur.

Tom.I.

Quia vel objectum, & facultas
sentiens si ad notionem producen-
dam ambo conveniunt, produ-
cunt notitiam ut causæ partiales ac-
cidentaliter concurrentes ad ejus-
dem productionem, vel ut tota-
les, & altera in alterius virtute, ut
causæ, quæ essentialiter subordi-
natæ dicuntur, ceu sol, & homo
in generatione hominis. Non pri-
mum, cùm illius messis causis con-
cedatur eam partem quantitativam
effectus posse producere, quam in
genere causæ fortiuntur. Si enim
tres homines æqualium virium tra-
herent trabem, quam nullus, ne-
que duo movere poterant, cuvis
concedetur, posse trahere tertiam
trabis partem. Et per idem simile,
si duo objectum, & facultas con-
veniunt in productionem notitiae,
ut hujusmodi causæ, quælibet ea-
rum medietatem quantitativam
constituet. Sed medietatum sensa-
tionum quælibet pars est perfectior
essentialiter colore, aut calore, aut
sapore producentibus, ergo se per-
fectius essentialiter producent hu-
jusmodi objecta: quod fieri non
posse, probatum linquimus.

Si enim opinans species coloris,
aut saporis, fore perfectiores ob-
jectis producentibus, minusque ma-
teriales ipsis esse existimas, & has
immediate concurrere ad produc-
tionem notitiae putas, indeque con-
tingere, non ab imperfectiore, sed
perfectiore produci notitiam: etiam
hoc attestans, deciperis primò.
Quod cùm vitare inconveniens
unum niteris, in aliud ejusdem for-
mæ incidis. Torquetur enim statim
argumentum relatum ad speciem
perfectiorem colore, aut sapore
producente: quanto magis, quod
neque ob id, quod minus sensibili-
is species objecto gignente est,
ideo perfectior dicenda venit, non
enim insensibilior, quia spiritualior
est,

est, ut Angelus homine: sed insensibilior, quoniam magis ad non ens, quam objectum accedens, dicitur, quod imperfectioni datur, ut prima materia, (si verum est eam esse) insensibilior omnibus creaturis est, imperfectiorque eisdem.

Alio medio probatur non posse ab objecto & potentia oriri sensatio ut bucusque opinatum fuit

Secundo modo non posse convenire ad generationem notitiae objectum & facultatem, probatur, quod in hujusmodi genere causarum essentialiter subordinatarum, inferior non minus perfecta est effectu: homo enim generans, homine genito imperfectior non est, etiam quod inferior causa à superiori pendet, ut homo à sole: sed horum utrumque deest objecto: hoc enim non æquè perfectum ut sensatio est, quæ vitalis immutatio dicitur: neque pendet à facultate sensitrice in esse, neque in conservari.

Id, quoque quo diluebatur argumentum nostrum, luci & colori conferendo perfectionem æquipollentem notioni, cui cum colore tribuebatur productio sensationis, præteritis cavillis imbecillus est. Primò, quod lux non æquè perfecta ut sensatio est. Secundò, quod satori, & aliis objectis producentibus sensationes sine luce ulla conceditur facultas producendi, cùm hæc absque luce sensations inducant.

Augustini. Augustini sententiam, quam, ut faveant suis partibus, adducunt ex 9. lib. de Trinitate, nihil eisdem favere, vel ex hoc patet, quod ibi gigni notitiam ex cognoscente & cognito non in alium sensum recipiendum est, quam, ut si dicatur, ex cera & sigillo ferreo gigni in certam figuram, quæ non distat à re figurata. Scriptis antecedentibus sufficienter ostendisse me existimo sensations si accidentia essent, non de genere eorum, quæ corpori in-

sunt, appellanda, neque esse. Sed quod neque de illis sint, quæ spiritalia dicuntur & sunt, probandum restat.

Quod unica evidenti ratione colligitur. Nullum corporeum potest spirituale partialiter, vel totaliter gignere: sed objecta sensuum exteriorum sunt corporea (insunt enim corporibus) ergo in sensationum generationem minimè concurrent. Antecedens pro majore probatur. Quia differunt plusquam genere spiritale & corporeum, & disparata plusquam homo & lapis sunt. Objectis ergo nequaquam in productionem sensationum venientibus, restat à sola vi sensitrice sensationem gignendam: quæ si corporea esset, etiam afficere eam non valeret, ratione relata. Si verò spiritalis incorporeaque sit, neque ea re indigere, ut sentiat, fatendum est, quam ipsa sola in se producit. De quibus post redditas universas causas motuum brutorum fusius agemus.

Distulimus solvere tria dubia, quæ supra quæsita fuere, ut in hos spatiostissimos campos speculacionis actuum animæ vagari liceret. Ad eorumdem ergo solutionem redeundo, in memoriam revoco legentes, primum dubium ambigisse, utrum imagines, seu phantasmata relicta ab his, quæ sensibus exterioribus apprehensa fuere, sint corpora, an accidentia, quæ ulli parti interiori insunt. Cui facere sat is incipio, duabus assertionibus mihi verissimis veritatem ostendendo.

Prima est, nequaquam posse esse accidentia inhærentia animæ hujusmodi phantasmata. Secunda, quod sive sint corpus, seu accidentis inens corpori, corpus, cui insunt, necessariò se junctum ab homine ipso esse, etiam si intra cerebrum ipsius contentum sit.

Incipit solvere tria retro quæsita dubia.

Phantasmata quod sint probatur pri- mumque, ac secundum du- bium ex tri- bus solvuntur.

Prima pars duabus rationibus probatur. Prior sit, cognoscente & cognoscibili in distantia requisita ad cognitionem sitis, & cognoscente nulli alteri rei intento, necessariò sequitur cognitione. Sed anima cognoscens est, & phantasma cognoscibile, ad sensum supra explicatum: ergo semper phantasmatata, cum à cognitione cæterarum rerum vacamus, noscenda erant. Cujus oppositum millies experimur. Fortassis solves, dicendo animam adeò liberam esse, ut veluti sibi licet, se non noscere, nisi cum vult, ipsa sibi semper astante: ita eidem fas esse, non noscere phantasmatata sibi inhærentia, nisi cum ei placet, ea cognoscere. Quod minimè verum esse, eventus docent. Nobis enim nolentibus, & circa alia meditantibus, offeruntur non raro semel aliqua phantasmatata rerum olim cognitarum, & iterum alia, velut coram oculis corporis excitat, & ad visionem promptis. Sæpiissimè si in viis, aut foro stamus, sese offerunt videnda, quæ ipsos oculos videre, compellunt. Ergo non potentiae illi interiori cognitioni licebit, adeò liberam esse circa cognitionem phantasmatum, prout est circa cognitionem sui.

Secunda ratio sit. Si imagines rerum quandoque sensu exteriori perceptarum essent accidentia animæ inhærentia, non esset unde ratio ulla assignari posset, cur, percussio occipite vulnere insigni, contingat, aut omnium, aut quamplurimi rerum præteriorum memoriam amitti, etiam cur eisdem partibus morbis nonnullis laesis præfatum symptomata contingat. Nam si ad cognoscendum se anima prompta est, etiam ad percipienda phantasmatata sibi inhærentia prompta futura est, quantumvis corpus, cui inest, male affectum sit: sed seipso

noscunt complures, qui aliorum memoriam deletam habent, ergo alibi, quæ in anima sita sunt ea, quibus absentia cognoscimus.

Secunda conclusio, quæ referebat sejunctum ab homine necessariò futurum esse illud, quod phantasma appellatur, seu accidentis corpori illi sejuncto, seu corpus ipsum sejunctum phantasma sit, facile per modum correlarii restat probata, rationibus ductis. Si enim animæ non insunt phantasmatata, neque corpori animato adhærere poterunt. Consequentia probatur. Interrogando, an corpus animatum, cui insunt phantasmatata, sit pars vim cognoscentem habens, aut non. Si primum, statim insurgunt universa, quæ relata sunt, scilicet, semper phantasmatata esse percipienda. Si secundum dicatur, impossibile esset ullum absens cognosci. Hæc ultima consequentia probatur. Hoc, quod phantasma est, cognitionis absentium causa dicitur: sed hoc accidentis inens parti humanæ non cognoscendi, non potest migrare de illo subjecto in aliud, sed ibi non cognoscibile est, ergo in æternum incognoscibile erit. Ni decipior, sufficienter hæc omnia collecta sunt: tantum supereft probare illud, quod est, vel cui inest phantasma sejunctum à vivente esse, quod unico verbo probatur. Si animæ accidentis id non est, nec corporis animati accidens, ergo neque pars ulla corporis erit: omnes enim verè animati corporis partes animatae sunt. Si ergo corporis animati pars nulla est, & intra corpus ipsum esse necessariò fatendum est: cum eventus probet in potestate nostra esse cognosci absentia, quæ olim visa, vel audita fuere, cum volumus: cui potestati, quæ extra corpus sunt, non obtemperant, sed tantum nonnulla in cor-

*Phantasma
esse quod ab
homine sejunc-
tum & in ho-
mine inclu-
sum probatur.*

*2. Ratio qua
probatur phan-
tasmatata non
esse accidentia
animæ inha-
rentia.*

pore contenta: ergo de horum numero fore phantasma necessariò dicendum est. Quod aut erit pars spirituosa sic configurata, prout species rerum sensatarum illam configuraverunt, & sic non accidens, sed corpus taliter configuratum erit: cum figura à re figurata non distinguitur. Aut accidens genitum in substantia illa vaporosa ab specie rerum sensatarum, quod verosimilius est, dicetur: servabuntque hæc duo accidentia species, scilicet, genita ab objecto, & illa, quæ spiritui inseritur, normam luminis secundarii & primarii.

Quæ sit causa motus phantasmatis post uno tempore quam a labore. Porrò cum nobis excitatis occurront, ut diximus, cum volumus à multo tempore visa, aut audita, pore quam a etiam dormientibus in somnia quamplura visuntur, nobis nihil impetrantibus. Hæc corpuscula, quæ phantasmata sunt, motorem aliquem habitura sunt, quem voluntatem imperantem motum in excitatis, & libero utentibus arbitrio esse reor. Hæc enim cum vult revocare in memoriam patris defuncti imaginem, à cella illa, quæ in occipite sita est, ubi phantasma reconduntur (sive ipsa in cellam illam impulsa ab speciebus ea producentibus sint, seu ab anima illas partes informante aliqua vi, & aliquibus instrumentis, in cellam prefatam ducantur) corpuscula illa appellata phantasmata in partem anteriorem cerebri revocat, ipsa, ut dixi, voluntas, ubi facultas cognoscens absentia, per præsentiam suorum phantasmatum cognitionem ejus rei, cuius phantasma est, concipit. In dormientibus tamen & præter propositum aliqua meditationibus motor voluntas non est, sed aut vapor, seu humor aliquis, qui in corpore dominatur, qui talia movet phantasmata, qualis ipse est. Si enim sanguis fuerit, quæ

jocunditatem hilaritatemque inferrant, præsentabit facultati cognitrici interiori: si autem melancholicus succus, opposita phantasmata revocabit. De quibus supra egimus.

Quæ retuli, solvunt quæsita duo de tribus retro dubitatis. Alterum erat, an phantasmata essent corpora, an accidentia. Secundum, qua ratione compulsi fuerint medici, tribuere posteriorem partem cerebri loco phantasmatum. Ideo enim, ut diximus, quod experiantur, læsa ictu, vel pituitæ redundantia parte illa posteriore cerebri, memoriam præteriorum auferri.

Tertium etiam dubium, quo sciscitabatur, an phantasmata intuitivè cognoscerentur, cum absentia noscimus, an absentia tantum conciperentur, ipsis phantasmatis incognitis, prefatis quoquando explicatum remanet. Credimus enim nos quæ quondam cognita fuere, ipsa eadem seu sint, sive non, cognosci per abstractivam notitiam, phantasmate, quod causa immediata gignendæ notitiae est, nequaquam cognito. Noscuntur enim, ut prædiximus, tam quæ adsunt, quam quæ absunt, non aliter, quam anima affecta ex affectione organi, cuius ipsa est forma, hanc affectionem animadvertente ipsa anima, & per ipsam non se cognoscere taliter affectam, ut est, cum non vult se noscere, sed noscente tunc ipsa rem extrinsecam, quæ affecit, si notitia intuitiva est, vel extrinsecam, quæ olim affecit, si abstractiva notitia fuerit: sicutque, ut dixi, phantasma rei relatum in memoria, occasio, quod abstractivè nosceretur aliquid, retracto ipso phantasmate in anteriem illam partem cerebri, ubi vis, qua absentia noscimus, viget: ipsam afficiendo non adeò vigorose, ut

Tertium solvit dubium, putat, an phantasma intuitivè noscatur.

ut res, à qua genitum fuit, sed adeò mitius, ut veluti per immutationem intuitivam distinctam certa sit anima existentiæ objecti, ita per hanc abstractivam certa ipsa sit fuisse aliquando objectum idem.

O quam innumeri errores scholiarium magistrorum prædictis illustrantur. Decipiebantur fermè universi, credentes id, quod noscitur, necessariò futurum objectum suæ notionis: non intelligentes, nosci aliquam rem, non esse tendere facultatem sensitricem in illam rem, quæ noscitur, seu sentitur, & ibi ut in rem objectam terminari, ut Plato existimavit, & Galenus ejusdem æmulator credidit in libris de placitis Hippocratis & Platonis, asseverans, visionem fieri extra oculum usque in rem objectam missis quæ vident: quod perspicuis rationibus in alio loco delevimus. Sed non aliud esse videre aliquam rem, aut alio ullo sensu sentire, quam animam per modum à me explicitum certam esse existentiæ coloris cogniti intuitivè, cui convenire talem situm, ac talem figuram, & cæteras conditiones individuas certa anima est. Si enim terminari visionem in aliquem colorem, qui videtur, non est visum in colorem usque tendisse, restat visionem mentalem assertionem esse. Quæ assertio & si expresè ex aſſiduo uſu non percipiatur à vidente, aut quovis alio modo sentiente, exprimitur tamen, quoties videns interrogatur, an videat, cum respondet, se videre parietem, vel hominem objectos, quos ejus coloris esse, cujus sunt, dicit. In abstractiva cognitione etiam, seu sit rei quondam sensu exteriori percepte, seu fictæ, res cognita non suæ cognitionis genitrix est, sed aut phantasma relictum à re cognita, aut fictum, occasio cognitionis est.

*Quo hucusque
physici deci-
puebantur in
notionibus rā
intuitivis, quā
abstractivis.*

Cum phantasmata non esse accidentia species appellatae animæ inherentes probavimus, etiam veritatem alterius dubii illustravimus. Si enim corpora certo modo configurata, sive quibusdam accidentibus affecta sunt, impossibile est illa intuitivè cognosci: quia si taliter noscerentur, situs eorumdem, ac alia accidentia illis inherentia cognoscenda venirent. Ut quicumque certus esset, corpuscula illa, dicta imagines interiores, inclusa esse intra suum caput, ejusdemque coloris esse, cuius res, quæ abstractivè cognoscitur. Si enim nivis visæ recordamur, retracta imagine ejus à cella occipitii in partem anteriem syncipitis cognoscentem intuitivè has imagines: ergo albedinem phantasmatis cognoscimus: aut si alio afficitur colore imago nivis, fallitur anima, judicans se albedinem cernere, cum non albedinem cognoscat, quod à notione intuitiva quam maximè abhorret: ea enim certi sumus existentiæ objecti & aliorum accidentium sibi inherentium, præsertim si distincta cognitio est. Et ad eamdem normam pice visa, imago nigra conspicienda, situsque ejus intra cerebrum noscendus esset: quæ omnia eventibus non quadrant. Nullus enim certus est existentiæ phantasmatum suorum intra se: neque ullus disector cerebri humani unquam comperiit illa corpuscula nigra ut pix, aut alba, ut nix cerebro inclusa.

Minimè certè satisfacere poterit Gregorius Ariminensis his rationibus per similitudines quasdam imaginum in speculo conspectarum, de quibus incerti sumus, an inibi sint, ubi conspicuntur, an alibi, etiam per incertitudinem naturæ nigredinis corvi, aut alterius rei, naturam quorum hominum vulgus ignor-

*Contra Gregorii
rium probatur
phantasmata
intuitivè à fa-
cultate inte-
riori non per-
cipi.*

*Improbantur
Gregorii solu-
tiones.*

norat, an accidentis alio inhären-
tis sit an non, docti hoc idem, ut
compertum recipientes. Primo e-
nim exemplo nostras objectiones
non diluit: nec quas ipse ex autho-
ritate quorundam bacchalariorum
sibi objicit, dissolvit, & si dissolvi-
se existimet loco supra citato. Sive
enim decipiatur seu non conspi-
ciens in speculo se, vel alium, ima-
ginem in certo loco esse, existimat:
eumque locum si præcipiatur, ma-
nu signabit. Ergo eodem modo si-
tum phantasmatum, sive verus sit,
an non, cognoscere, qui in memo-
riam revocat imaginem nivis, aut
corvi tenetur. Quod nullus usquam
expertus est, sed tantum recordari
rei præteritæ, sitæ ubi sensata fuit,
aut esse singitur. Nemo enim verè
fateri potest, se intuitivè cognosce-
re phantasmatæ, intra suum cere-
brum inclusa, hunc vel illum situm
cerebri obtainentia, vel alium ul-
lum extra.

*Solutiones
Gregorii nul-
lis effe.*

Neque illa ratio, quæ colligebat
phantasmatæ nivis & picis necessa-
riò futura esse alba, ut nix & nigra
ut pix dissolvi per hoc potest, quod
sint talia repræsentando, & si non
essendo, ut idem Gregorius res-
pondens aliis objectionibus solitus
est dicere. Nam si illa verba signi-
ficant, quod imaginibus interiori-
bus concedatur nos sic immutare
interius, ut illa immutatione affec-
ti cognoscamus non accidentia af-
ficientis, sed rei, quæ genuit phan-
asma, nobiscum convenit Grego-
rius, & solùm verbis dissentimus.
Illud enim impropriè vocaret ipse
intuitivè cognosci, quod incogni-
tum cùm sit, est immediata causa
cognitionis rei olim sensatæ, aut
tunc fictæ. Verùm si aliter illa ver-
ba intelligantur, implicant: neque
ullus mentis compos ea percipere
poterit. Fateri enim aliquid intui-
tivè conspici à facultate interiore,

ipso sui notionem inferente in nos-
centem, ejusdemque accidentia,
quæ sensus interior percipit (nam
substantiam solus intellectus intel-
ligit) non cognosci, sed alia, putà
rei, quæ genuit phantasma, impli-
cat quidem. Benè enim sequitur,
hæc imago sentitur intuitivè, ergo
ejusdem accidentia sentiuntur in-
tuтивè. Consequentia est nota à
definitione ad definitum, vel ab
implicito ad explicitum. Illud enim,
ut prædictimus, verè dicitur sentiri,
cujus accidentia sentiuntur: nam
substantia sensu non subjacet. Ul-
teriorius, accidentia illius sentiuntur
intuitivè, ergo ipsa se talia repræ-
sentant, qualia sunt: ergo nivis al-
bæ imago sensata alba erit, & picis
imago nigra, cùm talis existimatur:
sed ex hypothesi Gregorii non ejus
coloris sentiuntur phantasmatæ cu-
jus sunt, ergo consequens verum,
imagines exteriorum rerum sensa-
tarum esse tales, quales facultate
interiori noscuntur, & non esse ta-
les, quales dijudicantur, quod con-
tradiccio patens est.

Etiam alio modo Gregorii eva-
sio excluditur. Si phantasma est
tale in repræsentando, qualis est
res exterior genitrix ejusdem, ergo
simillimus accidentibus est afficien-
dum phantasma illis, quibus exte-
riores. Ideò enim statua Scipionis
eum repræsentat, quia simili Scipionis
colore, & figura, ac magni-
tudine efficta est: deinde ejusdem
magnitudinis, ac figuræ, & coloris
phantasma, quod intuitivè, ut ipse
vult, noscitur, est cum re exteriori.
Ergo dissecto cerebro, imagines ta-
les, & figuræ illæ, ac colores con-
spicerentur intra inclusa, quo nihil
absurdius. Restat ergo per modum
à nobis explicatum dicendas simi-
les in repræsentando imagines in-
teriores, & nullo alio modo dici
tales.

Nec

Nec sufficienter solvet qui dixerit, ab exterioribus oculis non posse cerni phantasmatum, interiorem tamen vim potuisse, illa cognoscere. Primò quod ut album & nigrum sunt affecta coloribus contrariis, ita corpuscula illa alborum & nigrorum, nominata phantasmatum, contrario modo immutare exteriores oculos deberent, si ipsa intuitivè, ut exteriores imagines, noscerentur. Secundò, quod ideo statua Scipionis magnitudine repræsentat Scipionem, quod par illi magnitudine sit, si enim parvior statua esset, que Scipio, statim magnitudine deficere à Scipione intelligetur. Ergo par imago patris mei ipsi futura erat, quæ nullum cerebrum capere posset. Consequentia patet, quia phantasmate patris non minorem eum absentem nosco, quam dum præsens erat.

*Qualit. fin-
guntur phan-
tasmatum re-
rum, quæ non
sunt.*

Sed quoniam non rarerter loquens de imaginibus interioribus dixi quasdam relicta esse à rebus sensibus exterioribus perceptis, alias fictas esse, paucis qualiter fingantur, explicemus. Si quis enim animal quod pia numquam visum format: dum id machinatur, figuram quadratam, aut triangularem, teretem, aut sphericam, vel alias ex his seu aliis, quondam vias, ut sibi placet, toti animali, vel aliquibus suis partibus aptat, talibus coloribus etiam quandoque vias illud, vel ornat, variegando, aut monstrificè deformat, ut singenti libet, partibus monstruosos situs, atque inconsueta loca concedendo. Et in hunc modum omnium sensuum figmenta formantur ad imaginantis libitum: illamque facultatem, cui permisum est, ea componere, quæ naturæ efficere non placuit, imaginatricem appellant: eidemque permittitur accidentia omnia interiorius conspicere, subjecto per sic-

tionem ablato, & alia hujus generis quam plurima conceduntur. De qua Aristoteles secundo de Anima, textu com. 150. sub nomine phantasie, & deinde usque in finem libri tractat. Et tertio ejusdem, textu com. 39. ac infra de illa refert, oportere intelligentem phantasma speculari, ac alia dicens.

Qui brevis ac succinctus in conficiendo hoc opere esse cupio, divagari compellor, re, de qua agitur, tot feria negotia nobis objiciente, ut ultra migrare, ipsis indecisis relictis, potius ignavi, ac se cordis hominis opus esset, quam ejus, qui quam maximè, cupit adeò perspicuum illustreque quantumvis hebetibus ingenii reddere ea, quæ hucusque sub tanta caligine occulebantur, ut nemo posthac de modo sentiendi tam interioribus, quam exterioribus organis plus ambigere valeat, quam de numero digitorum propriæ manus. Adeò enim certus quilibet deinde erit, se eo modo sentire, ut retulimus, si suos actus nostris dictis contulerit, prout digitorum numerum recensendo, scit quinque digitis exiguum manum divisa est. Quæ retuli explicare quasdam Augustini & Aristotelis sententias ductas à Gregorio Ariminensi in suæ opinionis favorem attestantem phantasmatum intuitivè nosci invitant, in quod accingor opus.

Prima undecimo de Trinitate, cap. 8. sub his verbis habetur. [Ita fit, ut omnis, qui corporalia cogitat, sive ipse aliquid configat, sive audiat, aut legat, vel præterita narrantem, vel futura prænuntiantem ad memoriam suam recurrit, & ibi reperiatur modum atque mensuram omnium formarum, quas cogitans intuetur: nam neque colorem, quem numquam vidit, neque figuram corporis, nec sonum, quem

*Sententia Au-
gustini ducta
à Gregorio Ari-
minensi ad ro-
borandum phan-
tasmatum in-
tuitivè nosci.*

numquam audivit, nec saporem, quem numquam gustavit, nec odorem, quem numquam olfecit, nec ullam contrectationem corporis, quam numquam sensit, potest quisquam omnino cogitare. At si propere nemo aliquid corporale cogitat nisi quod sensit, quia nemo meminit corporale aliquid, nisi quod sensit. Sicut in corporalibus sentiendi, sic in memoria est cogitandi modus. Sensus enim accipit speciem ab eo corpore, quod sentimus, & à sensu memoria, à memoria verò acies cogitantis.]

Secunda, ex libro unico de quantitate animæ elicetur, ubi discipulus loquens de Urbe Mediolanensi non sibi præsente, quam alias videbat, & tuac ejus recordabatur, referebat. Quid ibi agitur, ignoro: quod utique non ignorarem, si animus meus usque ad ea loca porrigeretur, præsentiaque sentiret.

Tertia inde vera religione cap. 60. trahitur, ubi inquit: Si unus est ille amicus meus, falsus est iste, quem cogitans fingo: nam ille ubi sit nescio, iste ibi fingitur ubi volo.

Quarta. Secundo confessionum in decimo octavo, & decimo nono habetur: ibi enim probat, quod nec præterita possunt scienter narrari seu cognosci naturaliter, nec futura præcognosci, nisi ex cognitione aliquorum præsentium.

Quinta, ex libro illo citato de Vera Religione, cap. 6. elicetur: ibi quippè dicit. Si una Roma est, quam circa Tyberim, nescio quis Romulus dicitur condidisse, falsa est ista, quam cogitans fingo, non enim est ista.

Sexta, in epistola ad Paulinum, de videndo Deum, refertur. Incorporeas, inquit, similitudines corporum, anima in corporaliter commendat memoriarum, unde cum voluerit & potuerit velut de custodia

productas, atque in conspectu cogitationis exhibitas judicet: & cum volet etiam duo discernit quid in specie corporali foris reliquerit quid ejus simile intus aspiciat.

Septima, ex Aristotele tertio de Anima, textu comment. 30. referente. [Intellectivæ animæ phantasmat, ut sensibilia sunt, sibi optulari dicit] Quam plures etiam alias tam Augustini, quam Aristotelis sententias Gregorius citat: sed cum universæ, his explicitis in vero sensu, à nobis in antecedentibus enodato, facile intelligi valeant, has tantum paucioribus verbis, quam possum, explicabo: & id velle, quod nos retulimus, monstrabimus.

Primum enim Augustini decretum non de aliis abstractivis notitiis loqui videtur, quam de his, quas fictas vocabimus. Et has refert nequam fangi posse, nisi ex rebus quondam sensatis, iis compositis qualiter numquam sensatae simul fuere: & si partes, ex quibus constitutæ sunt, sensatas olim fuisse omnes experiamur. Cum enim quis audit aliquem narrantem quid, quod ipse numquam vidit, ut puta, civitatem ullam in camporum magna planicie sitam, & muris altissimis munitam, ædibusque amplissimis per universos vicos ornatam, proceribus illustrissimis institutoribusque opulentissimis numerum senatus ejusdem opplentem, non talem fingere poterit, qualis narrata est, nisi camporum planitatem, & muros, ac ædes, & proceres, atque institores nonnumquam noverit. Quæ omnia æquivalere videntur Aristotelis sententiae 3. de Anima textu com. 39. dicenti: Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu. Reliqua, quæ in fine orationis Augustini leguntur, id sonant, quod nos de phantasmatibus re-

*Explicitur
sententia Au-
gustini.*

tro actis ab occipite in synciput diximus.

Secunda sententia nihil aliud probat, quām per notitiam abstractivam non cognosci id, quod est, in quantum est, sed quod fuit, aut futurum esse fingitur, sic ut per eam de existentia ullius rei certi esse non possimus: quod & nos fatemur.

Tertia non asseverat imaginem amici intuitivē à facultate interiori conspicī, sed tantū quōd ipsa imagine afficiente interiore vim cognoscentem abstractivē, quā abſunt, vel ficta sunt, cognoscuntur. Atque hujusmodi ficti cognitio, ut supra diximus, quādam sensatio interior est, qua noscimus aliquid, quod numquam in rerum natura fuit, sic compositum, ut cognitum est, quamvis partes ejus, quod noscitur, aliquando sensatas esse certe scimus: & illius totius, quod fingitur, numquam fuisse non ambigamus. Itaque illa verba Augustini, iste ibi fingitur, ubi volo, non intelligenda sunt de imagine, de qua dicat Augustinus, quōd ibi fingatur, ubi vult, nam hoc falsum esset: non enim imago fingi potest extra nos, sed de cognitione abstractiva, qua cognoscimus ibi rem esse, ubi voluimus, per imaginem situs affientem interius nos ipsos. Sine enim simulacro loci, locus absens cognosci non valeret.

Quarta nihil aliud concludit, quām quōd tam præterita, quām futura non possunt cognosci, nisi actu cognoscat, qui de illis cogitat: non præsentia, ut Gregorius existimat, sed in præsenti tempore præterita, vel futura. Si enim præsentia cognosceret, non præteritorum reminiscencia, nec futurorum præscientia diceretur talis abstractiva cognitio. Et in hunc sensum Augustini verba sumenda sunt. Vel si vim grandem in verbis illis ultimis

Tom. I.

Augustini Gregorius esse putat, etiam in rigore illo intelligi possunt in nostrum favorem. Augustinus enim deceptus opinatus est, ut post palam monstrabimus, animam sentientem, sive intuitivē, sive abstractivē seipsum affectam noscere. Et in hunc sensum verè dixit ex cognitione affectuum præsentium genitorum ab imaginibus in anima, præterita & futura ab eadem cognosci.

Quinta sententia duplē sensum habere potest. Unus ut loquatur Augustinus de ficta Roma, quā, ut dixi, componenda necessariō erat ex partibus, quas illa non habet, ac per hoc non prope Tyberim, seu Albulam ficta, sed juxta Rhenum, vel Danubium: quā certè falsa & ficta est, si conferatur verè sita circa Tyberim. Alio modo, ut sit sensus, si vera est Roma exterior, falsa Roma est hæc imago; quam dum cogito & cognosco abstractivē, fingo coram me esse, non per cognitionem intuitivam imaginis, sed per affectionem factam ab eadem in partem interius cognoscentem. Tandem nullo sensu Gregorio favet, nec nobis adversatur.

Sexta non aliud probat, quam decretum nostrum, quo asseverabimus posteriorem cerebri partem locum esse servatricem corpusculorum phantasmata nominatorum. Ultimaque illa verba, quibus explicat duo animæ licere per visionem abstractivam, scilicet, considerare quale fuerit id, quod intuitivē cognitum fuit, ac etiam quale sit hoc illi simile quod intus aspicitur, intelligenda sunt in sensu supra explicito, puta, animam ipsam abstractivē cognoscentem, seipsum cognoscere affectam ab imagine interius relicta, cùm abstractivē cognoscit: idque vocat Augustinus simile aspicere, & idem refert: quōd

F 2

cum

cum intuitivè videt anima aliquam rem exteriorem, seipsum imagine rei visæ affectam tunc conspicit: de quibus mox dicemus, cum eundem Augustinum nobiscum, exceptis paucis, sentire monstraverimus.

Septima Aristotelis sententia ex tertio de Anima: non aliud vult, quam quod veluti sine sensibilibus sensus nequaquam sentiret, ita sine phantasmatisbus intellectus non intelligeret, quod quantum veritatis habeat, post cum de intellectus actionibus egerimus, discutiemus.

Dicuntur alias ex Augustino, quibus retro dicta roborantur.

Priusque quam quarti motus brutorum causam reddam, & intellectus humani actus discussiam, ea quæ asserta sunt, sic fuisse ab Augustino intellecta, ut nos retulimus, paucis, veris tamen, nobis ab eodem discedentibus, dicendis explicitemus.

Sitque prior ejus sententia, qua in totum cum illo convenimus, ad robورandum animam affici ex intuitu rerum sensatarum ad affectionem organi, id quod ab eodem Augustino trahitur lib. 3. de Trinitate, cap. 8. cuius series hæc est. [Quapropter ita non possum dicere angelos malos magicis artibus evocatos, creatores fuisse ranarum, atque serpentium, sicut non possum dicere homines malos creatores esse segetis, quam per eorum operam video exortam. Sicut nec Jacob creator colorum in pecoribus fuit, quia bibentibus in conceptu matribus variatas virgas, quas intuerentur apposuit. Sed neque ipsæ pecudes creatrices fuerunt varietatis prolixiæ, nisi quia inhæserat animæ illarum discolor phantasia ex contitu variarum virginarum per oculos impressa, quæ non potuit nisi corpus, quod sic affecto spiritu animabatur ex compassione commixtionis afficere, unde teneris foetus primordiis colo-

re tenus aspergeretur. Ut enim sic ex semetipsis afficiantur, vel anima ex corpore, vel corpus, ex anima, congruentia rationis id faciant, quæ incommutabiliter vivunt in ipsa summa Dei sapientia: quam nulla spatia locorum capiunt, & cum ipsa sit incommutabilis, nihil eorum, quæ commutabiliter sunt, deserit, quia nihil eorum nisi per ipsam creatum est. Ut enim de pecoribus non virgæ, sed pecora nascerentur, fecit hoc incommutabilis, & invicibilis ratio sapientiæ Dei, per quem creata sunt omnia. Ut autem de varietate virginarum, pecorum conceptorum color aliquid duceret, fecit hoc anima gravidæ pecudis per oculos affecta forinsecus.] Prolixior fuisse sententia, quæ in solam roborationem ducta fuit, videbatur, nisi & præter id alia nos docuerit, quæ neminem scisse pigebit, quam tamen moderari ut vera omnino sit, oportet. Non intelligentes animam pecudis gravidæ sentiendo visu occasionem fuisse varietatis colorum foetuum, sed phantasmatæ, quæ genita fuere à discoloribus virgis, asseverata in ovium, ut arietum cerebro, unde potior seminis portio dissiccatur, causam fuisse varietatum colorum foetuum.

Secundum decretum ejusdem, quo fulcitur id, quod nos ut verum supposuimus ad probandum notitiam, quæ perfectior est accidente, non posse ab imperfectiori gigni, quarto de Trinitate, cap. vigesimo refertur verba hæc sunt. [Sed quia cavendum non erat neminor lux illa putaretur, quæ istam genuit] hoc enim nullus unquam hereticus ausus est dicere, nec credendum est aliquem ausurum, illi cogitationi occurrit scriptura, qua posset videri obscurior lux ista, quæ manat, quam illa, de qua manat: quam suspicionem tollit, cum ait:

Non posse ab imperfecto perfectius gigni probatur.

ait: [Candor est illius, id est, lucis æternæ, atque ita ostendit aequalē. Si enim hæc minor est, obscuritas illius est, non candor illius. Si autem major est, non ex ea manat, non enim vinceret de qua genita est. Quia ergo ex illa manat, non est major, quam illa.] Quibus ultimis verbis, ut principio ut videtur Augustinus hoc decreto, genuit aliquid aliud, ergo genitum majus genitore esse non valet. Quo fundamento nos usi fuimus.

*Animam se
animadvertem
tem in sensu
supra dicto sen-
tire autorita-
te Augustini
probatur.*

Tertium Augustini placitum, quo suadetur id, quod nos prædixeramus, animam aciem propriam vertentem in suos affectus genitos in sensus à rebus extrinsecis sensatis res extinsecas cognoscere, existentiaque talis earumdem quales sunt ipsæ, certam esse, Augustinus (& si non omni non ut nos rectè explicuimus) sentiat, in parte tamen nobiscum consentit libro undecimo de Trinitate, cap. secundo, dicens: [Hæc igitur tria, corpus quod videtur & ipsa visio, & quæ utrumque conjungit intentio, manifesta sunt ad dignoscendum, non solùm propter propria singulorum, verum etiam propter differentiam naturarum. Atque in his cùm sensus non procedat ex corpore illo, quod videtur, sed ex corpore sentientis animantis, cui anima suo quodam miro modo contemporatur, tamen ex corpore, quod videtur, gignitur visio, id est, sensus ipse formatur: ut jam non tantum sensus, qui etiam in tenebris esse integer potest, dum est incolumentas oculorum, sed etiam sensus informatus sit, quæ visio vocatur, gignitur ergo ex re visibili visio, sed non ex sola, nisi adsit & videns: quo circa ex visibili & vidente gignitur visio, ita sanè ut ex vidente sit sensus oculorum, & a sapientis, atque intuentis intentio, illa tamen informatio sensus, quæ

visio dicitur, à solo imprimatur corpore, quod videtur, id est, à re aliqua visibili, qua detracta, nulla remanet forma, quæ inerat sensui, dum adesset illud, quod videbatur. Sensus tamen ipse remanet, qui erat. Et priusquam aliquid sentiretur, velut in aqua vestigium tamdiu est, donec ipsum corpus, quod imprimitur: inest, quo ablato, nullum erit, cùm remaneat aqua, quæ erat & antequam illam formam corporis caperet: ideoque non possumus quidem dicere, quod sensum giguat res visibilis, gignit tamen formam velut similitudinem suam, quæ fit in sensu, cùm aliquid videndo sentimus. Sed corporis formam, quam videmus, & formam, quæ ab illa in sensu videntis fit per eundem sensum, non discernimus, quoniam tanta conjunctio est, ut non pateat discernendi locus. Sed ratione colligimus nequaquam hos potuisse sentire, nisi fieret in sensu nostro aliqua similitudo conspecti corporis. Nec enim cùm annulus ceræ imprimitur ideò nulla imago facta est, quia non discernitur, nisi cùm fuerit separata, sed quoniam post ceram separatam manet quod factum est, ut videri possit, propterea facile persuadetur, quod inerat jam ceræ forma impressa ex annulo, & antequam ab illa separaretur. Si autem liquido humori ad jungeretur annulus, eo detracto, nihil imaginis appareret. Nec ideo tamen discernere ratio non deberet, fuisse in illo humore antequam detrahatur, annuli formam factam ex annulo, quæ distinguenda est ab ea forma, quæ in annulo est, unde ista facta est, quæ detracto annulo non erit, quamvis illa in annulo maneat, unde ista facta est. Sic sensus oculorum non ideo non habet imaginem corporis, quod videtur quamdiu videtur, quia eo de-

detracto non remanet, ac per hoc tardioribus ingenii difficultimè persuaderi potest, formari in sensu nostro imaginem rei visibilis, cùm eam videmus, & eandem formam esse visionem.]

Moderantur
ab autore
nonnulla de-
creta ex his,
que relata
sunt.

Placuit universum contextum hunc Augustini transcribere, quia in eo plus cum Peripateticis modo videndi, quācum cum Academicis consentire videtur in libro uno de quantitate animæ. Et in quibusdam etiam de Trinitate libris expressè cum Platone Augustino sentiente: atque ut monstrum quædam ab eodem dicta nisi antecedentibus, aut subsequentibus moderentur, à veritate aliena futura: id enim: [Illa tamen informatio sensus, quæ visio dicitur, à solo imprimitur corpore, quod videtur] in rigore verum non est. Nam in antecedentibus liquidis rationibus probavimus, non posse dici visionem, neque sensationem id, quod objectum in sensum producit, quin animadvertere animam seipsum affectam, ad affectionem organi animati, dici sentire ipsam objectum: & illum modum se habendi animæ animadvententis se affectam, dici sensationem explicuimus. Ergo cum moderatione quadam, quæ ex ante dictis ab eodem elicitor, intelligendum & ducendum in nostram sententiam Augustini decretum est. Superius enim dixit: [Gignitur ergo ex re visibili visio, sed non ex sola, nisi adsit & videns.] Quibus verbis palam Augustinus refert, non tantum indigere qualitatem illam, quæ visio appellatur, se esse productam à re visa, ut talis dicatur, sed requirere subjectum ejusdem esse facultatem videntem. Quod non ob aliud additum ab Augustino est, quācum ut per id explicet, quod tunc cùm qualitas illa, quæ gignitur à re visa in sensum actu-

percipientem afficit animam, quæ præcipuè sentit talem affectionem, ipsam animam versam in se dici visionem, quo nihil à nobis discrepat. Aliud etiam inferius relatum: [Ideoque non possumus quidem dicere, quod sensum gignat res visibilis, gignit tamen formam velut similitudinem suam, quæ fit in sensu, cùm aliquid videndo sentimus, sed corporis formam, quam videsmus, & formam, quæ ab illa in sensu videntis fit, per eundem sensum non discernimus: quoniam tanta conjunctio est, ut non pateat discernendi locus.] Nec etiam ut verba sonant recipiendum. Si enim ita ut hæc retulimus sine limitatione sumerentur, ultima verba referrent, nos non posse visu discernere inter similitudinem rei visa impressæ in oculum, & rem ipsam visam à nobis ob ingentem synonymiam seu convenientiam inter utrasque, quod non exigua incommoda pareret. Primo Augustinum affirmasse à nobis videri species inducetas in oculos à rebus visis, & si non possit ipse visus distinguere propter ingentem similitudinem speciem à re visa, quo pauca à vero magis abhorrentia. Nam nequam verum est animam videre affectionem propriam factam à re visa, cum videns, se animadvertisit. Sed illa animadversione, non dico visione sui (nam cùm videt, non se, sed objectum videt) ipsam animam videre objectum extrinsecum gignens affectionem. Quod non aliud est, si visio distincta fuerit, quam quædam certitudo animæ existentiæ objecti sic affecti, ut est. De quibus supra fusius egimus. Secundo, quod si oculus speciem & rem exteriorem producentem videret, ut Augustinus videtur dixisse, potuisse quipè facillimè distingue re inter utraque. Primo, quia di-

ver-

versis locis sita fint, objectum enim extra oculum, species in oculo existit, situsque distinctio tanta inter quæcumque, quantumvis simillima discernendi occasionem erat exhibitura. Secundò, quia neque inter lucem rei visæ & speciem ejusdem est tanta similitudo, quod non distingui à sensu visus potuisse utrumque, si utrumque objectum visus eset. Nam lumen, quod Sol diffundit in mundum (ut nonnulli crediderunt) species ejusdem est, quo inducto in oculos humanos eundem videri illi putant: & tamen quantum hoc lumen distet à luce, quam in sole cernimus, nullus ignorat, neque quam exigua difficultas sit distinguere inter utraque. Tandem cum in prædicto sensu verba Augustini, vera esse, non valeant, sequitur eo modo intelligendam sententiam illam, ut quæ antecessit, putà, animam vertentem se in affectum, quem recipit ab specie, verè non cognoscere speciem, sed objectum dicendam: id enim statim innuit Augustinus post verba ducta, inquiens: [Ratione colligimus, nequaquam nos potuisse sentire, nisi fieret in sensu nostro aliqua similitudo conspecti corporis.] Quibus verbis manifestè apparet, noluisse eundem velle facultatem visivam cernere speciem, sed objectum per affectionem speciei: quam affectionem asseverat Augustinus conjectura rationali, non visione corporea sentiri.

Supersedendum ab ulteriore citatione Augustini visum est. Primo, quod cum de actibus intellectus egerimus, etiam nonnulla huic negotio attinentia discutiemus. Secundò, ut auspicemur causas reddere quarti modi motus brutorum: quam fortassis aliquis suspicabitur me distulisse, veritus negotii difficultatem, ob idque adeò diversa in-

ter servisse, ut potius fugiens, quam remorans meritò diceret. Verùm cùm sciam qui antecedentia à nobis obiter ducta ad amissim intellexerint, existimasse non infrugiferum opus nos tractasse, reliquis, quod ea non calluerunt morem non gesisse non displiceret.

Quartum genus motus brutorum relatum est esse illud, quod à brutis instinctu naturæ, ut inquiunt, vel in discrimine vitæ sitis nonnumquam exercetur, inter quos nonnulli eorumdem motus astu quodam inter venam dum fieri visi, ut felium venantium mures, & aliorum animalium, quæ prudentia quadam visuntur, rapinæ munus exercere recensentur: ac etiam Leonum, & nonnullorum aliorum irrationalium apprens ex nutibus clementia, de eodem genere esse, existimatur. Horum ergo omnium causam propalemus, illis, qui præterita calluerunt. Et primò eorum aquatilium, quorum nonnulli motus à Plinio nono libro relati sunt, discutiantur. Nam si quid errandi ansam dedit opinantibus animalia sentire, hujus quarti generis motus præcipue fuere, quibus idem etiam intelligendi vim illis concedendam esse, asseverare cogendi essent, si non aliud quād id, quod videtur, dijudicarent. Cùm enim Scolopendria marinum animal, devorato hamo ad eam capiendam exposito, inter anea evomit, ut simul hamum & escam rejiciam, quam post absorvere valeat: non paucas, nec malas consequentias piscis hic inferre tenet, si quod agit, sentit. Primò enim hanc. Devoratus est à me hamus, ergo capi à pescatore paratus sum. Et statim alia, nihil quod devoratum est habens appendicem extra os alibi, quād per idem os potest sine molestia excerni: sed hamus hic deglutitus à me

*Causa quarti
modi motus
brutorum re-
fertur.*

ore est, & appendicem habet: ergo per idem vomitione est excernendus. Et tertia. Rejecto hamo, & esca, quæ eidem inhaerat, facilè sine hami devoratione esca separata ab eodem poterit absorvi: ergo hæc transglutiatur. Vide, si opus bruti perpendis, nullis aliis inconvenientibus animadversis, quām facilè id non tantum ratione præditum, sed acri ingenio dotatum existimandum est. Plures adhuc illationes in venatione murium & aliarum prædarum feles si sentirent, formare compellendi sunt asserere: quo (meo judicio) nihil dementius. Frequenter enim, qui nocturnas horas lucubrationibus assueti sunt, consumere, gattos adeò sine ullo murmure, ut fermè non anhelare credantur, insidiantes muribus attente conspicunt, ut admiratione corripiantur tantæ solertiæ in quadrupede illo: qui enixus duobus posterioribus pedibus, duos anteriores adeò promptos exhibet muris capturæ, ut nulla celeritate fermè possit vinci: ne cum primum mus incautè nonnihil corporisculi sui detegit, statim à fele non corripiatur, pedemque unum, aut utrumque ex anterioribus in foramen, ubi mus est, nonnumquam adeò altè immittit, ut ex compage propria divellere, ut altius attingat, videatur. Quæ omnia nisi quædam, ut antecedens assumat, alia ut consequens inferat, tres aut quatuor implicitè formando consequentias bonas, non alter adeò distinctas operationes, si sentiret, ut existimat fermè omnes, exequeretur gattus. Quæ cum non sic fieri certi sumus, quia rationali anima informatum esset, causam tot motuum jamiam reddamus.

Pro qua dilucidius intelligenda supponamus, orationes has nostras

non condi à me, ut legantur à quibusvis in re naturali parum peritis, sed ab illis, qui naturalis facultatis universa opera ab Aristotele condita ante libros de Anima, & ipsos ad unguem calluerunt. Etiam iis, qui nonnihil rei medicæ scivere: quibus ignotum non esse existimo, ab eo, quem spiritum genitivum appellant, semini marium involuto tot, ac tam diversas operations factas contipi, ut non solum universam prudentiam humanam excellant, quin divinitatis opera illa arbitrentur, vaporí illi, appellato genitali spiritu, in vulvam rejecto à mare, nullis physicis vim sensitricem concedentibus. Insanum enim esset, testari in maris semine spiritum inclusum facultatem sentiendi habere, & hunc non sentire, si pungatur: de qua re si periculum facimus in semine extra uterum rejecto, eventus probat, nec semen, nec spiritum inclusum vulnere illato contrahi, nec distendi, nec animalis ullius speciem referre.

Qui enim asseruerit deesse spiritui illi instrumentum, quo sentiat, & ob id non sentire, objiciam ego, mihi licere ad eundem modum dicere, terræ inesse spiritum genitivum, anima sensitiva præditum, illum tamen non sentire, donec idonea instrumenta acquirat: quæ possidebit, dum ex terra fructus genitus ab homine, vel bruto comedust, alimentum, quod præbet, in nervum animalis reddatur. Tandem si corpusculum illud, appellatum spiritus, sine ullo sensu tot partes animalis mirè effingit, quasdam cavitatibus teretibus, alias sphericis, nonnullas fermè quadratis hiatibus cavans, ex reliquis certas solidescere relinquens, in gibbum quasdam, in concabum quaspiam, alias que vario modo format, quid mirum si animal tanta membrorum

compage formatum, tot varios motus inter venandum, aut fugientiam mortem edat, sine ulla vi sentiendi, quot conspiciuntur, ab illa causa doctum, quæ spiritum relatum in humana, vel equina, aut felina, vel alterius bruti formatione, ipso non sentiente docuerat? Hancque causam si tu primam esse dixeris, concedam: si intelligentiam quandam non errantem, non insufficiabor: si occultam vim, non adversabor. Tandem prout tibi placuerit appellare causam concurrentem ad generationem animalium, eo modo confitear appellandam esse eam, quæ docet hujusmodi brutorum motus.

*In hominibus,
ac brutis nutri-
tione simili-
bus quarti ge-
neris conspi-
ciuntur.*

Et ne mihi, qui vera fateor, putes de futura alia similia in animalibus præter formationem visa sine sensu fieri tantæ prudentiæ, ut motus relati, eas operationes, quæ in nutritione exercentur, referre volo, quas sine ulla sensus distinctione factas omnes scimus: quæ non minoris peritiæ, quam foetuum creationes sunt. Quis enim prudentior concoctrice vi ventriculi censeri potest: quæ ex alimento eas partes sumens, quæ viventi convenient, sic eas commiscet, prout convenit facultati sitæ in jecore, cui munus vertendi in sanguinem alimentum prius elaboratum in ventriculo concessum est? Neque qui cautior, quam expultrix vis ejusdem, quæ verita quod si strigmenta alimenti in ventre detinerentur, alimentis sumendis impedimento futura essent, præoccupato loco, ea ad intestina excernit: quæ non minori industria ea ad se trahunt, ut ex quibus opem alendi suctis eorundem mollioribus partibus essent receptura?

En duos consimiles eventus iis motibus, qui à brutis cum peritiæ fieri dicuntur, exequitos tam à vi formandi, quam ab hominibus, ac

aliis irrationalibus jam in lucem editis, ipsis ignaris, neque cognoscentibus ea, quæ prudentè intra se à causis ignotis aguntur. Non est ergo cur miremur relatos brutales motus, præsertim quod illi præter assignatam causam genericam alias habeant, quæ concurrunt ad hos motus, ac peculiares illis sunt, putata induetio specierum coloris, aut odoris, aut saporis, aut aliorum sensuum sensibilium, in organa, quibus motus exercentur. Quippe scolopendriæ vomitus devorato hamo, & esca fit, induetis speciebus saporis, & caloris, aut frigorishami in musculos moventes ventriculum scolopendriæ ad vomitum, eademque esca expulsa in mare, in oculos, & nasum scolopendriæ inducendo sui speciem cogit scolopendram versus ipsam moveri, ofque ejusdem proximum alimento hiare, gulamque illud devorare, quod hamo infixum erat. Pinnæ, & aliorum animalium motus, de quibus Plinius citato cap. 9. & multis aliis locis per eadem normam factos existimamus. Sed felium in capiendis muribus motus provenire ab eisdem specibus murium inductis in oculos, vel olfactum gattorum non ambigimus, ac potius alterum ex anterioribus pedibus moveri, quam aliud, speciem plus alterum oculum, aut narum foramen afficere, quam aliud, causam esse nullus dubitare debet, quod ipsa libera ex consensu omnium non sint. Clementia Leonis in Getulæ captivam, de qua Plinius 8. lib. capite 16. non supplicationibus auditis à Leone tribuenda est. Nam si haec esset, semper eisdem mulcendi essent: quod non accidit, sed potius saturitati Leonis, aut alio affectui ejusdem, quo tunc opprimebatur, referatur. Adulatio quoque Leonis Mentoris Syracusani

*Motus bruto-
rum quod ex
infinitu na-
ture fit quæ-
liter continua-
gant.*

vestigia lambentis, ut opem ferret tumori proprii pedis à surculo infixo effecto, alteriusque Elpis Samium insequentis ore hiante, neque à truncu arboris decedentis, in quem Elpis fugiens hiatum minacem Leonis concenderat, non intelligens Elpis, vi ossis hærentis dentibus Leonis, aperto, & hiante ore, ipsum similem minanti faciem ostendere, qui potius, ut peteret os ab ejus ore educi, quam ut ore morderet, hiabat. Etiam nonnulli hujusmodi eventus, quibus moveri inusitato modo bruta conspicimus, non factos à Leonibus præfatis, nec ab aliis irrationalibus credimus, ut ab his, qui sciant, & sentiant ea, quæ fiunt expedire illis, sed vi quadam naturali, & si non intellectrici effectos. Simillimamque esse ejusmodi facultatem ei, quæ exquisito, ac inusitato modo excernit causas morborum, tam in hominibus, quam brutis, ac illi, quæ in sanis etiam quotidiè videotur, adeò prudenter nonnulla exequi, ut intellectum humanum superent. Quis enim bilem leviorem multo melancholico succo in intestina ad excitandum album machinaretur mittere, & melancholiā gravem in os ventris ad provocandum appetitum rejicere, ore ventris superiorem regionem corporis possidente, & intestinis infimorem, nisi illa prudentissima causa, quæ numquam in universalibus errans, facultates expultrices animalium, & alias miro modo gubernat, & moderatur?

Objiciuntur quatuor contra causam quarti modi motus brutorum.

Quispiam fortassis nobis objicitur, ciet similitudines ductas non omnino cum effectibus, quorum causam indagare proposuimus, quadrare. Primo, quod tam multi, ac tam varii motus, prout passim à brutis fiunt, non sunt credendi doceri à causa illa exteriore, quam

ut tutricem animalium eisdem perpetuò aſſistente, cogendi essemus affirmare, etiam quod cuivis animali eſſet assignandus diversus custos, cum unus, & idem simul adesse tot bestiis per universos terrarum, & maris tractus divisis, non posset.

Etiam aliis videbitur, si vera eſſent, quæ retuli, in cassum natūram fabricasse in constructione oculorum tot tunicas, ac ex his complures diaphanas, ac humores, & ex iis universos decolores, ac illustres, ac adeò anfractuosas vias in aurium foraminibus, & adeò patientes cuneos in naribus, si his instrumentis bruta non eſſent sensuſtantas rerum objectarum differencias prout homines.

Primæ objectioni quemlibet prome facile responsurum existimo universis, qui præfatos eventus brutorum conferre velint cum illis, qui in generatione plantarum irrationalium, & hominum fiunt, scientibus, non aliter vim genitricem, quæ in spiritu genitrivo, vel alia parte feminis insita eſt, partes feminis posse moveare, ut membra formanda decet, quam membra Leonis præſente Mentore mota fuere, ut suaderent surculum à ſe divellendum, nutibus Leonis id poscentibus, quod ille cum veluti supplex deprecabatur, ignorabat, ut spiritum genitriuum latebat, quid effingeret, cum embrionis membra formabat. Neque plures tutores, & custodes brutis concedendi ſunt, ad præfatos motus exequendos, quam plantis, & animalibus, & hominibus conceduntur, quæ miro modo formari, & nutriti nullo non in tempore conspicimus: ac ſive una prima cauſa, quæ ubique locorum eſt, indefatigata, & indefatigabilis quantumvis jugis, & variis operibus incumbat: ſeu alia

Similitudine eorum, quæ accidit in generatione plantarum, & animalium, solvitur objectione.

secunda causa intelligentia quippe
ulla tota toti orbi assistens, & to-
ta cuilibet parti ejus praesens, que
forsitan ab antiquis Philosophis ani-
ma mundi appellata fuit, tam for-
mandorum foetuum, quam motuum
irrationalium moderatrix fuerit, seu
diversae intelligentiae iis diversis
muneribus exequendis praesint, ni-
hil, quod non conveniat, & veri-
tati quadret, dicetur.

*Solvitur secunda
objectione.*

Secunda objectio non majorē
difficultatem, ut solvatur infert,
quam prior. Qui enim noverint u-
niversos nervos, quibus motus in
locum perficiuntur, à capite or-
tum trahere, facile intelligent, ne-
cessarium esse vias per quas defen-
rendae sunt species in illud princi-
pium motus per vias futuras, etiam
tali, ac tanta distantia, ac adeo
prudenter formata, ab eodem prin-
cipio distaturas, ut à metu in mor-
bum incidendi vindicetur princi-
pium illud motus, cerebrum appel-
latum. Hic ergo naturæ scopus fuit,
creandi oculos, & aures, ac nares,
& cætera membræ ad sentiendum
nobis collata, sic configurata in
plurimis brutorum, prout in nobis
visuntur, ut scilicet, species eo
modo deferantur in principium il-
lad sentiendi, quatenus decet ad
salutem animalium, & ut eisdem
speciebus moveri membra instigen-
tur, principio motus affecto, ut
ferrum inducta in se qualitate mo-
trice à magnete duci in magnetem
compellitur, de quibus non nihil
suprà tractavimus.

*Tertia objec-
tio.*

In Tertiò objici posset, si ita esset,
quod bruta ab aliqua extrinseca
causa docerentur moveri hoc quar-
to modo motus, non est, cur potius
felibus sit collatus ille venandi
mures astus, quam aliis quadrupedibus.
Etiam cur potius colopen-
driæ devoratum hamum evomant,
quam cæteri pisces, & leones, &

capræ recensitæ cur potius illos
prudentiæ motus exequantur, quam
alia bruta. Etiam cur reliqua irra-
tionalia diverso modo, vel in ve-
natione, aut pastu, sive ulla aliis
operibus cavillantur, quam Leones,
& capræ. Si enim ubique locorum
illa universalis causa, quæ regit, &
gubernat nonnullorum brutorum
motus, adest, eisdem, vel consi-
miles universis bestiis esset colla-
tura.

*Solvitur secun-
da.*

Cui dubio facilius, quam præ-
cedentibus, faciemus satis, sum-
ptis illis operationibus spiritus geni-
trivi inclusi in semine, sive plantæ,
sive animalis, quæ doceri diximus
ab aliqua extrinseca intellectrice
causa, ut quibusdam simillimis ope-
ribus illis, quæ à brutis adultis a-
guntur. Et collationem faciendo
inter opera generationis, & pruden-
tiae bestiarum, dicemus, quod ye-
lut illa universalis causa, quæ mode-
tratrix est spirituum genitrorum,
non easdem figuræ, formæ, & ef-
figies, ac similia membra plantis,
& brutis universis effingit, sed
prout quamlibet materiam decet,
sic quævis elaboratur: ad eandem
normam prout brutum effigiatum,
& figuratum est, ac prout suæ for-
mæ substantiali expedit, sic alii, ac
alii motus ab illa causa extrinseca
docentur, objectorum speciebus
non patum conducentibus, ut præ-
diximus. Per hunc modum solvit
quod pag. 24. quærebatur, cur do-
ciles psittaci, & turdi, & canes, &
nonnulla bruta sint, alia minimè
doceri apta.

*Quarta objec-
tio.*

Quartum, quo improbari posset
nostra assertio esset, objici nobis
irrationalia fermè omnia, cum ali-
menta, quæ eis expediunt, sentiunt,
vel sumunt, gestibus, & motibus
quibusdam monstrare hilaritate
quadam perfundi interius: quibus,
vel aliis rebus sibi commodis, aut

filiis cum privantur ululatibus, gemitibus, & inquietis motibus retentibus nostros, cùm mœsti sumus, mœtorem interiorem exteriores signis ostendere videntur. Quæ omnia nequaquam facerent, si id interius non sentirent, quod palam ostendunt. Neque ab illa intelligentia docente motus brutorum hæc doceri cogitanda sunt. Frustra enim hominibus ipsa imponebat relatis nutibus brutorum, ea sentire ipsis suadens, quæ non sentiunt, justamque quærelam homines de hujusmodi intelligentia docente haberent, si tantum ut eos deciperet, illos motus bestiis tribuisset, quibus neque commodum, nec incommodum præter illusionem hominum illa assequuntur. Has certè de natura, seu intelligentia humanas quærelas, quibus frustra iludi brutorum nutibus recensitis, homines in ratione relata concurrunt, iniquas esse ex dicendis constat. Porro non in cassum commenta est intelligentia, quam natram, si libet, vocare possumus in Leonibus fremitum, cùm in iracundia operam prorumpere accinguntur, neque caudæ concussum in canibus, cùm amicorum munere fungi sunt parati, neque equorum hinnitum, cùm in venerem instimulantur, neque cæterorum animalium affectus interiores, vel motus exteriores in vanum nutibus eorum sunt prænunciata, nisi ut iis, velut quibusdam signis homo sibi, aut brutis, cuius opera utitur, caveat. Certè si latratu non minaretur canis morsum, facilimè circumveniri morsibus eorum possemus. Si procinetu cornuum taurus, & rugitu Leo nos non terrent, expositi essemus effodi illius cornibus, & dilacerari hujus unguibus. Etiam si gementis bestiæ immodico pondere onustæ, vel morbo, aut

partu vexatæ sonum homo non caperet, & per analogiam illius ad eum, quem ipse, cùm ægrotat, edit, non intelligeret bestiæ onus imminuendum, vel deponendum, vel morbo medelam exhibendam, aut parienti opem ferendam, fœtusque cura habenda, quantis in commodis natura irrationalis vexaretur, nullus est qui ignoret. Merito ergo præfatos nutus, gesticulationes, & motus intelligentia, quæ cogit bruta ea facere, quæ non intelligent, ipsis indidit. Non est ut quid plus immoremar in reddenda causa quarti modi motus brutorum, cùm sufficienter, ut remur, sit à nobis explicata: ideoque priusquam operationes intellectus discutiam, quod me facturum promissi, quid in hac re, de qua agimus, privantes bruta ab omni assertione, indeque ab universa cognitione, & sensatione, Aristoteles senserit, paucis dicamus, non nullas sententias ejusdem in medium ducentes, quibus omnibus, ut mea mens est, ipse ambiguus fuisse, ac vacillasse in hoc negotio, nifallor, existimari posset, nisi aliquæ adeò dilucide attestarentur, brutis inesse sensum, ut nullam extorsionem patiantur.

Prima sententia Aristotelica sit, quæ primo Per hermenias cap. 2. habetur, cuius series hæc est: [Brutorum, & ferarum, quidam soni significant naturaliter propriæ passiones: sed non sunt nomina.] Quibus verbis manifestè sentire videatur Aristoteles naturaliter moveri ipsa bruta, inductis in aures brutorum illis sonis, & non sentientibus ipsis.

Secunda sit secundo Physicorum, textu comm. 8o. [Bruta nec ab arte, nec discursu, nec deliberatione agunt, operantur tamen propter finem.] Hic quippè ambiguus

guus esse aliquo modo videtur Aristoteles. Nam in prioribus verbis nobiscum consentit. In ultimis cum dicat ipsa propter finem agere, à nobis dissidere censendus esset, nisi hic finis non ab eisdem, sed ab intelligentia rectrice præcognitus existimat, ut qui recte, quæ nos prædiximus, calluere, intelligent. Quo enim modo formicæ, quæ ornatio natæ sunt, cognita hyeme, quam non neverunt, potuerunt in terræ cuneos condere frumentum, propter finem hunc, ut non germinet, supra terram dimissum, germinationis prohibitione ut fine incognito.

Tertia sit loco mox citato: [Brutis an intellectu, an aliquo alio principio operentur, dubitant quidam.] Quibus verbis, & ipse dubius videtur.

Quarta, secundo de Anima, textu comment. 157. refertur: [Animalibus nullis inest assensus, ut una translatio habet, ut alia. Brutis nullis inest fides.] Utroque quorum nobiscum convenit.

Quinta, eodem textu, & comment. [Brutis nullis inest ratio.] Etiam nobis patrocinatur.

Sexta, secundo de Anima, textu comment. 162. [Irrationalia quia rationis expertia sunt, phantasiis, seu phantasmatisbus aguntur.] Quibus verbis palam nobiscum convenit. Nos enim reddimus caussam motus brutorum in res absentes tendentium, phantasma relictum à re olim sensata.

Septima, tertio de Anima, textu comment. 57. [Irrationalia phantasiam habent, deliberativam verò non habent, quia deliberare utrum hoc aut illud agant, operationis est, quæ non est in brutis.] Hic etiam ambiguus Aristoteles censendus est. Nam cùm fatetur participia esse bruta phantasia simili-

li nostræ, sentiendi abstractivè vim illis concedere videtur, quod falsum esse diximus. Sed cùm refert deliberativam non habere, aliquo modo innuit, naturali vi moveri, ipsis ignaris eorum, quæ agunt.

Octava, tertio de Anima, textu comment. 66. nullam patitur extorsionem: ibi enim expressè dicit Arist. [Sine autem tactu nullum sensum alium possibile est esse.] Et comment. sequent. [Manifestum est igitur, quod necesse est hoc solo privata sensu animalia mori.] In quibus verbis palam innotescit, ipsum putasse animalia omnia sensu tactus participia esse.

Nona, secundo Rheticorum, cap. sexto: [Brutorum neminem pudet.] Nobiscum convenit. Certè si novissent quæ agunt, pudenter, aut impudenter egissent.

Decima, tertio Ethicorum, cap. primo: [Animalia non agunt aliquid sponte, & voluntarie.] Et eodem libro, cap. secundo: [Brutis nihil faciunt electione.] In nostram sententiam descendere videntur.

Undecima, eodem tertio Ethicorum, cap. octavo: [Irrationalia voluptates amant.] Cum omnibus, qui opinati sunt bruta sentire convenit.

Duodecima, sexto Ethicorum, cap. secundo: [Brutis licet sensuum habeant, dominum sui actus non habent.] Prioribus verbis nobis adversatur, ultimis favet.

Decima tertia, septimo Ethicorum, cap. tertio: [Animalia non sunt incontinentia, quia non habent universalem existimationem, sed habent singularium imaginacionem, atque memoriam.] Plus nobis, quam adversis favet.

Decima quarta, tertio de Anima, textu comment. 64. [Animalia, quæ motu processivo movetur, necesse est habere alium sensum præ-

præter gustum & tactum: quæ si conservari debent, non solum propè, sed etiam à longè sentire teneantur: cui rei serviunt alii sensus, scilicet odoratus, visus, & auditus.] Quibus etiam verbis palam contra nos scripsit.

Decima quinta sententia in cap. primo. De memoria & reminiscencia: [Irrationalia, quæ tempus non percipiunt, memoria carent.] Jam quoquomodo contra nos pugnare videtur. Nam videtur Aristoteles credere illa bruta, quæ memoriam habent, tempus percipere, quod non exigua dementia est.

Decima sexta, in lib. de Somno & Vigilia, cap. 3. [Animalia moventur facto aliquo sensu, vel proprio, vel extraneo in sensorio primo.] In parte nobis favere videatur. Sed utrum sit aliqua potentia interior, quæ dici possit sensus communis, & primum sensitivum, aut non, postea discutietur.

Decima septima, nono de Historia Animalium, cap. quadragesimo nono: [Animalia sicut pro suis affectibus agunt, sic pro suis actionibus afficiuntur: hoc exemplo Gallinæ ostenditur.] In utroque sensu potest capi. Nam si affectus illi sibi inesse à natura dicuntur ipsis animalibus non sentientibus quod afficiuntur, verum est: tamen si illa existimat Aristoteles suos affectus, putat dolorem & delitiam, ac consimiles sentire, & falsum, & nobis adversum erit.

Decima octava, nono de Historia, cap. septimo per totum: [Irrationalia quædam hominis rationem referunt.] Ut præcedens decretum ita hoc anceps est.

Decima nona, primo libro de partibus Animalium, cap. primo: [Brutis non inest intellectus, sed delectatio.] Prioribus verbis nobis

favet, posterioribus aduersatur. Ni si delitiam in brutis appellat Aristoteles quod proportionale nostræ. Nam velut qui lætitia perfundunt, gestiunt gliscentes: sic bruta nonnullis rebus præsentibus eodem modo gesticulantur. Etiam cum Aristoteles dicit ipsa sentire, aut intelligere, eodem modo intelligentum esse existimo. Quis enim non videt, quod in rigore sumptis illis Aristotelis verbis, capit. sexti, libri noni de Historia Animalium de Pantheris scribens: [Panthera cum venenum, pardalianches dictum ab angore, æderit, quo Leones etiam intereunt, stercus hominis querit (eo enim ipso juvatur) quocirca venatores stercus ibi propinquum suspendunt ex arbore aliqua, ne procul bellua abeat, petens suum medicamentum, itaque insiliens, & spæcapiendæ, perseverans in se effrenda emoritur, eandem sese abscondentem venari ferunt, propterea quod suo odore bellugas delectari intelligat, proprius enim ita accedunt, quas corripiat.] Vera in rigore verba hæc esse non possunt, referunt enim, quod bestia intelligit, alia animalia delectari suo odore: ergo intelligit. Ultra intelligit, ergo intellectu prædicta est, nihil enim sine intellectu intelligit: quod si detur, pauca à veritate adeò aliena erunt. Sufficit præfatos citasse ex Aristotele locos, quibus constat, eundem, ut prædictimus, hæsitasse de re à nobis explicita, nisi ipse exponatur ut parum ante retuli. Multas quoque alias possem sententias hujus messis trahere, quas, ut prolixitatem vitem, omisso.

Toties promissi in antecedentibus de intellectus actibus me loquutur, ut meritò si promissa non adimplerem, cuivis liceret, diem mihi coram judice de re hac dicere. Quod ut vitem, etiam ut in-

intellectus operibus cognitis omnes intelligent quantum distent brutorum opera à rationalium etiam sentiendi actibus , de iis differere statuo, exordio sumpto ab omnium interiorum facultatum comprehendentium examine : quæ , ut cœtus physicorum existimat , perpetuò prærequiruntur ad intellectus operationes exequendas . Nec in præsenti narratione nonnulla , quæ ambi gi solent , enodabo , cum potiorem partem quæstiuncularum illarum vanam esse reor , facultatibus interioribus non ea munia tribuens , quæ ab omnibus Medicis & compluribus Philosophis concedi solent . Sed quot , & qualia nos ipsos animadvertentes cogendi sumus asserere , referam : aliis , rationibus evidentibus , explosis , quæ inscitia scriptorum commenta fuere .

*Quæ de sensu
communi hu-
cunque asserta
ab expositori-
bus Aristot.
sunt.*

Auspicio ergo dicere , quæ Physicorum vulgus scripsit . Porrò ultra hos quinque exteriores quos vocant sensus tam in brutis , quam in hominibus quandam facultatem , sensum communem appellatam , in eorundem syncipite sitam esse existimant : cuius munus esse dicunt , inter diversorum sensuum objecta , ac actus distinguere . Cum enim oculus sapores non cognoscat , nec gustus colores , neque olfactus calores , videtur illis aliquam unam facultatem interiorem esse , quæ quinque objecta diversorum sensuum percipiens , inter ea distinguat , ac differentiam exprimat : quo munere exteriorum facultatum quævis privata est , ut ipsi rentur , peculiari dote cognoscendi unum genus objectorum qualibet prædicta , & nulla valente alterius objecta apprehendere , indeque nec inter ea discernere , eandemque facultatem , sensum communem dictam , ut superiorem sensibus exterioribus , sic potiorem in cognoscendo existi-

mant esse . Eam enim non tantum credunt distinguere inter objecta , sed inter actus diversorum sensuum exteriorum , haberique illam ad cæteros sensus , ut centrum ad circumferentiam . Ac velut omnes lineæ ductæ à circumferentia in unum centrum coœunt , sic omnes intuitivæ cognitiones ultra sensationes factas in organis exterioribus in unum sensum communem convenire affirmant .

Hujus facultatis non se primos inventores esse dicunt antiqui & neoterici Physici , sed Aristotelem ipsum hanc primum novisse existimant secundo de Anima , textu comment . 144 . Et per sex commentos sequentes , cum refert : [Unusquisque quidem igitur sensus subjectivè sensibile est , qui est in sensitivo in quantum sensitivum : & discernit subjecti sensibilis differentias , ut album quidem & nigrum visus : dulce verò & amarum gustus . Similiter autem se habet hoc & in aliis . Quoniam autem album & dulce & unumquodque sensibilium ad unumquodque comparando discernimus & sentimus , quia differunt : necesse est igitur sensu sensibilia enim sunt , quare manifestum quoniam caro non est ultimum sensitivum , necesse enim esset tangens ipsum discernens discernere , neque utique separatis contingit discernere quod alterum sit dulce ab albo , sed oportet aliquo uno utraque manifesta esse : sic enim & si hoc quidem ego illud autem tu sentis , manifestum utique erit : quoniam alterum adinvicem sunt . Oportet autem unum dicere , quoniam alterum : alterum enim dulce ab albo , dicit ergo idem quare sicut dicit , ita ille & intelligit & sentit , quod igitur non possibile separatis judicare separata pàlam : quod autem nec in separato tem-

*Contextus
Aristot. 2. de
Anima , text.
com. 144.*

tempore hinc habitum est. Sicut enim idem dicit quod alterum bonum & malum sic & quod alterum dicit, quoniam enim alterum nunc & alterum non secundum accidens, ipsum quando. Dico autem putà cum nunc dico, quoniam alterum, non tamen quoniam nunc alterum. Sed sic dicit & nunc, & quoniam nunc simul ergo, quare inseparabile & inseparabili tempore. At verò impossibile est simul secundum contrarios motus moveri idem, aut indivisibile, & indivisibili tempore. Si enim dulce sit movet sensum: aut intellectum, amarum autem contrariè: & album aliter, ergo simul quidem & numero indivisibile: & inseparabile quod judicat: secundum esse autem separatum. Est igitur quodammodo quod divisibile divisa sentit. Est autem quod indivisibile, secundum esse quidem enim divisibile, loco autem & numero indivisibile, aut non possibile, potentia quidem enim idem & indivisibile contraria: secundum esse autem non sed in operari divisibile. Et impossibile est album, & nigrum esse simul, quare nec species pati ipsorum, sed hujusmodi est sensus: & intelligentia. Sed sicut quod vocant quidam punctum, aut unum, aut duo: sic & indivisibile. Secundum quod quidem igitur in divisibile unum discernens est & simul, secundum verò quod divisibile bis utitur eodem signo simul. In quantum quidem igitur pro duobus utitur tertio duo judicat, & separata sunt ut in separato: in quantum verò unum, uno & simul. De principio quidem igitur secundum quod dicimus posse sentire animal determinatum sit hoc modo.]

Quantum autem veri habeat sententia antiquorum & neotericorum recensita, & an idem Aristoteles

fenterit in contextibus ductis quod illi, an aliud, discutiamus priusquam ulterius in indagatione aliarum facultatum interiorum procedamus.

Et ut verè intelligatur hanc facultatem, qua discernimus diversorum sensuum actuum & objectorum differentiam, quam esse in nobis experimur, nullo modo posse aliquo organo astringi, nec virtutem organicam sitam in anteriori parte cerebri dici, nennulas rationes ducamus, & post Aristotelem idem in citato loco voluisse, quod diximus, monstremus.

Prima ratio sit. Si ita esset, quod talis facultas in prædicto loco cerebri sita creata esset, sequeatur quinquæ, quos vocant exteriores sensus, nihil percipere. Consequentia est nota. Si enim hic, qui sensus appellatur communis cognoscit intuitivè objecta omnium sensuum inter quæ distinguit, ergo aut nulli exteriori sensui est tribuenda sensatio, aut duplicit sensationem intuitivam de quovis objecto haberemus: sed hoc secundum nullus in se unquam experitur, ergo primum fatendum est, quod est consequens illatum.

Perperam enim dixisset quisquis referret, secundum accidere in omnibus sensationibus intuitivis, sed non distingui duplicitem sensationem, quia ejusdem objecti est, ut duplice oculo unum & idem objectum percipimus, & non duplice visione affici nos asseveramus. Et duplice aure eundem sonum cognoscimus, ac duplice digito eandem figuram: infissenschafter enim evasisse rationis vim per hoc patet. Quoniam sive in oculis fiat visio, seu in cruciationem nervorum opticorum (quod sic fieri existimo) omnes comperimus, quod depresso, vel elevato vi aliqua altero oculi

Falsum esse sensum communem esse ullam organicas facultatem interiorem probatur.

oculorum, simplex objectum duplex judicatur, quia species diverso modo nos afficit: ergo ex assertis ab adversis sequitur, quod si oculum & partem anteriorem cerebri species rei visa immutat, ut qui sensum communem organicam facultatem esse credunt, dicunt, cum diversos situs illæ partes habeant, diversæ sensationes essent percipiendæ, & objectum non idem, sed diversum esset judicandum. Sensatione enim facta in oculo, res visa major dijudicanda esset, quam sensatione facta in anteriore cerebri ventriculo, quod plus distat pars anterior cerebri in alto ejusdem sita à re visa, quam oculus, qui extima corporis possidet: unde angulus, qui afficit cerebrum anterius, acutius esset, quam qui oculum afficit. Aliud etiam de auditu, quo cassam efficere nostram rationem opinabantur, parum prodest. Cum enim non duplè, sed unam eandemque vocem duplī aure sentiri à nobis noscimus, certò scimus, aliquo uno communi utrique auri cognosci sonos: quod unum non male affectum, quamvis altera auri vitiatur, sufficit, ut sonus percipiatur altero meatu tantum tunc sono auditio. Nec plus iis, quæ in tactu accidentunt, sufficienter dissolvitur nostra ratio. Duplī enim digito diversas partes figuræ tangimus, & de diversis partibus judicium diversum edimus, cum digitos, naturalem situm servantes, tactis rebus admovemus. Nam si duobus digitis in modum cancelli positis spheram unam tangimus, duplē spheram esse falso judicamus. Quo experimento & alio relatedo de oculo depresso, aut elevato etiam adversi convincendi essent affirmare, si verum esset, quod organo exteriore & communi sensu interiori perciperemus idem objec-

tum duplicatam sensationem ejusdem rei nos sensaturos.

Et quoniam mentio facta est de tactili sensatione figuræ, quæ etiam aliis sensibus percipitur, ut magnitudo, numerus, motus, & quies, quæ quinque sensibilia de per se & communia dicuntur, quia pluribus sensibus comprehenduntur, obiter an verum sit hoc, explicemus.

Certè, ut reor, non hæc propriè sensibilia de per se dicenda sunt, si illa de per se sensibilia dicuntur, quæ mediante organo exteriore à pluribus sensibus sentiri sunt para ta, nullo discursu præcedente: quin potius naturam sensibilium de per accidens sapere, meo judicio censa sunt. Nam si magnitudo & figura ignis essent sensibilia de per se, non esset cur clavis oculis tac tus non discerneret figuram caloris ignis, quæ eadem quæ ignis subjecti caloris est, cùm figura caloris ut calor, ut isti asseverant, de per se sentiatur, quod eventibus adver satur. Nemo enim clavis oculis cognoscit calefacientis aëris, aut ignis figuram, neque numerum, neque magnitudinem, nisi solidum subjectum, ut ferrum, vel consimile, calor possideat, soliditate illa tangenti, resistente spherico, aut quadrato, vel triangulari, prout calor subjectum effictum est, ex illaque resistentia ratiocinio quodam qui sentit, inferendo calidum, quod tangitur, quadratum esse, & non quia ut sensibile de per se, sic commune sit sensatum. Etiam cùm quis æquè calidus, aut frigidus existens cum tabula aut lapide quod tangit, à quo neque calore neque frigore immutari potest, quia intersimilia non est actio, noscit illæ tabulae, aut lapidis figuram, non alter, quæ discursu ipsam cognoscere potest. Quia cùm scitum sit, quod si sensibile proprium cuiusvis

vis facultatis sensitricis non immutat, sensibile commune non immutabit, certum erit, quod si sensibile proprium tactus, quod est aliqua primarum qualitatum, non immutat, quod sensibile commune, quod est figura, afficere non poterit, indeque clarum evadet, non de per se, sed per accidens figuram sensibilem esse. Visum eodem modo magnitudinem, & cætera relata sensibilia communia cognoscere per accidens scilicet existimo: tunc enim opinamur objectam oculis rem quadratam esse, cum prohibet ipsa, quæ à suo tergo sita sunt, quadratè videri, ut quæ duobus in locis discontinuis cernuntur, duo esse dijudicantur, semper illationes ex antecedentibus inferendo: ut cùm substantiam, aut aliud sensibile per accidens noscit homo, & non simplici apprehensione, qua sensibilia propria noscuntur, hæc qua sensibilia communia appellantur, noscantur.

Neque has illationes percipimus (& si semper eis utamur) habitu quodam sic percipiendi assuetati, ut cùm statuam, quam hominem esse nonnumquam existimavimus, hominem non esse, sed humanam imaginem censumus, quia tacta nec movetur, nec tactui cedit, nec palpitat, deinceps sine ullo sensato discursu cùm videtur, talis esse, qualis est, existimat. Merito ergo, ut dixi, relata sensibilia communia naturam sensibilium de per accidens habere affirmandum est, potius quam sensibilium de per se. Ut enim substantia, quæ de per accidens sentitur, discursu & ratiocinio intelligitur, sic prædicta: interest tamen inter substantiam, & illa, quæ propriè de per accidens sentiri dicuntur, quod substantia nullam speciem sensibilem gignat in organa exteriora, quæ sit ratio

suæ cognitionis, sensibilibus communibus in facultates sentientes exteriores sui species inducentibus, sive differant hæc communia à propriis, ut reales credunt, seu eadem sint cum sensibili proprio, sequendo nominalium sententiam, quam veram esse existimo. Sed de his alibi fusius egimus, & (si Deus concenserit) agemus. Prosequamur ergo improbare existentiam illam sensus communis, quam delere ratione præfata incepimus.

Secundò sic argumentor. Si ita esset, quod aliqua una facultas interior intuitivè diversorum sensuum objecta cognosceret, sequeatur naturam, quam omnes bucinantur in necessariis non deesse, nec in superfluis redundare, frustrà adeò artificiosam oculorum, narium, & aurium, & duorum reliquorum sensuum compositionem fabricasse ad diversa objecta percipienda, cùm unica simplicissima compositio, qualis est partis synapsitis, ubi sensus communis, ut referunt, viget, sufficit tam colores, quam odores, & sapores, & calores, & sonos intuitive sentire.

Tertiò interrogentur, qui ista affirmant, an sensus communis quavis sui parte percipiat quinque sensibilia propria, an cuivis proprio sensibili peculiaris portio illius organi respondeat? Si ultimum dixerint, non plus conductent illæ sensationes diversæ, ut differentiam inter objecta diversa eliciamus, quam si oculis color, & auribus sonus, & naribus odor, sentirentur. Si primum fateantur, iterum interrogabo, utrum sic quavis parte illius sensus communis quodvis sensibile proprium percipiatur, ut verum sit dicere, quod quavis partium illius organicæ facultatis quodlibet sensibilium prioriorum & quamlibet partium illorum per-

2. Ratio quo improbatur sensum communem organicam facultatem esse.

3. Ratio relata roberans.

cipiat: aut quòd dumtaxat totum sensibile proprium percipiat, & non partes: aut partes, & non totum. Hoc ultimum esse non potest. Primò, quòd implicat, aliquid cognoscere totum quantitativum, & non suas partes, ut partes, & non totum. Secundò, quia experimur esse in nobis, qui distinguat inter partes, & totum: quod nullus facere valeret, nisi utraque dignosceret. Coactus ergo adversus compellendus est asleverare, illum sensum communem, organicam facultatem interiorem esse putatum, talis naturæ fore, quòd in quavis parte illius organi existens totus, & cuivis suarum partium astans etiam totus, quodlibet sensibilium priorum & communium percipiat.

Ergo si quis dixisset, quòd illius facultatis organicæ, appellata sensus communis, anima, quæ est tota in toto organo, & tota in qualibet parte ejus, sentit affectus suarum partium, & totius: cùm, ut dixi, eadem numero sit, quæ totum informat, & quamlibet ejus partem, indeque ipsam posse distinguere inter hæc diversa, credibile ut possibile esset, ac porrò eum, qui hæc asseruisset, unica demonstrativa ratione convincere possemus. Si ita est, quòd anima hujus organicæ facultatis sicut appellata sensus communis est, quæ discernit inter diversa, distinctas partes ejusdem affluentia, & hoc modo vim ipsi animæ sensus communis tribuis, cur machinaris illam intimam facultatem organicam, cùm ad rationem reddendam eorum, quæ in nobis experimur, esse scilicet aliquam vim, quæ distinguit inter objecta diversorum sensuum, sufficit hos extimos sensus ponere, & dicere, quòd anima informans oculum colorem modo dicto cognoscit, & eadem numero stans in pede,

frigiditatem inductam in eo sentit, & affecta in organo olfactus, odores percipit, & ab antro auditus non distans, sonos recipit, eamque esse illud unum, quod inter diversa discernit, & etiam inter diversarum facultatum actus: quod si asleveraretur, ut affirmandum, ut verum necessariò est, non esset, ut quid inanis ille sensus communis situs in syncipite fingeretur: frustra nempè cùm exteriores quinque sufficient.

Nec hoc latuit quemdam exponentem secundum de Anima. Super enim contextu 146. secundi de Anima citato, objicit ipse adversus Aristotelem, non esse, ut quid hic sensus communis fingendus esset, cùm anima diversa objecta cognoscens, posset differentiam inter illa ponere. Cui argumento respondet ipse, quòd eti anima sit quæ primò sentit, non tamen quæ immediate sentit, & quòd ipsa sine facultate visiva, quæ est quoddam accidens, inens organo animato, non potest videre, neque sine virtute sensitiva sentire, & sic de reliquis sensibus differit. Et quòd ob hoc ipsa non valet distinguere inter diversorum objectorum differentiam, quia diversa objecta sine diversis facultatibus ab anima non cognoscuntur: & cùm illæ diversæ virtutes diversis partibus corporis insint, restat ab unica facultate, quæ est in organo sensus communis, sentienda. Sed in his decipitur doctor citatus, aliàs acris ingenii vir, educatus quippè in suæ tempestatis dogmatibus, quæ reales distinctiones singebant, non tantum inter animam, & ejus facultates, quas potentias appellabant, putà sentiendi, & intelligendi, & irascendi, sed inter sexcentas res, putà, inter magnitudinem, & rem magnam: & figuram, & rem figura-

*Carpitur quia
dam expositor
secundi de an-
ima.*

rata: & patrem, & paternitatem: & similem, & similitudinem: & propinquum, & propinquitatem: & tandem inter omnia prædicamenta, cùm sola illa re differant, de quibus infra agemus, aliis prædicamentis à substantia non re ipsa distantibus, sed tantum per intellectus considerationem. Solvit, ut audistis, doctor relatus dubium. Nullus enim illius doctoris ævo de illa reali distinctione prædicamentorum dubitabat: nam veluti quædam communis animæ conceptio recipiebatur: Hæc res alterius prædicamenti ab hac est, ergo essentia & re distat ab illa. Quo excusatatur tanti viri in prædictis error. Non enim tolerari potest differentia realis inter intellectricem, & sensatricem facultates, ut doctor hic affirmat. Si enim anima abjecta sensus & singularia mediante sentiendi vi percipit, & sine illa nequam, & intelligendi facultate intellectus sua objecta & universalia tantum intelligit, & sine illa minimè: ergo aliqua tertia facultas est assignanda, qua anima tam intellectus, quæ sensus objecta cognoscit. Consequentia probatur. Quia nos certi sumus, valere distinguere inter utraque objecta, quod efficere non possemus, si non aliquo uno utraque cognoscere mus. Quod si concedatur, in casum genitas esse illas facultates sensitrices & intellectrices in anima meritò inferemus, cùm illa unica sit sit, ad utraque opera exequenda. Deinde ulterius sequetur, impossibile fore unicam dumtaxat facultatem ambobus operibus proficere. Quoniam ad sensitivas cognitiones facultate quanta, quæ organo insit, indigemus, ad intellectus operationes indivisibili vi, ut ipse intellectus est, utimur, ut ipsi autumant. Sed esse eandem rem di-

visibilem indivisibilemque impli-
cat, ergo consequens verum.

Neque ignotum mihi est à quæ multis doctis viris tam præsentis ævi, quæ præteriti, responsionem quandam conferri, qua omnem vim argumenti ducti evacuare existimant. Inquiunt enim, singulare ab intellectu directè non cognosci, sed per reflexionem ejusdem ad phantasma posse ab intellectu percipi. Est enim mos usitatissimus complurium scriptorum distinctionibus verbalibus respondere argumentis citra exactum examen, an utraque distinctionis pars hypothesibus propriis adversetur, an non. Non enim intelligunt, qui sic (ut dixi) solvunt, non esse, ut quid potius inhibendus sit intellectus à cognitione singularis in se, quæ à cognitione illius per reflexionem ejusdem ad phantasma genitum ab ipso, cum dicere non poterint, quod propter majorem accessionem phantasmatis ad naturam spiritus, ut ipse intellectus est, quæ singulare ipsum, promptior fit intellectus affici à phantasmate, quæ à singulari. In his enim, quæ antecesserunt, probatum linquimus, neque species esse perfectiores objectis rebus producentibus easdem, neque etiam posse dici, phantasma perfectius esse singulari genitore earundem (inconveniret enim, causam imperfectiorem esse suo effectu) quin singulare potiorem naturam veri entis, ut intellectus ipse est, authore Aristotele tertio de Anima, textu comment. 20. & 3. Metaphysics, text. com. 12. habet, quæ phantasma, quod ad non ens plus multo ipso singulari accedit.

Neque etsi solverint referentes ob id singulare non cognosci ab intellectu, quod ipse organo non sit adjunctus, sine quo singulare cog-

*Improbatur
solatio non-
nullarum ra-
tionum per
hoc quod fin-
gulare directè
non cognosca-
tur ab intel-
lectu.*

cognosci non potest, & quod phantasma citra organum percipi valet, præfatis rationem non cavillabuntur, cum non citra organumphantasmatis cognitor existat, hac enim vi & bruta præterita recordantur, eadem abstractive, ut ipsi autument, cognoscendo, quæ intellectu privata sunt, & dumtaxat interiores facultates organo adjunctas habent, in quarum numero, quæ cognoscit phantasmatum, recensetur.

Etiam ad principale propositum roborandum, scilicet, ab intellectu singulare cognosci, ex constans secundum meam sententiam ratio, nullum syllogismum posse evidenter ullo modo intellectui esse, qui vel aliquam præmissarum singularem haberet, vel ipsam inferret. Consequentia est nota. Quia horum cognitione privabitur intellectus, qua ignorantia, vel antecedens, vel consequens ignota erunt, indeque syllogismus mancus.

Porrò non plus dissolvitur argumentum, dicendo singularia illa syllogismorum in universali esse cognita, quam si nihil dicatur, quod quæram ab eo, qui sic solvit, utrum hujus syllogismi: Omne animal rationale est homo; Petrus est animal rationale: ergo Petrus est homo: intellectus minorem & conclusionem cognoscat, an non? Quod si noscere fateatur, ut necessariò dicendum est, alias syllogismum non novisset, statim sciscitarob, an subjectum & prædicatum minoris percipiat, an non? Si confessus fuerit quod sic, cum subjectum minoris Petrus sit, qui singularis homo est, ergo intellectus cognoscere eundem confiteri tenebitur, quod suæ hypothesi adversatur. Verum si negasset minoris subjectum cognosci, statim insurgant adversus pertinacem, necessariò sequi, ignotam esse intellectui illi

veritatem minoris, cum tunc sciatur, quod illa sit vera, quod affirmativa sit, & subjectum & prædicatum ejusdem pro eodem supponant: modo si subjectum non cognoscatur, nullo modo intelligi poterit pro eodem quod prædicatum supponere, an pro diverso.

Non est ut quid improbando hujusmodi fictiones immorer. Omnes enim doctorum scholarium errores circa intellectus & sensus actus originem traxere à sensatione communi brutis & nobis, qua delecta ab irrationalibus, facile intelligent, eandem animam, quæ universale cognoscit, & singulare percipere. Qua de re tamen dicatur altera sensatio alia intellectio, dicendis differo.

Certè non evadet argumentorum doctorum vim, qua improbatur existentia sensus communis, ut unica organica facultas sit, qui disserit, animam sentientem non indigere facultate quanta & divisibili, qui ipsam sentire sensitrice facultate indivisibili, & non quanta asseveraverit. Quoniam si talis natura foret facultas, qua sentimus, non esset ut quid sensus communis fingeretur, cum suffecisset ipsa anima indivisibilis & indivisibili facultate cognoscens ubique corporis, primò & immediate inter cūjusvis sensus tam objecta, quam actus distinguere, ut distinguit, & sic frustra esset fictus ille sensus communis appellatus, ut supra diximus.

Eadem ratione deletur venerabilis inceptoris fictio, quæ in nobis duas animas, sensitricem & intellectricem esse machinatur. Etiam Platonis in Timæo & Theæteto, & aliis Dialogis, & Galeni in 7. & aliis antecedentibus & subsequentibus libris de placitis Hippocratis & Platonis assertiones, qui in jecore

Okam opinio
de duarum a-
nimarum in
bominibus exi-
stentia impro-
batur.

re appetentem animam esse dicunt, in corde irascentem, in cerebro sentientem & intelligentem affirmant existere.

Okam enim minimè reperiet in homine animam ullam, quæ distinguat inter objecta sensitivæ, & intellectivæ, cùm quævis sibi peculia ria cognoscatur, & nulla alterius. Si enim aliqua utraque cognovisset, altera superfluisset: nisi fateatur ipse esse aliquam tertiam mentem, quæ tam sensus, quam intellectus operationes exequitur, indeque sequetur, sensitricem & intellectricem animam supervacaneas esse, cùm hæc tertia munia utriusque exequi suffecisset.

Nec alio modo Plato, & Galenus improbantur. Omnes enim discernunt suum appetere, non esse suum irasci, neque suum intelligere, quod efficere non valuerint, si aliquo uno non appeterent, iraserentur, & intelligerent.

Deleta rationibus ductis facultate illa organica, quam sensum communem appellavere, assertione hac, quod anima ipsa sine ullo accidente nominato virtus sentiens, aut intelligens, sentiat, ut dictum est, & intelligat ut dicetur, & appelletur sensus communis, cùm quinque sensibilia priorum differentiam percipit: restat citatum Aristotelis contextum in paraphrasim redigere, quo patulum fiet, eundem expresse ea, quæ nos protulimus, scripsisse.

Porrò unusquisque actus sensus, sensibilis est à sentiente illo actu: nullus enim est cognoscens colorum, qui non cognoscit, si vult, se supra illam cognitionem reflectere, se cognoscere quod videt, & etiam quam differentiam objecti videt, an albi aut nigri, & cùm gustat, etiam se gustare percipere: & quem modum saporis, an dulcis & amari,

an alterius etiam cognoscit. Et post univeras has cognitiones, inter præfata cognita distinctionem nos assignare, differentiamque cognoscere, intelligimus, collationem facientes albi sensati visu, ad dulce perceptum gustu, non alio, quam sensu, quod sensibilia sunt, quæ cognoscuntur. Neque sensum hunc, qui omnia sensibilia cognoscit, existimet ullus, esse carnem, quam quoquomodo in universis organis sentientibus reperitur. Tactus enim & gustus manifestè carne abundant: nasus & auditus etiam cartilaginosa carne dotata sunt: visus in adnagta tunica portionem carnis habet. Si enim caro illud ultimum sensitivum, & quod distinguit, inter diversa objecta esset, sequeretur quod si quis distingueret inter colorem & saporem, quod quicumque tetigisset carnem illius sua carne etiam cognovisset eandem distinctionem coloris & saporis, quam tacta caro sentit. Consequentia est nota. Quia caro tangens & tacta eandem facultatem habent. Sed tacta suo tactu cognoscit differentias saporis & coloris, ergo caro tangens eodem modo afficietur à colore & sapore ut tacta, & distinguet inter illos, ut eadem. Si ergo caro tale sensi ivum commune esse non potest, neque cognoscendo diversis partibus diversa, potius possumus distinguere inter eadem, quam si unum ex objectis ego cognovissem, & aliud tu, restat aliquo uno illa, quæ diversa sunt, cognosci, homo enim sèpè dicit alterum esse dulce ab albo, sic intelligens & sentiens ut profert. Ex quibus primò infertur, impossibile esse separatis separata & se juncta cognoscere, sed uno & eodem. Secundò sequitur non in tempore separato cognitiones has diversorum fieri, sed in uno &

*Plato & Ga-
lenus impro-
batur de plu-
rium anima-
rum in homi-
nis assertions.*

*Paraphrasis
In contextum
Arist. incipien-
tem text. com-
ment. 144.*

codem. Nam cùm dicit diversum esse bonum à malo qui inter ea distinguit, non potest id verè affirmare; si quando bonum cognoscit, mali oblitus est: aut quando malum intelligit, bonum oblivioni tradidit. Quoniam intelligere quòd differt hoc, quod nunc cognosco, ab aliquo, nequaquam dici potest, nisi illud alterum in eodem nunc cognoscatur in quo aliud: indivisibili ergo tempore, & indivisibili sentiente inter diversa distingui-
mus, & eadem cognoscimus. Quòd si impossibile re putas simul contrariis motibus moveri illud unum, & indivisibile, quod primum sensitivum esse diximus, cùm contrario modo immutet sensum, aut intellectum dulce, quām amarum, indifferenterque album quām utraque: verum censeret, si illud unum, quod primum sensitivum est, indivisibile esset, & indivisibilitē se haberet. Sed quamquam animadversum ipsum sejunctum à corpore loco, & numero indivisibile intelligitur: prout tamen habet esse in corpore, quod informat, diversas partes habere singitur, quibus diverso modo affectis, illud unum, idemque utrobius existens, diversa intelligit. Neque quæ dicta sunt, repugnant. Posse enim aliquid dividiri, & esse indivisibile, hæc contrariantur ad invicem: sed habere esse in diversis partibus, & eisdem diversis operari, & idem esse indivisibile, utrobius unum idem existens, hoc possibile, & de facto in hominibus contingit. Nam cùm simūl album, & nigrum videmus, diversis partibus organi visorii cognoscimus, & non una eademque: quia ut contraria hæc simūl esse non valent, sic nec una eademque pars organi pati ipsorum species simūl potest. Tandem indivisibile relatum tale

est, prout id, quod punctum in linea intelligimus, aut unitatem in numeris, vel ut dualitatem animadvertisimus, quæ indivisibilis intelligitur, quicquid enim addideris, aut subtraxeris ab ea, non remanebit dualitas.

Quibus relatis ex Aristotele, omnibus innotuisse existimo eundem expressè sensisse, illud primum & commune sensitivum animam indivisibilem esse, & nullam aliam organicam facultatem, quam Physicorum, & Medicorum universa caterva commenta est.

Verūm quod Aristoteles à me in exordio hujus Paraphrasis durius videtur explicitus, quām litera antiqua toleret, cum loco illorum verborum: [Unusquisque quidem igitur sensus subjectivè sensibile est, qui est in sensitivo in quantum sensitivum.] Nos tantum hæc verba transtulimus, putà. [Porrò unusquisque actus sensus.] Quæ cum antiquo contextu convenire non videntur: ideo convenientiam paraphrasis cum contextu duobus verbis explicemus. Dicentes idem apud Aristotelem esse sensum subjectivè in sensitivo in quantum sensitivum esse, cum eo, quod nos appellamus, actum sensus. Namque cum res extrinseca, quæ sentitur, sensitata dicatur, & facultas subjectum sensationis appelletur in bono sensu, & eadem possit nonhūnquam esse subjectum speciei, quæ ratio est sensationis objecti, cum sensus animadvertisit, & alias subjectum esse ejusdem, valeat, etiam cùm non considerat aliis intentus, ideo volens exprimere Aristoteles, quòd ipse loqueretur de sensatione actuali, & non de sensu, qui est in potentia ad actus diversos, cùm adhuc non sentit, ideo dixit, qui est in sentivo in quantum sensitivum, ad sensationem explicandum.

*Exprimitur
ratio cuius-
dam exposi-
tionis para-
phrasis.*

Etiā

*Examinatur
en vera que-
dam Aristot.
sententia duc-
ta in para-
phrasi fit.*

Etiam dubitatur, quantum veritatis habeat illa sententia Aristotelis ducta. [Quia album, & nigrum simul esse non valent, neque sensum unum posse simul pati ab speciebus utriusque.] Quoniam eventibus contraria videtur. Nam & si verum sit, nihil posse simul album, & nigrum dici secundum se, & quodlibet sui, non tamen contingit species eorum simul in eodem adequato subiecto non posse reperiri: cum in triclinio, cuius parietes, tectum, & pavimentum essent alba, & exinde medium illius triclinii universum speciebus albedinis tantum affectum: si res nigra intromitteretur, etiam sui species in eodem medio induceret, alias enim videri alba res non posset, uno eodemque medio, utriusque putà nigredinis, & albedinis species recipiente, & exinde simul ambabus existentibus. Pro quo discernendo, notandum, quod duplicitè induci possunt species in aliquam rem. Uno modo ut in subiecto, quod tantum denominatio afficiunt. Alio modo ut in subiecto, quod non solum denominazione, sed verò motu locali alterant. Primo certè modo verum est in medio, tam albi, quam nigri species conjungi, secundo verò nequaquam. Voco aliquid induci in aliud, velut in subiectum, quod tantum denominat, cum inductum partes subiecti, nec alium situm, nec ubi acquirere efficit, quam prius, ut cum albedo, vel nigredo, aut ejus species in lapide, aut in aere, vel in alia re non vivente inducuntur, nullas partes lapidis, nec alterius subiectæ rei disagregando, neque congregando: inducuntur tamen in vivente aliter, putà lationem inferentes. Cum album disagregando spiritum visivum, etiam ipsius oculi partes à centro suo segregat, vel ni-

grum coadunando congregat, indeque dolorem eximiè album induce re est solitum, & nigrum quoque, ut Galenus de Symptomatum caussis libro primo, capitulo sexto, dixit: Quo ultimo modo, ut retuli, impossibile est idem simul speciebus nigredinis, & albedinis affici.

Si interrogas, cur medium speciebus albedinis non disaggregatur, & nigredinis congregatur ut viventis oculus? solvam. Quia passibilior est oculus, dum vivit, quam quodvis medium. Nullam potiorē solutionem principali quaestio reperi, quam præfata. Aristoteles enim decreta hisce temporibus, & multis retroactis tantæ authoritatis sunt, ut nullus ausit ejusdem sententiis adversari, nisi pietati sint contrariae.

Restat adhuc, & Paraphrasis nostra, & Arist. contextus unum non exiguum dubium dissolvere, scilicet. Quid moverit Aristotelem suspicari, posse dici carnem esse primum sensitivum. Nam, & si nos, ut potuimus, exposuerimus illam sententiam, dicendo ideo fictam fuisse ab Aristotel. quod quivis sensus carne participare videretur, in rigore falsa est illa nostra expositio. Nam non carne in sensu tactus percipimus, sed nervo, carne, ut medio, deserviente, ut idem Arist. secundo de Anima, text. comment. 109. testatur. Nec organum olfactus situm est in naribus, sed in parte anteriore cerebri, ut sufficienter Galenus in libello de Instrumento odoratus, probat. Quo etiam videntur, non est illa pars oculi, quæ adnagta, seu album oculi appellatur, sed alia, quæ carne non participat: nam glacialis humor, aut nervorum opticorum conjunctio. Ad quod dubium respondeo primò, quod si expositionem comment. 146. Averrois sequimur, non sic

exponeretur contextus, ut in nostra paraphrasi explicatur, sed aliter putà, ut ipse dixit. [Si ultimum sentiens esset in oculo, aut in lingua in gustu, tunc necesse esset, cum judicaremus dulce esse aliud ab albo, judicaret per duo diversa, illud enim, quod comprehendit dulce secundum hanc positionem; aliud est ab eo, quod comprehendet colorem omnino, illud enim est in oculo, & hoc in carne, aut sibi simili. Sed caro in tactu non est sicut oculus in visu.] Ac tunc dubium nostrum cessasset: quia Aristot. non dixisset plus carnem gustus esse ultimum sensitivum, quam auditus, aut alterius peculiari organi sensitivi, nisi per modum exempli, verum quod ego non existimavi illam sententiam posse quadrare cum contextu Aristotelico antecedente, qui hujusmodi erat. [Quoniam autem, & album, & dulce, & unumquodque sensibilium ad unumquodque comparando discernimus, & sentimus: quia differunt, necesse est igitur sensu: sensibilia enim sunt: quare manifestum quoniam caro non est ultimum sensitivum: necesse enim es-
set tangens ipsum discernens, dis-
cernere.] Quia haec ultima verba, de cuius expositione nunc dubitabimus, & explicuius nos, dicendo, quòd necesse esset, si caro es-
set ultimum sensitivum, qui tange-
ret ipsam carnem, quam ultimum sensitivum appellabant, distingue-
re, & discernere inter sensibilia illa cognita à carne, per modum corollari: illata esse videbantur ex antecedentibus, & non per modum exempli, ut Averrois exposuit: ideo si contextus vitiatus non est (de multis enim Arist. sententiis hanc suspicionem habeo, quòd videam in diversis excusionibus in mea tempestate æditis, quā multa ver-

ba variata, præsertim in illa, in qua anno præterito 1552. Arist. universa opera per Juntas excusotes Venetiis sunt impressa cum multis additionibus utilibus aliquibus, & futilibus alijs, adeò tot non dumtaxat verba, sed sententiae quasi in contrarium sensum versa, ut non possim credere, nisi quòd Aristotelis alter illorum non est, de quibus forsan fusiūs alibi agemus.) di-
co, ad propositum redeundo, quòd non ob aliud suspicandum est, il-
lad illatum ab Aristot. fuisse potius de carne, quām de ulla alia corpo-
ris particula, nisi quia in ea est spar-
sus sensus tactus, qui omnibus ani-
malibus communis esse putatis est
ab Aristotele. Quod si non satisfa-
cit lectorem, etiam (ut vera fatear)
nec mihi arridet. Tamen quia non
aliud verò similius reperio, ideo sic
solvo. Ego enim, ut plures suprà
dixi, non multùm curo in physicis
negotiis explicare authorum sen-
tentias, quæ nullam nisi extortam
patiuntur expositionem: verita-
tem nempe in illis rebus exponen-
do, non mea multùm interest, an
sit illud de mente authoris, an nec
ne.

Si ullus dixisset posse simul al-
bum intuitivè cognosci, & nigrum
abstractivè, citrà diversarum par-
tium organi visorii affectionem,
quo inconveniens Aristotelis vitare
existimasset, decipietur. Quoniam
Aristotelis ratio de cognitionibus
intuitivis, quas sæpè in nobis ex-
perimentum, conferendo hoc album
visum huic dulci gustato, tantum
loquitur in citato contextu, & non
de una abstractiva, & altera intui-
tiva, ut in casu proposito.

De sensu communi, quem fin-
gebant, tam Physici, quām Medi-
ci primam facultatem de interiori-
bus organicis esse, hucusque diser-
vimus: supereft ut deinceps de alijs

*Improbatio
solutio, quæ
tribui posset ad
ristotelicarum
rationis.*

*Opinio Aviceta-
ne, & alio-
rum Philoso-
phorum de
phætologia im-
probatur.*

facultatibus interioribus tractemus. Porrò post sensum communem in eadem anteriore parte capit is phantasiam esse physici existimavere, cui Avicena Fen. prima primi, doctrina sexta, cap. quinto, non paucis mendis depravato, duas functiones tribuit, à diversis sui partibus factas, & illam, quæ præcessit sensus communis, & aliam, quæ subsequitur, servandi videlicet phantasmata rerum sensatarum à quinque exterioribus sensibus, & præsentandi eadem illi facultati interiori, quæ absentia cognoscit. Differt tamen à memoria phantasia recensita, quod memoria species amicitiae, & inimicitiae, ut ipse Avicena refert, servat, & ea, quæ numquam sensata fuere, sed ab imaginativa finguntur, custodit. Phantasia verò tantum ea, quæ, ut dixi, aliquo ex quinque sensibus communibus percipiuntur, servat, curam custodiæ aliarum rerum memorie committendo: in quibus non major veritas agitur, quam in relatis, quæ de sensu communi impugnavimus. Quippè cum situs alicujus facultatis in aliquo membro hoc uno, & præcipuo argumento comprobatur, quod, & si cætera membra sint salva, si illud malè afficiatur, functio non exequetur: & omnes sciant, passimque experiantur, quantumvis læsa parte anteriore cerebri, neminem oblivioni traditum ea, quæ olim sensit, etiam quod læsa posteriore portione, quam occiput appellavit, si insignis est læsio, universarum rerum memoriam aboliri, tam sensatarum à sensibus exterioribus, quam illarum specierum, quas amicitiae, & inimicitiae esse finguntur. Inde falso fictas fuisse illas duas sedes servatrices meritò quilibet dicet, nullamque talem facultatem esse sine dubio affirmabit, nam neque in u-

num, neque in aliud usum necessaria est.

Transeamus ergo agere de tertia facultate, quam imaginativam nominant, cui munus componendi, & dividendi olim sensata, prout illi placet, cognoscendique eadem collatum est. Hæc enim fingere potest, cum ei libet, hominem volantem supra montem ex smaragdorum lapibus constructum, & alias mille formas, quarum nullas naturæ producere unquam placuit, ac abstractas illas sentire, quæ non sunt, & absentes, quæ sui imagines reliquerunt in memoria, eo modo percipere, prout in antecedentibus retulimus. Hanc facultatem nobis inesse nullus inficiari poterit, quod actus ejus in se quilibet experitur. Ideoque ea duo munia, quæ illi tributa sunt, fatemur eidem competere.

*Imaginativa
facultas inter-
rior esse af-
firmatur.*

Verum quod Galenus de Symptomatum differentia, libro uno, cap. 3. opinatus est, læsione tantum hujus facultatis quoddam symptomata Theophilo medico accidisse, inquiens: [Plerumque enim in utrisque intimis facultatibus simul delirium consistit, tūm parum probè imaginando, tūm parum aptè ratiocinando, est autem in altera dumtaxat. Quod genus Theophilo medico ægrotanti contigit, cui reliqua quidem prudentia supererat, & disputandi, & præsentes exactè noscendi, cæterum tibicines quosdam angulum domus ubi decubuit occupasse, asidueque sonare, tūm pulsare putabat, atque hos se intuerirebatur, partim illic stantes, partim sedentes, adeoque sine intermissione sonantes, ut neque nocte, neque diu usquam, vel minimum tempus quiescerent. Exclamare igitur non cessabat, ac jubere, ut domo ejicerentur, atque hæc illi erat deli-

*Improbatur
Galenii sen-
tencia de sym-
ptomatu cau-
sis, cap. 3.*

rii ratio. Idem postquam convalluit, à morboque evasit, tum reliqua omnia, quæ ingredientium quisque dixisset fecissetvè narrabat, tum imaginationis de tibicinum tædio meminerat. Quibusdam verò nulla aliena imaginatio visitur, sed perperam ratiocinantur, ratiocinatrice animæ parte iis affecta, veluti phreniti contigit, qui fores sibi intrinsecus occlusit, ac singula vasa per fenestram promens, accedentes rogabat, num projicere juberent, hic enim singula vasa rectissimè nominabat, in quo se manifestè declarabat, nec in imaginatione circa ea læsum esse, nec in nominum memoria. Quid igitur sibi vult, quòd ab alto omnia proiecit, ac perfregit? hoc scilicet intelligere non poterat, sed opere ipso delirare se declarabat.] Ideo quomodo Galenus in hujusmodi narratione deceptus sit, existimans Theophilum illum tantùm vitio imaginatricis facultatis in relatum à se symptoma incidisse, paucis examinemus. Certè si tantum ob id, quòd ille sonus tibicinum, qui non aderat, & esse falso imaginabatur, & audiri à se æger existimatbat, ut exclamare non cessasset, quòd è domo projicerentur tibicines, mente Theophili illæsa, ut Galenus fatetur, contigisset, sequetur, quòd in universis aurium bombis idem accidens esset conspicendum, quod fieri non videamus. Quin cùm mens illius, qui aurium tinnitibus afficitur, viget, se decipi non invalidis conjecturis comperit, quærerit enim astantes, an illi id audiant, quod ipse, & vel ipse, vel cui imperat, murmur illud ubi sit, inquirit: quod cùm nulli præter proprias aures, aut imaginativæ locum eum sonum habere intelligit, statim medicorum tutelæ se committit, ab eisdem operi

morbo illi implorâns. Quæ omnia si mente ut imaginatione non vacillasset Theophilus, esset facturus, nam non gravioribus conjecturis intellexisset, coram se tibicines non esse. Verùm cùm ratiocinii vis ægrotabat, fungi proprio munere non poterat, ob idque utraque facultate læsus, & non altera tantùm, ut opinatus est Galenus, vociferabat, præcipiens ea fieri, quibus obtemperare nullus poterat.

Aliam facultatem etiam credere inesse omnibus animalibus omnes fermè physici, quam extimativam, seu cogitativam appellavere, sedemque illius medium cerebri ventrem esse opinati sunt, ipque cogitandi, moderandique actus animalium vis tributa est, præcognitis ab ipsa amicis, inimicisque rebus, convenientibusque, & inconvenientibus, quam soli homini collatam esse in exordio hujus operis non imbecillis rationibus, sed certis, demonstrativisque probavimus. Tertiam quam servatricem phantasmatum & memoriam nuncupant, in nobis & brutis universi, qui philosophantur, affirmant esse, quæ nulli nisi dementi ignota esse potest.

Tandem in epilogum relata colligendo, dicamus, quòd in nobis, quibus omnes facultates cognitives interiores organicæ collatae sunt, tantùm imaginativa, & memoria reperiuntur. Nam sensus communis, & extimativa, seu cogitativa vim eidem animæ concedimus, ut phantasiaz facultatem memoriaz tribuimus, nullamque organicam facultatem iis facultatibus, quæ ab anima non distinguntur, assignamus, quod non plus dici potest anima sensus communis, quia videns, quæ quia audiens, aut sentiens, ipsamquem est esse vim intellectricem asseveramus.

*Abuletur à
brutis existi-
mandi facul-
tat.*

*Quot sint in
homine facul-
tates interio-
res sensitrices,*

Qualiter intellectus operaciones ab hominibus fiuntur, ut bususque opinatum est.

Sed cùm sermonis discursus de vi intelligendi nos agere invitat, in quod opus multo ante accincti eramus, quæ de ea ab expositoribus libri secundi & tertii de Anima Aristotelis referuntur, in medium proponantur: exordio sumpto ab illo actu, quem omnes asseverant, solius intellecticis animæ esse, putata cognitione universalis, quam eo modo, quo referam, fieri fabulantur. Dum enim animal, quod universale est, intellectus intelligere satagit, aliquorum individuorum illius speciei phantasmati alias cognita, coram imaginativa proponit, quæ nudat ab omnibus conditionibus sic illis competentibus, quòd non aliis brutis, neque hominibus, quas individuas vocant, ex phantasmati, species intelligibiles elicendo, ut more illorum loquar, putata si talis coloris esse cognovit, de colores fingit: si tantæ magnitudinis nullius machinatur: si in certo situ, aut ubi eadem vident, nullibi esse reputat. Et per hanc methodum, omnibus sublati peculiariibus conditionibus, quibus singulare animal ab altero distabat, superest exuta & nuda ipsa animalis natura, quæ per species intelligibiles actum intellectionis universalis in intellectu gignit, quem actum intellectionem nominant, accidens quippè quoddam spirituale inens ipsi intellectui esse reputantes, sine quo animam non posse plus dici intelligentem autumant, quām parietem album, sejuncta albedine. Hujus physici discursus, quia tot fermè citare possem autores, quot expositores librorum de anima fuere, & etiam quam plures alios tam Medicos, quam Theologos, qui aut super libros duos priores sententiarum, aut in aliis scriptis de his mentionem egerunt, ideo nullius particularis scriptoris de-

cretum duco, omnibus relata tribuens: quæ quantum veritatis habent, explicemus.

Primoque, an species intelligibilis ex phantasmati elici possit, discutiemus. Secundò, utrum intellectio accidentis ullum sit in ens ipso animæ intellectici, quale fingitur. Tertiò, si nihil eorum, quæ machinata hucusque sunt de modo intelligendi pro veris à me recipiuntur, quomodo intellectus intelligat, dilucidetur. Etiam quia toti homini & nulli partium inesse sensationes nonnulli crediderunt, qui totum à suis partibus distinguunt, id explicabitur: & utrum facultates cognitivæ distinguantur ab anima. Quartò, an cum Aristotelis sententia tertio de Anima, distinguuntis intellectum in agentem & possibilem nostra placita convenient, ad amissim pertractabitur. Ultimoque de ipsis animæ rationalis aeternitate agemus, quibus finem huic opusculo imponemus.

Primum, quod examini subjiciendum promisi, illud erat, utrum ex phantasmati species intelligibiles elici possint. Quod ideo verum non esse reor, quòd cum ex antecedentibus patuit, phantasma corporal rem esse, nullo modo percipere valeo, qualiter verè dici possit ex eodem fieri species intelligibles. Nam si id velint, quòd corrupto ipso, gignatur species intelligibilis ducens in cognitionem universalis, mille modis à vero discedunt. Nam neque phantasma corruptitur post universalis intellectionem, cùm non minus mediante eodem cuiusvis alterius rei recordemur, quām prius: neque etsi corrumperetur, materia esse posset speciei intelligibilis, plusquam lapis materia esse valet naturæ angelicæ. Absurdum quippè est, existi-

*Improbatur
communi: as-
serio ex phan-
tasmatibus
species intelli-
gibiles elici.*

mare nobis inesse vim gignendi aliquid spiritale ex corporeis rebus, cum materia corporum subjici non potest intellecticibus rebus, sic ut ex eadem & intellectrice forma, incorporeis res resultet. Nec illo modo dici potest ex phantasmatibus fieri species intelligibiles, quod illis omnino deletis, loco eorumdem species intelligibiles substituantur. Quoniam cum non ut materia speciei deserviant, ut probavimus, neque ut efficiens, & dans formam intellectricem convenire possint (nihil enim gignere potest quid se perfectius) resultat, nullo modo in productionem speciei intelligibilis concurrere. Quod enim velit Arist. phantasma esse corpoream rem, patet, cum de memoria & reminiscencia cap. 1. de phantasmatibus loquens, inquit: Sine continuo, non est intelligere, quia intelligere non est sine phantasmate quod est ipsius hic nunc cum sit similitudo singularis sensibilis.

Quibus si sufficienter respondisse existimaveris, cum dixeris, vi luminis intellectus posse id fieri, quod citra illud factum numquam esse visum est, statim a te sciscitabor, quid conferat intellectus hic phantasmati lumine suo, ut valeat cum illo producere ex se speciem intelligibilem velut ex materia ex qua, aut ut ex agente, & nihil quod inductum fuerit in phantasmate ab intellectu sufficiet vires eidem tribuere ullius rei recensitae. Namque intellectus phantasmati substantiam intelligibilem non tribuet, cum solus Deus possit hanc creare. Et quamvis ipse intellectus hujus facultatis particeps esset, nequaquam posset in phantasmate, quod substantia corporea est, substantiam aliam spiritalem creare. Neque accidens ullum spiritale concedet, cum hoc inesse citra miraculum

corporeis rebus non valeat: restat ergo nihil conferri posse phantasmati, quod aequet vim producendi speciem intelligibilem.

Secundò etiam probo phantasma in intellectum inducere speciem intelligibilem non posse: eo, scilicet, quod phantasma res inanima se juncta à vivente sit, quamvis intra ipsum contineatur, indeque certum sit, si inductum erat speciem intelligibilem in intellectum, qui vel anima ipsa rationalis, vel ipsius animæ vis quædam eidem hærens est, quod nequam posset id efficere, nisi in toto homine, vel aliqua ejus parte id induxisset, cum anima ipsa rationalis separata ab homine, vel ejus partibus, non conspiciatur dum vivimus, sed nec homo ipse, nec ulla ejus pars quanta, subjectum aptum huic inductioni speciei intelligibilis est, quod ipsa fit indivisibilis incorporeaque, cupiens subjectum ejusdem naturæ cui inesse, & quod informare valeat.

Neque species intelligibilis giganti potest ab intellectu per considerationem phantasmati, sejungendo ab eodem animadversione propria eas, quas individui conditiones nominant, & post speciem intelligibilem gignendo, quæ universale sibi ipsi repræsent: quod omnes, quamvis sub aliis verbis, dicere videntur. Quoniam si ita fieret, incassum intellectus fabricasset speciem universalis, quod ipse prius, ac exquisitus intelligit, quam species valeat illud referre. Porro nequam intelligi potest, speciem referentem universale genitam ab intellectu, non habere (jam quod cætera fileam) in repræsentando perfectius esse in intellectu, qui eminenter eam continet, ut causa quævis proprium effectum, quam extra, ut illa Venus charita,

Improbatur evasio nonnullorum dicentium phantasma posse gignere speciem intelligibilem vi luminis intellectus.

Alia ratio que exemplo Apelles pictoris & aliorum improbatur speciei intelligibilis generatio ex phantasmatis animadversionis.

quam deesse universis tabulis, Apelles pictor quantumvis modestus jactabat, singulari cura ejusdem depicta, quam maximè distabat ab ea, quam Apelles, ejusdem author, mente propria conceperat, universa enim, quæ in tabula illa conspicebantur, concepta prius fuisse ab eodem, nullus non confitebitur. Sed cùm certi simus, organa tam viventia quām inanimata, quibus ipsa depicta fuit, non sic in totum obtemperata fuisse illustri pictori, prout ipse cupiebat (ceu universis, qui mechanicum opus quodvis conficiunt, contigit) membris & fabrilibus ferramentis renitentibus, ob id enim lassamur, cùm hujus generis operibus incumbimus, artifex egregius voti compos esse non valuit, nedum in præfata pictura, sed in universis suis operibus, eisdem picturis, quæ proles artificis dici poterant, in nonnullis etsi minutis rebus, dissimilibus parentibus factis. Si ergo in hujusmodi opere extrinseco artifex non satis laudatus ab incepto destitit, verosimile erit, intellectum ipsum nullo modo potuisse producere speciem, sic ad vivum referentem universale, prout cognoscitur ab ipso intellectu producto re speciei æmulatione intellectæ à se.

Sed detur, quòd intellectus asequatur vim tantam, ut possit speciem intelligibilem referentem universale, adeò exactam gignere, prout ab ipso universale noscitur: porro incassum laborasse videbitur intellectus, cùm in nullum alium usum genuerit eam, quām ut mediante illa id noscatur, quod prius quam genita fuit, noscebatur.

Improbatur
quidam modus per quem aliqui putare possent species intelligibles gigni.

Nisi opinatus fueris speciem intelligibilem, quæ universale representat, non genitam fuisse ab intellectu noscente universale prius quam ipsam genuerit, quin post

ejusdem genituram eadem vicem objecti habente, universale cognosci ab intellectu. Quod si referatur, primò sequeretur alicui rei insitam esse vim gignendi aliquid, quo intelligat, eadem re sine illo non potente intelligere, & hanc eandem non semper intelligere, quod non parum inconvenit. Quia si agens ad producendam aliquam actionem non indiget re extrinseca, semper futurum erat actu producens, dum universa intrinseca, quæ semel convenerunt in productione, post convenienter: nulla enim ratio tribui potest, cur potius uno tempore quām alio producat: sed intellectus, qui semel speciem intelligibilem genuit, eadem habet tunc, cùm eam efficit, ut prius ac post habebit: ergo antea, & postea, & semper actualem cognitionem universalis habiturus erat, ut cùm semel habet: etiam inconveniens prius illatum sequitur, cùm ipse intellectus, ut causa speciei eminenter eadem contineat, ac sic nullo modo verè dici posset indigere suo effectu ad notionem habendam.

Scio duplum posse instari hanc nostram rationem, primò solvendo eandem per libertatem voluntatis, cui concessum esse dicant, cùm velit cognoscere universale, posse præcipere intellectui, ut eliciendo speciem intelligibilem universale intelligat: & cùm nolit huic operi incumbere, sed aliis rebus, possit: & cum ab omnibus studiis feriatus esse velit, eidem licitum sit, nullius rei cognitionem habere. Aut aliter etiam dissolvi ratio nostra censebitur, si referatur, non valere intellectum speciem intelligibilem gignere sine antecedente phantasmatis animadversione, ut Aristoteles referebat, tertio de Anima, textu commenti trigesimi noni, necesse est intelligentem phantasmata spe-

speculari, & hanc deesse, cum universale non cognoscitur, atque hanc adesse, cum id intelligitur.

Verum quod neque prior, neque posterior evasio rationis vim dissolvant, non quam multis argumentis probabo, sed paucis, ipsisque validis, demonstrabo, aut si verbum exactam probationem denuntians non admittas, suadebo. Primum enim certum est dici non posse, cum nullus in se experiatur, adeo promptam esse propriam vim intellectricem ad universalis cognitionem, quod eidem liceat citra speculationem phantasmatis universale intelligere, quin hanc praequiriri universi intelligunt, quod unum manifeste monstrat, incongrue responsum esse nostrae rationi, sola libertate voluntatis, evadendo argumentum.

Secundò etiam non minus indecenter solvi argumentum probatur. Quoniam si post exactam speculationem phantasmatis intellectus speciem intelligibilem gignit, qui ante non poterant, non ex alio intelligendum est hanc vim superadditam eidem esse, quam ex cognitione illa rei singularis, & quantæ: sed hæc cognitio nequam potest conferre intellectui facultatem cognoscendi universale, quod indivisibiliter percipitur, & à facultate indivisibili noscitur, & phantasmatis cognitionem transcenderet, si gigneret rem indivisiblem speciem scilicet, ergo neque per hunc modum nostra ratio dissolvetur. Tamdem intelligent, qui has species intelligibiles finixerunt, ut eisdem intellectus cognoscat universale, quod post quantumvis exactam cognitionem phantasmatum intelligere (ut illi referunt) sine iis nequit, non in aliud usum deservire eas intellectui, quam ut illis velut imaginibus utens intel-

lectus, cognoscat universale: in eum errorem sic opinantes incidere, in quem incidisset pictor, qui referret quia conscius mihi sum, me numquam Elephantum, neque ejus figuram vidisse, neque cuius formæ erat, audivisse, volo pingere Elephantum, qui mihi in mente repræsentet eundem. Stultum enim est putare posse pingi aliquid, quod prius à pictore conceptum non sit. Cum ergo hæc, quæ opinabantur, esse non possint, restat talem intelligendi modum in nobis esse, qualis post proferetur. Hæc ergo mittamus, ut ad reliquorum examen transeamus.

Secundum quod me facturum prædixeram, fuit inquirere, utrum intellectus actus cum ipse intelligit five universale, seu quamlibet aliam rem, sit accidens ullum distinctum ab eodem intelligentे, an ipse tantum intellectus taliter se habens cum intelligit, qualiter priusquam intelligereret, non se habebat. Quod ut ad unguem discutiatur, rationes, quibus scriptores compulsi fuerunt distinctionem ponere inter intellectum & suos actus scribam, etiam authoritates non leves, quæ id affirmandum cogere videntur, subnectam. Et postea quid de hoc negotio sentiamus explicabo.

Sit ergo prima ratio illa, quæ jam bis in hoc opusculo in consimilem usum ducta est, necesse esse intellectum, qui modo non intelligebat, & postea intelligit, aliqua nova entitate dici intelligentem, cum si nihil eidem superadditum foret, non esset cur potius dicatur intelligens prius, quam posterius. Et cum substantia superaddi eidem non possit, una enim non recipit alteram) restat accidens esse intellectu-

mentem.

Secundò sequeretur si idem cum anima esset actus intellectus, nul-

Rationes quibus Physici & Theologi opinati sunt animalis intellectu distingua realiter à se intelligere exprimuntur.

Ium discrīmen futurū inter actū scientificū & erroneū, & inter actū fidei & hæresis: & cum eandem normam servatura erat voluntas cùm intellectu, etiam idem esse odium & amorem. Item sequeretur intellectum intensionem & remissionem passurum, quod à substantiis alienissimum est, ut in prædicamentis Aristoteles docuit. Consequentia faciliter deducitur. Una eademque res invariata, hodie confusè intelligitur, & cras exactè: quod si accidenti intensiori non tribuitur, eidem intellectui tribuendum est, quo affirmare illatum cogendus est adversarius. Ultimò videtur necessariò sequi, animam seipsum semper cognitaram esse, cùm ipsa sit cognoscens, & ipsa possit cognosci, & eandem esse cognitionem adversi fateantur.

Item universus magistrorum Theologorum coetus, qui super libros sententiarum scripsere, distinctionem realem inter intellectum & ejus actus esse dixerunt. Item damnatur in Clementina de Hæreticis, cap. Ad nostram, quod anima & Angelus beatificantur per suas essentias.

Rationes quibus improbus communis assertio attestans intellectione distinctionem realiter ab anima ipsa intelligere.

Sed quamvis hæc, quæ non pauci momenti esse à nonnullis judicantur, videantur probare verum esse, quod suadere nituntur, non tamen ob id ab exacto examine hujus negotii desistere, qui veritatem hujus rei adipisci cupimus, debemus. In primis nos ipsos, ac nostra scripta Catholicæ Ecclesiæ correctioni submittentes, ut in exordio diximus. Non enim adeò pertinaces sumus, quod si quæ nos scripserimus, non sic habere, ut putavimus, Ecclesia decernat, dura, ac pervicaci pertinacia petulantè adversemur. Quippè cùm adeò imbecilles ad intelligendum essemus, ut rationes, quibus nos-

tra confutaretur assertio, asséquii non valuissemus, intellectum nostrum cogemus, iis rebus fidem tribuere, quorum scientiam asséqui non potuisset. Adversus ergo assertionem illam, quæ distinctionem realem inter intellectum ejusdemque intellectuonem assignat, argumenta nonnulla proponantur, ut iis cum recensitis in favorem distinctionis pensiculatis, quæ plus convincant, exacti intellectus iudex discernere valeat.

Prima sit. Si intellectus sine intellectione accidente reali intelligere non valet, ergo vel hoc accidens ab objecto, aut propria facultate, aut utroque producetur, aut à nullo, quod ultimum dicere non licet: sed à neutro priorum fieri intellectio potest, ergo ipsa non gignetur. Consequentia est nota. Et antecedens probatur. Nullum est objectum pro statu isto, quod substantia intelligibilis dicatur, ut ipsi intellectui sic præsens fieri possit, quod ab eodem intuitivè intelligi valeat: neque ulla species intelligibilis in nobis gigni potest, quæ ipsam etiam intelligibilem substantiam abstractivè representet, ergo primum esse non valet. Quod viatores intuitivè substantiam intelligibilem non cognoscant, satis probat, Deum ipsum, qui ubique locorum est, purissimam substantia intelligibilis existens, & adeò præsens nostro intellectui, ut nihil plus, ab eodem intuitivè cognosci, non posse. Angelos etiam, quorum custodiæ commissi sumus, & dæmones, qui nos assidiuè velut Leones rugientes circuunt, devorare cupientes, neque à nobis intelligi intuitivè posse certi sumus. Sed quod neque per speciem genitam ab intellectu abstractivè cognoscatur res intelligibilis, in his, quæ antecedunt, parum ante mons-

travimus : restat ergo , ut dixi , hoc primo modo intellectum accidente illo appellato intellectione nequaquam intelligere .

Exploditur quaedam eva-
fio , & alia ratione idem
roboretur.

Si dicatur , quamvis aliquorum Philosophorum sententia fuerit intellectum tantum universalia intelligere singularibus non ab eodem , sed sensu perceptis , scitum esse , aliorum decretum fuisse , etiam singulare cognosci ab intellectu , quod sufficiet intellectionem accidentis dictum gignere in eodem , neque hoc argumenti vis vitabitur , cum singulare quantum sit , speciesque non spirituales , sed corporeas , hoc est , natas quantis & corporibus in esse producat , quibus intellectus affici minimè poterit , ipso intelligibili indivisibilique substantia existente . Etiam non minus indecenter solvetur alia evasione dicente , universalia ipsa extra intellectum rebus singularibus adesse , ipsaque posse intellectionem gignere . Quoniam jam quod id admitteretur , cum universalia sejuncta à singularibus non reperiantur , intellectum inducere non poterunt , plus quam anima quantumvis spiritualis corpori juncta , intellectionem intuitivam non producet in aliam animam distinctam à se . Sed quod neque à solo intellectu intellectio gignatur , constat : quod si hoc dicatur , non esset , ut quid plus uno quam alio tempore ipsa gignetur , & sic semper actum intelligeremus , quod semper illa intellectio produceretur .

Aliis solutio-
etiam impro-
batur.

Item quod neque ab utroque , intellectu & objecto intelligibili scilicet , producatur intellectio , manifestè patet , cum à nullo prædicitorum seorsum fieri posse , probaverimus , unde meritò inferretur neque ab utroque , quod enim cuius sigillatim denegatur , ambobus simul minimè concedendum esse

Tom. I.

certi sumus , præsertim in causis essentialiter subordinatis : quales (si in hoc effectu producendo ipsa convenientre) objectum & facultas intelligens esse tenebantur .

Est etiam alia ratio non minoris momenti , quam præcedens , qua probatur intellectionem non esse tale accidens , quale fingitur . Quippe quod si tale esset , sequeretur , si Deus abstulisset intellectionem ab anima intelligenti , & eandem lapidi inhæsisset , lapis esset dicendus intelligens , quod quantum dementia ostendat , omnes novere . Si diccas , lapidem non esse aptum subjectum intellectioni , quia non sentiens est , & quantus sit , ob idque ipse non dici posset intelligens , neque sibi inhærere intellectio valueret objiciam statim , quod sequeretur , si bruti animæ inhæreret , quam multi physicorum autem , indivisibilem fore , ipsam dicendam esse intelligentem , indeque inferretur , illud brutum rationale esse , & hominem , quod implicat . Porro si intellectio similis in denominando albedini dicitur esse , ergo ut si albedo inesset cælo , cui numquam hæsit , diceretur eadem cælum album , quod numquam fuit , ita videtur appellandum brutum intellectione affectum intelligens , etsi numquam prius talem denominationem sortitum fuisse .

Item quæro , ut quid gignatur intellectio ab anima ? Si dixeris , quod ut eadem dicatur ipsa intelligens , inconcinna dicere secundum meam sententiam videris : finis enim rem consimilem huic , quod homo , qui valet jacere lapidem per decem pedum distantiam , exempli gratia , id assequi non posse , nisi jactum in se gignat , quo dicatur ipse jacens , quod à coetu vere philosophantium alienissimum est . Sufficit enim per certum mo-

Alia ratio ad
idem roboran-
dum.

Alia ratio in
idem.

K

dum

dum se habendi hominis dici ipsum jacentem , qui priusquam talem modum non habebat , jaciens non appellabatur , citra ullius accidentis realis acquisitionem.

*Similitudine
actuum vo-
luntatis pro-
batur intel-
lectiones non
esse acciden-
tia distin-
ctas ab anima.*

Ulterius cùm voluntas intellec-
tioni compar sit , ipsaque valeat
yelle , ac nolle sine volitione , ac
nolitione accidentibus distinctis ab
eadem , non est , ut quid in intel-
lectu fingatur hoc , quo voluntas
privatur. Voluntatem nullum ac-
tum distinctum à se cùm vult , aut
nult , elicere posse , facile probo;
quòd si oppositum affirmetur , im-
possibile esset , eandem velle , aut
nolle , infinitis non præcedentibus
volitionibus si velit , aut nolitioni-
bus si nolit. Consequentia proba-
tur. Detur objectum , in quod vo-
litionis , aut nolitionis actum elice-
re voluntas possit , & quærar , cùm
ipsa adeò libera sit , ut possit alte-
rum illorum producere , aut nul-
lum , quo impellitur , potius voli-
tionem , exempli gratia , quām noli-
tionem gignere ? Si dicatur , quòd
certa qualitate præcedente volitio-
nem ipsa invitatur velle , & oppo-
sita nolitionem eliciat , statim etiam
interrogabo , quo impulsa est vo-
luntas producere illas qualitates
præcedentes volitionem & nolitio-
nem ? Si etiam dicas , quòd aliis
qualitatibus , statim inferam , & il-
las aliis præcedentibus gignendas
esse , & sic infinitis qualitatibus anteceden-
tibus volitionem produci ,
ac tot nolitionem elici , quod con-
sequens erat.

*Tollitur eva-
sio argumen-
ti.*

Porrò si ut vites hoc , quod in-
convenire probavi , dixeris volun-
tatem ad eliciendam volitionem ,
aut nolitionem non indigere alii-
qua qualitate præcedente , sed se
sola incitari ad alterius actus pro-
ductionem , ducens illud Scoti axio-
ma in præsens propositum , ubi est
quod & quo , standum esse in quo

merito objiciam , quod cùm ipsi vo-
luntati licuit , sine ullo accidente
præcedente volitionem potius pro-
ducere eandem , quām nolitionem ,
quòd etiam ei licebit , quòd ipsa
sola dicatur potius volens , quam
nolens , citra accidentia illa appella-
ta , volitiones & nolitiones. Ne-
que Scotti sententia favet proposito
huic. Scotus enim non prohibet ,
nisi quòd in concretis nominibus ,
ut putà , calidum , album , dulce , &
aliis consimilibus si quis interroga-
tus respondeat calidum esse calore
calidum , nullus sit , qui quærat , quo
calor est talis , & si albedine sit al-
bus , neque liceat interrogare , quo
albedo est talis. Et quæstionibus
aliis de hujusmodi concretis hoc
idem respondendum existimat. Sed
nos in præsentiarum non quæriri-
mus , si voluntas volitione vellet ,
ut quid volitio esset volitio , sed
dumtaxat , cur potius voluntas , quæ
indifferens est , ad volitionem &
nolitionem eliciendas , accidenti-
bus realiter à se distinctis his acti-
bus nominatis , impellitur velle , aut
nolle , & eadem , quæ etiam indiffe-
rens est ad relatós actus eliciendos ,
aliis non impellatur ad nolitiones
& volitiones gignendas. Cui justæ
quæstioni nullum respondere suffi-
cienter posse existimo , nisi vel
utrumque fieri concederit , quod
impossible esse probavimus , vel
neutrum , quod nos suadere nitimur.

Tandem ne ulterius immorer ,
inferretur ex hoc dæmones Ange-
losque naturaliter posse evidenter
intelligere nostras meditationes ,
quod soli Deo concessum esse
Theologi affirmant. Scrutatur enim
corda & renes Deus. Consequentia
manifesta est. Quia si cùm aliquid
anima intelligit , id intellectione ,
quæ sua notitia est , intelligit , &
non aliter , hanc patere intellectui

*Ex notio-
ne Angelorum
et dæmonum
elici intel-
lectiones non
esse acciden-
tia distincte
ab anima.*

Angelico & dœmonis necesse est, ut & ipsam animam rationalem eisdem notam esse omnes fatemur. Sed cognita intellectione, cognoscitur id, quod noscitur, quia, ut dixi, ipsa notitia rei notæ sequendo suas hypotheses sit, ergo intentum verum.

Nisi dicas ex quadam divina inhibitione soli Deo asservatas esse intellectionum dignotiones. Quod certè non æquè quadrat, velut si existimares intellectiones esse modos ipsius animæ, inter extrinsecos adeò sibi intrinsecos, quod qui noscit ipsam, eosdem cognoscere non valeat, nisi conjecturis, quæ sèpè decipere possint, ut caloris resistentia adeò ignota est tactui intuitivè sentienti illum, ut nullus nisi conjectura ductus scire possit quanto frigori, & per quod tempus resistere poterit.

Hoc etiam nostro intelligendi modo melius Angelorum loquutio intelligitur. Nam si quibusdam accidentibus, quos nutus Theologi appellant, novissent Angeli ea, quæ alii sciunt, non esset potior ratio cur hæc accidentia, nutus appellata, noscerentur ab aliis, quam aliarum rerum intellectiones, ac sic nihil possent occultare eorum, quæ revelari nollent.

Sufficient, ut reor, quæ objecta sunt, improbare communem illam assertionem intellectui tribuentem vim producendi intellectionem, accidens realiter à se distinctum, consentaneumque foret ductis objectionibus, quibus contraria fulciebatur opinio, respondere, nisi primitus explicare quo differant, ipsum intelligere, ac sentire censerem. Hoc enim explicito, solutiones apertiores futuras esse existimo.

Ut ergo intellectionis modus distinctus à sensatione exprimatur, in primis animadvertere expedit,

*Incinit agere
author de dis-
tinctione inter
actus sentien-*

Tom. I.

universas humanas operationes cognitivas ab intellectiva anima pendere, eidemque connexas esse, neque in cognoscendo, cum bestiis aliquid commune habere: non enim, ut antiqui opinati sunt, bestiæ sensitivarum sunt participes: quod cum ita habeat, ratio reddenda est, cur potius unæ quam aliæ intellectivæ appellantur. Et ne incassum tempus inanibus assertionibus scriptorum de hac re consumam, vosque ipsos multiplicibus decretis confundam, modum, quo intelligimus, ex primam, differentiatione inter intellectionem & sensationem exponam, non (ut universi hucusque rebantur) intellectionis operationes ab anima intellectiva sine organo intelligentefactas existimantes, & sensitivas corporeo instrumento anima sentiente assequutas credentes, qui alterutras præcedente sensatione, in qua corporeo organo anima utitur, factas esse dicentes: præsertim si aliud à se anima sit cognitura. Miror enim si ipsi, quod illud asserunt, quod tertio de Anima Aristoteles text. com. 39. scripsit, ut certissimum, & quasi primum principium verissimum supponunt, opere scilicet, intelligentem phantasmata speculari, ut verum est, quomodo citra organum animam intellectioni vacare autumant, cum ipsa phantasmata sine organo interiorē percipere non valeat, ipsis quantis corporeisque existentibus, ut Arist. libro de Memoria, & Reminiscencia refert, iisdemque concedentibus bruto vim organicam memorandi, quæ sine phantasmatum cognitione exequi non potest: nam si facultatem memorativam brutalem, non esse organicam dixerint, jam intellectricem animam brutis memorantibus tribuent.

Quippè et si intellectui universi phy:

*di intelligi
gendi secun-
dū propriam
opinionem.*

*Inprobantur
quad putau-
bant ad intel-
lectionem sen-
sationem fac-
tum organo
corpore mi-
nimè præce-
dere, sed ad
sensationem
tantum.*

Universalis cognitione intelligendi modus plusquam aliis actibus percipitur.

physici plures concedant actus, nullum, ut prædixi, adeò exactum ejusdem esse credunt, prout universalis intellectio est, quæ qualiter fiat, exprimamus, ut per hanc unam explicationem cæteræ possint cognosci animæ intellecticis contemplationes, ac quo sentire ab intelligere differat. Cum ergo neque hoc distinctè intelligi possit citra ipsius universalis distinctionis cognitionem, hanc in medium ducere libet. Est enim universale (relicta illa distinctione, qua in efficiendo Deus dicitur universalis causa, & in essendo idea Platonis) etiam universale terminus incomplexus vocalis, aut scriptus, qui de pluribus differentibus specie, aut numero in eo, quod quid univocè prædicatur, ut dictio animal, vel substantia, vel homo. Sed proprius mentalis conceptus significati per aliquid ex prædictis terminis vocalibus, aut scriptis, universale mentale appellari poterit. Verum quod hæc mentis cognitio duplex esse potest, confusa, scilicet, aut distincta, ideo & quoddam universale distinctum dicitur, aliud confusum appellatur. Nomino confusum universale, totum respectu suarum partium: id enim, quod cætera continet, vicem universalis habere videtur: ut enim universale minus universalia, vel ipsa singularia sub se continet, ad hunc sensum, quod cognitione ipsius & ipsa eminenter, & si non formaliter, cognoscuntur, ita totum suas partes etiam continet, & hoc ens, quod singulare vagum ab aliquibus nominatur, priusquam decernatur, an animal, aut inanimatum sit, & an hoc vel illud, universale confusum appellatur, quia illam entitatem signaram contineat: quæ si homo est, etiam substantia animata sensibilis est, & ita plura quoquomodo di-

cetur, quæ omnia sub hoc signante includuntur, includi enim alia in hoc ente merito dicuntur, & non hoc ens in illis, quod includens notius est inclusis. Sed si vel defectu facultatis cognoscentis, vel ob distantiam objecti, aut indispositionem mediæ hoc ens distincte & singulariter cognosci non possit, hoc ens tamen esse indubitanter asseritur, ut notius, ergo cætera continent, & non ipse continentur à cæteris. Universale distinctum porrò est substantia, corpus, animal, hæc omnia in prædicamento substantiæ sita, & cætera novem genera, quæ decem prædicamenta constituent.

Verum quod hac distinctione & compluribus aliis scriptis expositoris Aristotelis super exordio primi physicorum textu commenti primi, & secundi, & tertii, & quarti, & quinti, & etiam Commentatores librorum Sententiarum adeò multa scripsere, ut si Averrois, Thomæ, Scoti, Okam, Gregorii Arimennsis, & Avicenæ etiam, & non nullorum authorum, qui adhuc vivunt, scripta, controversias, & rationes è diametro pugnantes ducent, ex his tantum molem, quæ justam libri unius magnitudinem superasset, confidere: ideo subtendendo prædictorum commenta, quæ omnia (salva tantorum authorum reverentia) impertinentia ad expositionem Aristotelis sententiæ in citato loco sunt, ad illius textus Aristotelis expositionem paucissimis verbis accingor, priusquam ei, cui incumbebam, finem imponam negotio. Est ergo series textus Aristotelici: [Quoniam quidem intelligere & scire contingit circa omnes scientias: quarum sunt principia causæ, aut elementa ex horum cognitione. Tunc enim cognoscere arbitramur unumquodque, cum

Exprimitur contextus Arist. in Proœmio physico-rum, textu, & commento primo, & inde.

Contextus Aristotelis ipsius in Proœmio primi Physicorum.

causas primas, & prima principia cognoscimus & usque ad elemen-ta: manifestum quidem quod quæ sunt circa principia scientiæ, quæ de natura est, prius determinare tentandum: innata autem est ex notioribus nobis via & certioribus: incertiora naturæ & notiora, non enim eadem nobis nota & simpli-citer. Unde quidem necesse secun-dum modum hunc procedere ex incertioribus naturæ, nobis autem certioribus: incertiora naturæ & notiora: sunt autem primum no-bis & certa confusa magis: poste-rius autem ex his fiunt nota ele-menta & principia dividentibus hæc: unde ex universalibus ad sin-gularia oportet procedere, totum enim secundum sensum notius est, universale autem totum quoddam est: multa enim comprehendit ut partes universales. Sustinent autem idem hoc quodammodo & nomina ad rationem, totum enim quodammodo & indistinctè notum diffini-tum significat, ut putà circulus: diffinitio autem ipsius dividit in singularia. Et pueri primùm appelle-lant omnes homines patres, & fœ-minas matres, posterius autem de-terminant horum unumquodque.]

Quæ difficultem contextum Aristote- lis citatum ef-ficiunt.

Atque antequam quod verum esse, & Aristotelem sensisse reor, explicem, quid in expositione hu-jus textus difficultatem omnem ef-ficiat, monstrabo. Quæ duo sunt. Alterum, quod cum ipse Aristote-les textu commenti secundi refe-rat, innatam esse nobis viam ex iis, quæ sunt nobis notiora, ad ea, quæ sunt naturæ plus nota, ac ma-gis certa, & non eadem esse nobis & naturæ aequè nota dixerit, mani-festè sibi adversus videtur, proce-dens in hoc physicorum primo à cognitionem principiorum in cog-nitionem entium naturalium, cùm hic processus secundum naturalem

cognitionem entium exactissimus sit, & adversus ei, quem promittit se servaturum ex incertioribus na-turæ, nobis autem certioribus in-certiora naturæ, & notiora. Secun-dum, quod etiam servaturus Aris-toteles hunc eundem ordinem pro-cedendi, refert ex universalibus ad singula-ria processurum: qui pro-cessus non minus exactus, quam qui ex cognitione partium in cognitio-nem totius dicit, est. Universalia enim partes singularium, & quæ ip-sa constituunt, in suo sensu sunt. Petrus quippè ex substantia, & cor-pore, & animali, & rationali con-sitat, quæ omnia universalia illi sunt. Ergo si sic, ut dixi, exactus discursus, & cognition secundum ordinem naturæ sit, ac perinde nostræ cog-nitioni adversus. Qualiter verum sit ab eo universalis exordium esse sumendum, difficilè videtur: quin ab opposito à cognitione scilicet, singularium in universalium cognitionem, si promissa adimplerisset Aristoteles, esset discursurus.

Et quod fermè est eadem solu-tio primi quæ secundi dubii, ideo paucis sciatis, quæ referam cupio. Aristotelem hic supponere sibi, qui agere de principiis rerum natura-lium fatagit, res naturales esse cog-nitas, & nedum sibi, sed omnibus, qui anxiè inquirere rerum natura-lium causas cupiunt. Quis enim ignorat facultatis naturalis, cui in-cumbit, subjectum? certè nullus, sive ens mobile, vel motivum, aut corpus mobile sit. Subjectum enim cujusvis scientiæ ut notissimum supponitur in eadem, ut Aristote-les primo posteriorum, textu com-menti secundi refert: maximè quod ens naturale neminem latere po-test, qui aliquo sensu particeps sit, per illum enim quem habuerit, ens aliquod percipiet. Quo habito, Aristoteles dicit, se velle agere de prin-

*Explicatur
Arist. contextu
tus & diffi-cultates tol-
luntur.*

principiis rerum naturalium cognitarum ab eodem, & ab omnibus, qui ejusdem lectioni vacaturi sunt. In quo discursu à confusis, putà, ab entibus naturalibus cognitis à se & auscultatoribus ad distincta procedet, scilicet, ad causas eorundem naturalium entium, quibus per suam, vel alienam doctrinam scitis, jam doctus discipulus ex cognitione principiorum entium naturalium ductus in cognitionem eorundem entium compositorum naturæ ordine procedet. Quo primo dubio sufficienter esse responsum existimo: cùm procedendo à cognitione entis ad cognitionem suorum principiorum à confusis ad distincta procedat, ut promisit.

*Secundi dubii
explanatio.*

Pro secundi dubii explanatione indigemus in memoriam revocare eam universalis distinctionem, qua in confusum & distinctum illud divisimus: quam idem Aristoteles textu citato commenti tertii innuit, cum dixit: [Sunt autem primum nobis manifesta & certa confusa magis.] Universalia ergo illa, quæ confusa nominantur, notiora nobis sunt, quæ singulalia eorundem. Totum enim, quod universale confusum dicitur, notius est nobis, quæ sua partes. Et hoc ens, aut hoc corpus, quæ hoc animal, vel hic homo, quæ singulalia illius universalis confusi sunt. Et hic pater, aut hæc mater, confusè utendo illa patris & matris nomenclatura, ob imbecillitatem facultatis cognoscentis, quam hic Antonius, aut hæc Margarita, quæ pater & mater authoris harum commentationum fuere (pro quorum æterna requie omnibus hæc lecturis Deum supplicant, humiliter precor) etiam notiora multo sunt, quæ sua singulalia. Pater enim verus, & mater vera singulalia dici possunt, si conferantur om-

nibus hominibus, qui patris & matris nomine puerorum fictione falso fruuntur. Ab hujusmodi ergo universalium confusorum cognitionem in presentiarum Aristot. fatetur, quod sit auspicatus doctrinam procedentem ad normam nostræ cognitionis, & non à contemplatione illorum exactorum universalium, quæ compositione metaphysica partes singularis sunt, quod hic cognoscendi modus secundum naturam esset, & à simpli- citer notioribus ad ea, quæ minus nota etiam simpliciter sunt, pro- céssisset.

Puto cuivis solutiones objectorum manifestas relatis esse, verum ut clarius constet Aristotelem eadem, quæ nos exposuimus, velle, in paraphrasim prædictam sententiam reddere placet: [Quoniam ea quæ confusè indistinctaque noscuntur, intelligimus, ac scimus perspicuè ac distinctè: cùm causas efficientes aut elementa ex quibus fiunt (si qua talia habeant res, quas scire cupimus) cognoscimus. Tunc enim, ut fertur, cognoscere arbitramur unumquodque, cùm causas primas, & prima principia usque ad elementa callemus. Manifestum restat ea, quæ tractant principia scientiæ naturalis, prius examini subjicienda esse, namque cùm connotatus sit nobiscum modus cognoscendi ex iis, quæ nobis notiora sunt, in ea quæ naturæ notiora & certiora existunt, (porrò non eadem nobis æquè primò nota sunt & naturæ, quæ ultima simpliciter nota appellantur) procedere compellimur, ex incertioribus naturæ, putà ex entibus naturalibus cognitis nobis, indeque certiora nobis talia nuncupata, ad certiora & notiora naturæ, scilicet, ad ipsa entium naturalium principia, quem cùm observaverimus ordinem, à

*Redduntur in
paraphrasim
Arist. contextus
citati ex
Prœmio pri-
mi Physis-
rum.*

quibusdam confusis universalibus, ut totum, & alia consimilia, quæ primò nobis nota sunt, ad quædam, quæ posterius à nobis cognoscuntur, videlicet totius partes essentiales, & etiam quantitatiyas discurremus. Unde ex hujusmodi universalibus confusis ad singularia eisdem subdita oportet procedere, ut nomine, jam quòd re non assequimur, ordinem naturalem in docendo imitemur. Quippè ut exacto discursu ab universalibus distinctis, quæ partes singularis sunt, ad ipsa singularia procedimus, sic in relato ab universalibus confusis ad singularia sibi subdita ducimur. Totum enim secundum sensum notius est, quām suæ partes, quod synonimam cum universalis exacto habet, utrumque enim plura sub se continet, alterum partes, aliud sua inferiora. Eandem etiam normam servant nomina ad proprias diffinitiones, vicem enim totius nomina sortiuntur, & indistincta quippè seipsis cognoscuntur, sed diffinitionibus partes, aut proprietates eorum denuntiantur, ut hujus nominis circulus significatum totum quoddam est, per diffinitionem autem ejusdem exprimitur proprietas, habendi omnes lineas rectas, quæ à sui centro usque ad ejusdem aream deducuntur æquales. Quem servando ordinem ab hujusmodi confusis universalibus ad singularia descendendo, pueri primò appellant omnes homines patres, & foeminas matres, quòd has nomenclaturas universalium hominum esse opinantur. Postea verò cùm adolescendo, & nomina singularia discunt, & distinctè patrem, ac matrem cognoscunt, solos genitores eo nomine vocant,

*Exequitur
author explicare modum,
quo universa-*

His missis, quæ etsi obiter, non tamen absque emolumento lectorum relata sunt, accedo exprimere

modum, quo universale exactum distinctumque noscitur, supponendo, ut dixi, illud Aristotelis tertio de Anima citatum, textu comment.

39. ut verum: Necesse esse eum, qui intelligit, phantasmatu speculari. Quo supposito, etiam ut notum refero, universalia, non per se, sed per accidentis sentiri. Quod ut perspicacius intelligatur, notandum illa, quæ sensibilia per accidentis dicuntur, nullo modo exterioribus sensibus, cognosci posse, nam hujusmodi facultatibus tantum accidentia percipiuntur: universa quippe quæ in sensu exteriore quinque operatur intuitivè, eademque interiori vi abstractivè, substantia non per hos sensus apprehensa, sed, ut dixi, per accidentis mediis sensibus exterioribus, vel interioribus cognita. Nisi enim equus sui colore, magnitudine, figura, ac motu, & sono, quem hinnitu edit, oculos, & aures hominum affecisset, vel sui imago organum interiorius, non liceret intellectui substantiæ equi cognitionem elicere: & cùm equi substantia, vel potius animalis in genere, accidentibus dismissis, universale sit, restat hoc, neque ullum aliud per se cognosci, cum omnes substantiæ esse videantur, sed, ut dixi, per accidentis.

Verum cùm adhuc insufficienter explicitum id appareat, quia, & accidentia sua genera habeant: colores enim multi specie distant, genusque, quo omnes continentur, habent, ut etiam odores, & sapores, & cætera accidentia, quæ organicis facultatibus percipiuntur, falsum esse existimandum censetur, horum universalia sensibilia per se non esse, cùm accidentia ut sua inferiora sint.

Pro cuius objectionis solutione enodanda, ad unguem explicare decet modum, quo substantia per acci-

*lē noscitur ut
ex hoc aequi-
cæteri intel-
lecius dignos-
catur.*

*Universalia
per accidentis
& non per se
noscit ostendi-
tur.*

*Objicitur con-
tra asserta ac-
cidentium u-
niversalia se-
nsibilia per se
futura.*

*Primo expli-
cando modū,
quo substan-
tia sentiri per
acci-*

*accident dicitur, inde enim
tur, universalis cognitio illustrior eva-
satis cognitio exprimitur.* accidens sentiri dicatur, inde enim universalis cognitio illustrior evadet (substantia enim universale est) quod cum exequar, non commenta aliorum æmulabor, quando me non sic intelligere cognovero, ut machinatum ab illis sit. Neque ea intelligi à me fatebor, quæ me numquam intelligere potuisse expertus fuero (quamquam non dicit Scriptores, qui se talia, & taliter intelligere affirment) sed dumtaxat id scriptis mandabo, cuius ipse testis oculatus dici verè possim. Porrò si quæ aguntur, pietati attinerent, meum decretum incertum putarem, ut suprà dixi si Sanctorum authoritati ab Ecclesia comprobatae repugnaret: modo cum non nisi de animæ operationibus tractetur, non video, cur me seduci patiar, confitens ea mihi accidere, quæ numquam expertus sum.

Ergo cupiens ego parietis albi, & quadrati substantiam intelligere, averti mentem meam à consideratione albedinis, & quantitatis, & figuræ, & situs, & ubi, & aliarum conditionum individualium illius parietis, quas universas ipse, aut prius exterioribus sensibus cognoveram, aut abstractivè olim imaginatione conceperam, cognitionemque elicio rei numquam sensatæ, puta subjecti horum. Fingo enim posse albedinem, quantitatem, figuram, numerum, & cætera sejungi, separarique ab ea substantia, quæ subjectum eorum est, ac tunc notionem ejusdem habeo: sitque sejunctio illa accidentium, noscendo ea non ubi sunt, sed alibi. Neque ut hanc substantiam noscam, quæ numquam ulla sui specie me afficit, (cum tecta accidentibus semper incedat) oportet in nostra mente aliquam speciem intelligibilem gigni, quæ ipsam repræsentet, ut probavimus, sed vi ratiocinii

nostri in notionem illius, quod numquam noveram, devenio per notionem aliorum, putà suorum accidentium. Cum enim intellectus noster contemplatur accidentia illa, quæ in pariete esse sensibus cognovit, passim variari, aliis succendentibus, statim infert, subjectum aliquod eorum, quæ nunc genita sunt, & aliorum, quæ corrupta fuere, cui insint, necessario esse, quod alias creatio præsentium, & anichilatio præteriorum foret: illa enim nullo ente subjecto fit, ut hæc ultima esse desinit, & altera putà nominata generatio saltim mixti subjecto supposito, sed creationem citra miraculum non esse admittendam, ut certu habet intellectus. Infert ergo illorum subjectum ullum esse: quod cùm infert, subjectum noscit, ad quod noscendum nulla specie referente subditam illam substantiam utitur, neque intellectus interest, an etiam realiter tale subjectum, quale intelligit sit, aut non sit, ut perspicacius, aut hebetius intelligat. Si enim universi parietes, postquam accidentia unius sensibus cognovit, delerentur, non obscurius intellectus intelligeret substantiam illorum accidentibus subditam, quām si infiniti adessent. Quippè non aliter chimæra sensu interiore cognoscente abstractivè cognoscitur, quām naturaliter esse impossibile scitur, neque minus perspicue, quam si mille paſsim offerentur, ad quam noscendam abstractivè nullum unum phantasma capitis leonis, & caudæ draconis, & corporis elephantis, & pedum aquilæ, & aliorum impossibilium simul esse fingitur: sed tantum in memoriam voluntas revocatphantasma illarum partium animalium olim cognitarum, quæ afficiendo facultatem interiorum cognoscendem abstractivè illa, simul esse na-

turaliter impossibilia, ut connexa, cognoscit.

Neque hujus sententiae oblivisci expedit: errores enim non paucos ignorantia hujus induxit: non nullis opinantibus quicquid intelligebatur, necessariò præcisè tale extra intellectum esse, quale intelligebatur: aliis sine specie referente cognitionem intelligi nihil posse, atque hanc speciem intelligibilem appellabant. Qui enim primum opinati sunt, naturam quandam communem entibus singularibus inditam esse credidere: quam, cum intellectus universale intelligit, cognoscit. Cujus sectæ primus hæresiarca Plato fuit, ideas inducens: ac post ipsum, ut nonnulli neoterici inquiunt, realium opinio idem testata est. Retuli id reales sensisse ex aliquorum adversiorum mente, non audens secum omnino sentire, neque eisdem palam adversari, quod sunt tot realium sententiae, ac adeò confusè de hac re, ut nisi nonnulli eorum resurgent, certò sciri non posse videtur, utrum id, quod sibi imputatur, intellexerint, an non: impulsi enim hac ratione, quod intellectus verè universalia intelligit, cuius objectum adæquatum veritas ipsa est, existimabant in rebus ea esse, quæ ipse intelligit, & cum naturam quandam communem cum ipse velit contempletur, hanc inesse rebus crediderunt, alter eundem decipi dicentes. Sed quid circa hoc asserendum sit, mox cum de universalibus tractaverimus, discutiemus. Ob idque ea mittamus, ut illorum errorem detegamus, qui, ut dixi, opinati sunt, intellectum sine specie intelligibili ea, quæ intelligit, intelligere non posse: quam non esse et si evidenteribus argumentis in antecedentibus monstravimus, altero etiam monstrare non displicet.

Intellectus arguens à sufficienti divisione aliquam rem alicubi esse conditam infert, ubi numquam eandem esse seivit citra ullius speciei novæ generationem intelligens, ergo eidem licebit universalia intelligere sine specie intelligibilis affectione: sed primum ei concessum est, ergo, & secundum concedendum. Consequentia est nota. Et antecedens pro minori probatur. Sit ita, quod aliquid condatur in domo tria tantum triclinia habente, & quod accedat quis quærens conditum: qui certus sit id, quod latuit, non migrasse è domo illa ubi inclusum est, ac hujusmodi inquisitor duo excutiat triclinia, ubi non condebatur quæsitum: certum est, antequam tertium excutiatur indubitanter sciri, in reliquo contineri, quod quærebatur, quod numquam prius notum indagatori fuerat. Tunc cum id abstractive noscit tantum revocando phantasmata olim genita rei, quæ latuit, & triclinii coram facultate interiori cognoscente abstractivè, nullo de novo facto: ergo antecedens verum.

Item universæ mathematicæ conclusiones de novo sciuntur ab adiscientibus, cognitis antecedentibus sine ulla generatione novæ speciei intelligibilis: ergo incassum ipsas gigni, ut res intelligantur, commenti sunt Physicorum nonnulli. Consequentia hæc etiam nota est. Et ut antecedens notum fiat, unius demonstrationis conclusionem sumo, quam cognosci contra ullius speciei intelligibilis procreationem necessariò fatendum esse monstrabo, ut ex hac una, cum non sit potior ratio ejus, quam aliarum, omnibus compertum sit, universas sine specie intelligibili cognosci ab ipsa anima. Et illa sit: Cujusvis trianguli tres angulos duobus

bus rectis æquales esse. Quam manifestam facit notio antecedentis, scilicet, cuiuslibet trianguli omnes angulos extrinsecos duobus intrinsecis sibi oppositis æquales esse, solum monstrando ex angulo extrinseco æquivalente duobus intrinsecis trianguli, & reliquo angulo ejusdem trianguli duos rectos constare, hac demonstratione intellectu nihil sejunctum, quod prius non noverat, cognoscente, sed tantum tres trianguli angulos, quos saepe novit, equos duobus rectis esse, quos non ignorabat, attestante: pro quo nulla specie intelligibili indigere, vel ex hoc constat, quod neque ut tres angulos cuiusvis trianguli noscat: quia, ut retuli, sensu exteriori intuitivè jam diu noverat, vel interiori abstractivè tunc, & olim novisse potuit, neque ut duos rectos cognoscat eadem ratione, ac etiam quod tam tres trianguli anguli, quam duo recti phantasmibus propriis abstractivè apprehendantur, vel intuitivè cognosci possint, indeque certum sit intelligibilem speciem superfluere, neque ut illam convenientiam inter angulos trianguli, & duos rectos intelligat, cum haec non sit ulla res differens à rebus convenientibus, ut neque relationes cæteræ. Incassum ergo gigneretur species intelligibilis, quod probare nitebamur. Secundo, Deus, Angeli, anima, quæ indivisibilia sunt, à viatoribus intelliguntur, nulla specie ab eisdem in nostro intellectu genita, quia intuitivè noscerentur, quod falsum esse omnes experimur: neque ipso intellectu, cum ea intelligit, ullam gignente, quod prius nosse intuitivè, vel abstractivè tenetur illud, cuius imaginem effingere vult, quam effingat, sed species imago in repræsentando est rei noscendæ: ergo frustra gigneretur, ut nosca-

tur quod notum jam erat. Hæc ratio jam ducta fuit, nihil tamen obest eandem iterum duci.

Ex quibus omnibus ut indubitatum inferendum videtur, cum anima substantiam cognoscit per accidentium notionem, eandem animam intellectum tunc appellatam esse, quæ noscit, & suam notitiam citra ullius speciei intelligibilis generaturam, quæ sit ratio talis notitiae, ac citra ullum accidens, quo formaliter dicatur cognoscens. Quo ultimo omnino demonstratur incassum factas fuisse à Physicis species intelligibiles.

Contra præfatam sententiam non pauca insurgunt dubia, quæ dissolvere convenit, ut sententia nostra clarius reddatur. Primum sit. Si ita est, quod cum substantia esse subjectum accidentium intelligitur, nulla specie intelligibili ejusdem afficitur intellectus, cur potius ipsa, quam alia, quæ intelligibilia sunt, ab eodem intelliguntur, non enim videtur posse redi ulla ratio, cur albedo, & non nigredo visitur, quam quod ipsa inducat sui species in oculum, & nigredo minimè. Et per eandem rationem substantia tunc cum intelligitur, videtur sui speciem in intellectum producere, & res, quæ non concipiuntur, nequamquam.

Pro cuius solutione animadvertere convenit, ex una suppositione, & quasi quadam communi animæ conceptione substantiam intelligi, ut diximus, putà ex variatione accidentium, & certitudine illa, nullum accidens sine subjecto gigni, aut corrupti posse. Primam quarium scilicet, variationem accidentium sensus testatur veram esse, ut secundum intellectus distinguens creationem, & anihilationem à generatione, & corruptione, quod in creatione, & anihilatione sine sub-

*Adversus rea-
lata de modo,
quo substan-
tia per acci-
dens cognoscit
dicitur objec-
tio.*

subjecto fiunt, & desinunt esse entia, nullis aliis loco illorum succendentibus, nec præcedentibus, ut post explanabimus, cùm de prima materia agemus, ut in generatione, ac corruptione mistorum cum subjecto: hac ultima, putà generatio ne, aut corruptione nullo modo intellecta, nisi substantia, quæ subjectum transmutationis accidentalis est, intelligatur. Quis enim potest intelligere alterationem, nisi prius conceperit aliquid unum subjectum existere caloris præteriti, & frigiditatis nunc primò inductæ: quod cùm subsistat illis, ac aliis accidentibus, substantiæ nomen meretur. Indeque qui intelligit ut retuli, inferat conclusionem, quæ eminentèr in præmissis continebatur. Quo habito, dico tunc cùm in altera præmissarum substantia intelligitur, animam eandem intelligere, non per speciem intelligibilem, sed per quandam similitudinem aliarum rerum, quarum aliquas sæpè subjectas aliis sibi superpositis, ac inharentibus sensibus cognovit, inde inferens, accidentibus eodem modo subesse substantias posse, similitudinem non omnimodam esse sciens.

Modum quo intelligimus bic exprimit author.

Iis intellectis, facilis est ad objectionem responsio. Cum enim quæritur, quare plus substantia quam cætera intelligibilia concipiatur ex notione præmissarum, dico, quia ipsa in illa præmissa, quæ generationem mistorum, & alterationem quorumvis in subjecto fieri affirmat, eminentèr, vel formaliter intelligebatur. Si iterum quæras, cur in illa præmissa intelligatur sine specie intelligibili, respondeo, per similitudinem illam substantiarum subjectarum aliis substantiis intelligi illam subjectum esse accidentium. Et si insistas, cur illa similitudine substantia intellecta est, &

nihil aliud, respondebo, naturæ intellectus concessum esse id intelligere, quod non sciebat: sola cognitione alterius rei similis, sine ulla specie referente id, quod nunc de novo noscitur. Neque est inquirendum, unde illa facultas sibi collata sit, plusquam unde calor producendi alium, vim habeat. Ut enim in his, quæ de notitia intuitiva dixi, audistis, ex affectione facta in oculos à radiis solaribus in nube reflexis oritur cognitio colorum, qui non sunt, solum ob id, quod quasi eodem modo afficitur tunc oculus, ut solitus est affici à veris illis coloribus. Sic intellectus cognoscens aliquas substancialias aliis subditas, contemplans accidentia variari, naturaliter cognoscit substantiam accidentibus subesse. Dictis sufficientèr respondisse primo dubio existimo.

Restat ut solvamus secundum, quod se offert: Hoc est, concessum intellectum cum substantiam in genere cognoscit non affici aliqua specie intelligibili, quid in eodem cum actu substantiam intelligit, dicitur intelligens, & intellectio, & intellectum, nam si ipse hæc tria est, semper substantiam esset intellecturus: cum sibi nihil desit, ut non semper intelligat, ipso à se numquam absente.

Sectum duum proponuntur, ac solvitur.

Ad quod respondebo dubium, confitendo intellectum esse, qui intelligit, ac suam intellectuonem, sed eundem non esse rem intellectam, cum substantiam aliam à se verè intelligit, sed veritatem ipsam scitam, quæ notio, sæpè nihil esse supponit, nisi sub conditione. Quippè cum natura substantiæ corporeæ intelligitur, non aliud noscitur, quam quodvis quantum, potens naturaliter per se existere, & subjectum accidentium esse; si talia in rerum natura sint: quæ si de-

Solvitur dubium quo scis. citabatur ap. effet idem intellectus, & intellectio.

sint, & natura substantiæ corporeæ esse non definet. Ut cùm definitio hominis intelligitur, veritas etiam conditionalis scitur, putà, si homo sit, animal rationale necessariò futurum esse, quod verum est, sive homo sit, aut non sit, nam natura, ut naturalis potentia rei dicitur, cognita, sub conditione relata noscitur, putà, si hoc est, hanc naturalem potentiam est habiturum. Secùs si utrum aliqua res intelligibilis, ut nonnulla prædictarum, vel Angelus, aut alia substantia intelligibilis sit, aut non, quæratur: nam tunc si intellectus aliquo discursu in notionem existentiæ Angeli devenit, veritas ipsa intelligitur, putà Angelus existens, ipso sui intellectionem non procreante, sed aliis cognitionibus sufficientibus ad eam cognitionem, quæ pro statu isto de illo habetur dignandam. Quòd si nullus esset Angelus, etiam intellectus posset cognoscere Angelum, & asseverare cum esse, sed non eundem sciens ut priùs, sed de eodem deceptam opinionem habens diceretur, ut de chimæra si eandem, intelligens, ut possibilem esse, cogitasset in rerum natura jam esse. Scitum ergo esse, quod dixi, ex relatis planum est, ut scientem ipsum intellectum: Quid ergo intellectio sic dicatur?

Hanc ergo modum aliquem intellectus esse dico, ut sedere, aut accumbere, vel stare, aut jacere hominem, vel aliorum animalium modi sunt non plus distincti ab ipso intellectu, quām figura à re figurata. Neque nobis comperti illi modi essendi rerum intelligibilium sunt, nisi quadam collatione rerum sensibilium. Ut enim motum, & quantitatem, numerum, figuram, relationes, & mille alia noscimus substantiis convenire, quæ idem cum eis entitativè esse scimus, et si

liceat intellectui eas ut distinctas à substantia intelligere, quòd non de ratione substantiæ sunt: sic in rebus intelligibilibus peculiares diversos modos essendi intelligamus ab eisdem entitativè non differentes, sed tantùm per intellectus considerationem. Irrationale enim mihi videtur naturam contulisse corporeæ substantiæ posse triangulari figura effigiari, eandemque numero sphærica formari figura, adeò à triangulari differente, quæ non accidentia distincta ab ipsa sunt, & animam, aut aliam intelligibilem creaturæ carere modis sibi peculiaribus à se non distinctis, sed cogi asseverare, universos suos modos res distinctas ab ipsis intelligibilibus substantiis esse.

Quæris forsan, jam quòd id ita sit, ut à me dictum est, quid in causa fuerit, ut intellectus noscens substantiam, taliter se habeat, qualiter non se habet, cùm aliam rem differentem intelligit, aut cùm ab omni opere vacat. Ad quod facilima est responsio, cùm dicatur, antecedentia diversa cognita causam sine qua non esse cur anima potius substantiam quām aliam rem intelligat, ut ipsum nulli incumbere operi à mera intellectus libertate ortum trahere certum est, aliis enim antecedentibus intellectis, quām quæ relata sunt, aliud quām substantiam cognoscere intellectus cogitur. Prout enim præmissæ intellectæ sunt, sic conclusio alia aut alia ab intellectu cognoscitur, ut primo posteriorum Aristoteles testatus est. Iis ergo ad universalis cognitionem præmissis, de substantia, ut universale est, agamus, quòd de ea exempla antecedentia posita sint, primò tractantes id, quod omnes Philosophi, sine controversia testantur, ac post veritatem rei dilucidè explicantes.

Aliter ergo ipsa substantia con-

*Solvitur quæ-
situm cur in-
tellectus po-
tius taliter se
habet cùm nos-
cit substantiæ
quām aliter.*

Quid de modo, quo universale cognosci dicitur Physici sentiat quod non adversatur vere cognitioni universalis.

sideratur, cum accidentium subiectum esse contemplatur, ac aliter, cum ut universale intelligitur. Nam cum ut genus noscitur, ipsius natura animadvertisit, quae accidentibus subjici non intrinsecè existimat: cum intelligentiae, quae substantiae sunt, citra ullorum accidentium affectionem intelligentur, & esse possint, sed tantum id omnibus substantiis intrinsecè convenire intelligitur, posse sine ullo subiecto ente actu subsistere. Quod cum intellectus contemplatur, cognoscitque communem esse hominibus, animalibus, plantis, elementis, & universis entibus ex his mixtis, ac caelo ipsis, & intelligentiis, naturam substantiae concipit, ideoque genus ad universa hæc esse dicit. Vera sunt, quae referuntur, sed non adeò expressa, ut meum scribendi morem decet, ideo ulterius illustrentur. Cognoscens intellectus universa entia, quae sensibus exterioribus lenti, genere, aut specie, aut numero differre, atque hæc omnia intelligens, aliquid quod variatur citra illorum corruptiōnem habentia, aliudque immobile, primum accidentia esse cognoscit, secundum quod iis subest, substantiam esse dicit, ipsamque ut retuli, cum praeter accidentia cognoscit, intelligit, Angelos, intelligentiasque, ac demones quid commune cum substantiis corporeis habere, hujusmodique esse, subsistere sine subiecto ente in actu posse. Hanc ergo universorum, quae retuli, vim, seu naturam, aut facultatem (nihil enim mea interest, an hac, vel illa nomenclatura appelletur) differentiam essentialē substantiae nominatam, ut rationalitas hominis, intellectus præcisè contemplans, inherentem certo generi entium, non ut rem actu distinctam, sed tantum per ejusdem animadver-

sionem, universale, quod substantia appellatur, intelligit. Et si à me quæsivisses, quomodo nunc primò genus hoc cognosco, quod priùs ignoraveram, respondebo, antecedentibus, quae retuli, intellectis, statim meam mentem aliter habentem, quam ante, cognoscere eminenter, etsi non formaliter, universa entia, quae subsistunt, vel subsistere possunt, non hærentia enti in actu, idque præcisè notum, genus, & universale appellari: quod aut præcisè tale sit, ut noscitur, aut non, nihil intellectui cognoscendi universale interest.

Quæ dicta sunt, sufficere existimo ad explanandum modum, quem servat intellectus in cognitione universalium, si duo, quæ sèpiùstetigi, explicuero. Alterum est, cur substantias dico subsistere posse sine ente in actu. Aliud, cur addo, cum dico, nihil intellectui interesse, an præcisè universale sit quale notatur, aut non sit, unde illud famatum resultavit notum, quo reales, & nominales differant. Ac post hæc dubium non solutum, scilicet, utrum omnia universalia per accidens sentiantur, perspicuum evadet.

Primum ergo unico verbo absolvetur. Illud enim additum est, ut formas substanciales, quae partes entitatis substantiae sunt, in genere substantiae includantur. Eæ enim cum materia primæ adveniunt, ut hucusque Physici opinati sunt, & eam informant, non enti actu adveniunt: ideoque etsi esse non valeant praeter aliquod ens, putà materiam primam esse, possunt citra ens actu.

Scio mihi objici posse formas mixtorum entibus actu supervenire, nam elementis manentibus formaliter in mixtis, ut verior opinio affirmat, supervenient, & has substan-

*Explicat aucto-
rbor duo, quæ
precindebat in
ter scribedum
ea, quæ de u-
niversali exan-
rata sunt.*

tantias esse. Sed objectionem facile dissolvam, inquiens elementa subjecta formis mixtorum non verè dici tunc entia actu, cùm mixti forma tollat denominationem suarum entitatum, & suam composito indicat, caro enim appellatur, & est aggregatum ex elementis, & forma carnis, & non quatuor elementa, ut prius ante inductionem formæ mixti, opposito contingente in alteratione, nam homo superad-dita albedine homo est, ut lapis infigidatus eadem substantia lapidis, quæ prior dicitur, est.

*Universale in
entibus nō re-
periri, omnia
enim singula-
ria sunt.*

Secundum quæsitum poscit, cur dixerim, quòd nihil intellectui ad cognitionem universalis intersit, an præcisè illud sit, quale intelligitur, aut non. Quod ob id expressum esse refero, ut noscatur in rerum natura nullam talem entitatem esse, neque esse posse præcisè talem, ut universale intelligitur. Sed quòd quamvis ita res habeat, potest intellectus illud intrinsecum, quo plura participant, intelligere, eodem nolente animadvertere peculiares sortes, quæ unicuique individuo familiares sunt, & sine quibus illa natura universalis esse non potest, et si intelligi valeat.

*Universale, ut
cognitum, tan-
tum habet ef-
fe in intellec-
tu.*

Ex hoc sequitur, quantum à vero devient, qui dicunt, universale tantum esse in intellectu. Si hoc volunt dicere aliquid ut speciem illud referre: cùm nulla species intelligibilis in humano intellectu sit, ut probavimus, verùm si non hoc, sed aliud, putà tantum ab intellectu universale cognosci, verissimum est, nam divinus, aut angelicus, aut humanus tantum universale intelligit: quod in singularibus, non in quantum singularia sunt, esse ad sensum infra exprimentum dicitur: nec sequitur, universale intelligit homo ut quid distinctum à singularibus, ergo ip-

sum tale est. Potius, quām chimeram noscit; ergo est. Argumentantur enim à dicto secundum quid, ad dictum simplicitè, nam ut non valet, est homo pictus, ergo est homo, sic non valet, est hoc cognitum ab intellectu, ergo est.

Verùm si objicias: Quæcumque substantia singularis contemplata absque singularibus conditionibus universale dici potest, ergo substantia parietis, de qua agebamus, loquentes de modo, quo substantia per accidens intelligitur, universalis dici posset, & ultra prædicabilis de pluribus differentibus non tantum numero, verùm specie esset, & per consequens hæc esset vera, leo est substantia parietis, & equus est substantia parietis, & universæ substantiæ sunt substantia parietis, cum hæc universalis substantia dicatur.

Ad hoc argumentum respondeo, negando primum antecedens, quod falsum est, indeque consequens, quod sequitur, etiam falsum, & cætera, quæ ex illo inferuntur, nam nullæ substantiæ signatæ potest convenire intelligi ut universale, implicat enim signari, quòd conditio singularis est, & cognosci ut universale, quod expers cujusvis individualis conditionis futurum necessariò est.

Quod non obscurè probat, decipi illos, qui opinantur, quemlibet Angelum diversum ad alio specie esse, quòd materia careant, quām esse principium individualium conditionum existimant, non intelligentes, citra materiam, quicquid hoc unum esse, quod individualis convenit, & non universalibus, ut fors, seu conditio individualium. Si enim sic esset ut illi existimant, non tantum confiteri tenentur, quemlibet Angelum ab alio specie differre, sed etiam

*Angelos quo-
cunque dif-
fere specie, &
non numero
tantum inn-
probatur.*

unumquemque universale , & non singularem esse , quod unusquisque materia careat , qua (ut ipsi opinantur) singulare constituitur , & jam ideas Platonis inducerent , & illum de subjectis singularibus prædicandum affirmare tenerentur . Quæ omnia absurdâ sunt . Has illationes si negent , dicentes , quod singularis substantia quilibet Angelus est , statim suis dictis confunduntur , cum sine materia dicant esse singularem substantiam , quod parum ante negabant .

*Queritur an
universalia
verè sint.*

Si iterum insistas : Cùm Petri , & aliorum singularium substantia non sit universale , & in rerum natura tantum singulares substantiæ sint , & nulla communis , ut nos fatemur ergo nullum erit , ulterius nullum universale est , & intellectus illud intelligit , ergo decipitur .

Pro hoc solvendo argumento scire expedit , hoc quæsitus potius esse metaphysicum , quam ullius alterius facultatis , ac ut tale dimissum fuisse scrutari à Porphyrio in prologo prædicabilium : Mihi autem , qui provinciam hanc scribendi sumpsi , nulli uni facultati adstrictam , sed gñaris plurium doctrinarum , ut prædixi , conditam , id discutere convenit , quod brevissimè mille vitans ambages , ac labyrinthos , quoad vires sufficiunt , endare , non dissecare incipio . Quod non à paucioribus dissolvi tentatum , quam Gordianus ille nodus fuit , Aristotelis decreta nonnulla in medium afferendo , quorum aliquibus testari videtur , universalia in singularibus esse : quin ipsa singularia dici , aliis , non solum à singularibus sejuncta , sed nec in rerum natura esse confiteri visus .

Primum quorum sit illud primi Posteriorum , text. comment. 5 . [Universalia à sensu valdè remota esse .] Quo negare videtur univer-

*Diversæ Arist.
sententia de
universalis ei-
tantur.*

saliū existentiam in hāc infra concavum orbis lunæ sphera , cùm sensibilia sint omnia hic contenta , ut plurium Philosophorum schola fatetur . Et eodem primo text. comment. 43 . [Universale non est hic , nec nunc , sed ubique , ac semper .] Quod nulli enti creato convenit . Et secundo Posteriorum , text. comment. 27 . [Universale quiescens in anima præter multa ex experimento fit .] Quasi illi nullum tribuat esse , præterquam quod intellectu cognoscatur , quod dicitur esse in anima , non ut in subjecto , sed ut in cognoscente . Et primo de Anima , text. comment. 8 . [Universale animal , & quod communiter prædicatur , aut nihil est , aut posterius est .] Quasi velit non esse nisi post singularium cognitionem per intellectus considerationem . Et eodem text. comment. 60 . [Universalia quodam modo sunt in anima .] Exprimens his verbis quasi à natura collatam esse nobis cognitionem universalis : cùm cognitis præmissis inductionis , statim anima ipsa cognoscat universale citra ullius speciei generationem , ut prædiximus , ut cùm similitudinem , & quo convenienter omnia animalia intelligens , etiam statim universale animal cognoscit . Et septimo Metaphysics , text. comment. 45 . ostendit : Universalia non esse substantias absolutè : & cum non sint accidentia , sequitur , nullo modo verè dici posse , quod sint .

Adversus hæc sunt non pauca Aristotelis placita , quibus in singularibus , & ipsa singularia esse universale fatetur . Primo enim Posteriorum , text. comment. 11 . refert . [Quæcumque universalia sunt ex necessitate inesse rebus .] Et cùm res omnes singulares sint , sequitur ipsa singularibus inesse . Et citato loco

loco , & comment. [Universale tunc esse , cùm in quolibet , & primo monstratur.] Ergo in quovis singulari universale existit , & monstrari potest. Et septimo Metaphysices text. comment. 57. [Universale separatum nihil est præter singularia.] Quo satis exprimitur id singularia esse. Et decimo ejusdem text. comment. 6. [Nullum universale potest esse substantia , nisi inquantum prædicatur de ea.] Sed cùm de iis singularibus inquit, tantum prædicetur , sequitur illa nihil à singularibus distinctum fore.

Non minùs hæc sententiarum Aristotelicarum controversia solvi poscit , quæ argumentum , pro quo solvendo ducta tot sunt. Et quamquam tam plurima veterum , & neotericorum Philosophorum de hoc negotio scripta contemplans , terrorem , exprimendi claram solutionem , ut meus mos est , inferant , omnemque spem adimant non consequendi quod maximè cupio: cùm à tot annis hanc quæstionem interrogari incoptam nullus adeò perspicuè illustraverit , quod non aliquam posteris reliquerit caliginem , nostris adhuc temporibus , sola hujus enodatione , similitates , & factiones adeò insignes parturiente , ut ex nominibus , quibus in solvendo doctores utuntur , realium factio altera , nominalium alia appellen- tur , non tamen ob hæc ab incopto desistam , neque metus hic me retrocedere coget , quin clariùs , quæ unquam me scripturum solutionem hujus dubii (Deo favente) spero .

Porrò non me latet , quin hactenus videbor pluribus , quæ par sit , aures eorum obtusisse , qui quæsti solutionem avidè audire cupiunt. Verum hos bono animo esse , & patienter legere quæ retuli , precor : nam adeò succinctus futu-

rus sum in solvendo , ut potius mirari subeat tantos viros , tām innumeras scripsisse , cum potuerint , si dicendam intellexissent , unico verbo absolvere , quæ moræ tædere.

Quippè opinor ergo dubitandi hoc occasionem , ac ansam dedisse Grammaticos illos vetustissimos , qui ut vitarent ambages verborum , & multiloquium , definitiones ex pluribus terminis aliis connotativis , aliis absolutis constantes , unico termino apparenter absoluto comprehendenterunt , putâ nomine definiti. Hoc enim aggregatum , animal rationale , hac dictione , homo , incluserunt , ut hoc complexum , substantia , ex materia , & forma subsistens , & partes diversas quantitatè habens , hoc nomine , corpus , & hoc complexum , corpus sensitivum , hac nomenclatura , animal. Et per eundem modum cætera , quæ vocantur universalia , tām in prædicamento substantiæ , quæ in aliis prædicamentis , absolutis terminis expresserunt : cum revera illa non sint nomina , nisi aliquarum facultatum naturalium , aut accidentalium , in quibus aliquæ tribus individualium convenientur. Quid enim per hunc terminum , homo , intelligitur , nisi quodvis singulare corpus sensitivum , ratiocinari valens? Itaque dictio hæc , homo , ex entibus humanam tribum significat , ut animal , ex entibus aliquam tribum dicit , & cætera , quæ appellantur universalia , seu prædicamenti substantiæ , seu aliorum prædicamento rum , eandem normam servant.

Ergo cum Philosophi primi audierunt has voces incomplexas modum absolutarum habentes , incep- perunt indagare de esse suorum significatorum , ut si quævis illarum vocum aliquod ens absolutum significasset : non intelligentes , entia abso-

*Quæ fuerit
occasio eorum
que queruntur
de existen-
tia universam
lit.*

*Quæ decepti
sunt Physici
indagantes an
universalia e-
xistant , ang-
non.*

absoluta per ea non significari, sed entium connotations dici. Incideruntque in eum errorem, in quem caderet, qui considerata vi expurgandi bilem nominatam verbi gratia c. multis medicamentis convenientem Rhabarbaro quidem, & Scammonio, & Mirabolani citrinis, dixisset, Rhabarbarum est c. quod idem valeret, ut si diceretur, Rhabarbarum est purgativum choleræ, & idem sciscitaretur, quod ens est c. quod verè prædicatur de Rhabarbaro, & Scammonio, & Mirabolani citrinis: non intelligens terminum connotativum esse illud c. et si in prolatione absolutum appareat, & quod per illam assertiōnem, Rhabarbarum est c. idem significatur, quod per hanc Rhabarbarum est subductivum bilis, ut prædiximus. Certè cùm quis dicit, Petrus est homo, non aliud exprimere cupit, quām Petrus est animal ratiocinari potens, non quod sit Petrus aliquod ens absolutum distinctum à se vocatus homo. Hæc certè, ut ego existimo, si ita à Platone, & posteris, & etiam à realibus, ac nominalibus intelligenterunt, ut à nobis, universæ (ut existimo) essent ablatae quæstiones de hac re.

Objicitur contra ea que author explicuit de existentia universalis.

Contra hoc si objicias sequi ergo ex dictis fermè omnia nomina esse connotativa implicitè, jam quod non explicitè, nam non tantum universalia de prædicamento substantiæ, quæ diximus, sed & quam plura alia, ut omnia instrumenta fabrorum, & fabricarum, putà malleus, serra, ascia, acus, dominus, theca, triclinium, vestis, calcaneus, & cætera hujus generis, inter illos terminos, qui apparentiam ab solutorum habent, connotativa tamen implicita sunt, essent recensenda. Malleus enim instrumentum aptum ad molliendum definitur,

Tom. I.

ut ferræ, instrumenta dentatum ad secundum aptum exprimitur. Et domus, fabrica ex tecto & parietibus constans habitari apta dicitur. Et Theca materiaria per ædificium materiarium servans occultanda explicatur. Quæ definitiones aliud non dicunt, quam convenientiam ullam inter individua nonnulla, iis individuis, per aliquod nomen apparenter absolutum, significatis.

Respondebo concedendo consequens: & ut duplices sunt termini connotativi, quidam essentia-liter connotantes, ut rationale, animale, & cæteri: alii accidentaliter, ut album, nigrum: ita universalia duplicita esse, quædam includentia connotationem essentiale, ut quæ in prædicamento substantiæ ponuntur: alia accidentale, quæ in prædicamentis aliis inseruntur.

Si quæras: Quæ ergo erunt dictiones, quæ simpliciter absoluti termini dici poterunt, cum tot sint connotativa? Dico, quod tantum illæ, quæ individuorum sunt. Quæ enim aliquid, in quo plures convenient, denotant, jam non simpliciter absoluti termini dicendi erunt, sed inter dictiones occultæ connotantes anumerabuntur.

Hac nostra sententia in totum perpensa, quid Aristoteles tot locis citatis dicere voluerit, intelliges. Etiam ibidem cognoscet eundem quoquomodo incidisse in eum errorem, in quem priores Philosophi loquentes de universalibus, ut de absolutis simpliciter dictionibus ceciderunt. Et certè si alicubi implicitè voluit id, quod nos expressius diximus, nullibi nisi 8. Metaphysics, text. com. septimi, nam 3. ejusdem text. com. 12. dubium de hoc negotio adeò extollit, ut dixerit: [Est autem habita de his dubitatio, & omnium difficillima, &

Solvitur obiectio.

Aristoteles in inquisitione existentiæ universalis, ut Plato, & cæteri decipi videntur,

ad considerandum maximè neceſſaria.]

Objicitur contra relata de vera exiſten- tia universa- lis.

Et quæ adverſus relata objici poterunt, in medium propono. Primum hoc est. Jam quòd ita res habeat, ut à me dictatum fuit, quòd genera & species illas communes facultates individuorum, ut forma- lia significata significant, quid obſtat, quominus intellectus valeat considerare entia, quæ unius spe- ciei, aut unius generis sunt, ut ta- libus facultatibus dotata, quasi sub una ratione contenta, quoddam unum esse, & hoc universale dici? Ubi nihilo à veteribus & juniori- bus de universalibus sentientibus, diſſidebimus.

Secundò, si vera noſtra placita eſſent, ſequi videbatur, universas metaphysicorum conſiderationes de universalibus futiles, & inaneſ eſſe: ac illam diſtinctionem, quæ inter eſens & eſſentiam nonnulli conſtituant, magis multò quibusviſ figmentis vaniſsimam eſſe.

Solvuntur que objec- ta ſunt contra explicationem verae exiſten- tiae universa- lis.

Quoram utrumque, unica reſponſione absolvetur, concedendo utriusque rationis conſequens. Porro non minùs quam in prædi- camento substantiæ, genera & spe- cies ſingi poſſent in prædicamento, quod formari valeret ex conceptu universali, quem eliceret quivis po- ſſet ex omnibus pharmacis faculta- te ſubductrice participibus: ſi id a. nominaffen, & genit ad infe- riores species iſum poſſiſſent, putà eorum medicamentorum, quæ vim ſubducendi bilem habuiſſent, & aliorum, quæ potestatem educi- cendi pituitam poſſiderent, ac illo- rum, quæ virtute purgandi melan- choliam fruerentur: quavis tri- bu ex relatis ſub unoſo concep- tu conſiderata, & ut species re- cenſita. Neque ob id, quod intellectus hæc ſic, ut retuli, conſiderare poſteſt, ſequitur res ſic diſſerre

à ſubditis individuis, ut intellectæ differentes ſunt, potius quam prop- terea quòd ipſe intelligeret chi- mæram, ex membris diverſorum animalium conſtitutam, eliciendū ſtatiſt, ipsam ſic in rebus eſſe, ut facta eſt. Quippe minimè qui ſapiunt, niſi desipient, debent qua- rere, quæ entitas diſtincta à rebus ſubducentibus ſit illud genus a. quo ſignificatur facultaſ medica- mentoſa ſubducere poſtens. Ceu, ut prædiſi, non licet inquirere, quæ entitas diſtincta ab individuis ſen- tientibus ſit animal. Aut quæ en- titas diſtincta ab individuis corpo- reis intelligentibus ſit homo. Nec reddi ratio ulla poſteſt, cur potius ex corpore & ſenſitivo diſtinguita liceat conſtituere animal, aut ex animali & rationali diſtinguita conſtituatur homo, quām quòd ex a. genere, & b. verbi gratia, diſtinguita medicamentoſa ſubductrice choleræ conſtituatur c. verbi gra- tia, species pharmacorum purga- tium choleram. Adeò enim intri- ſeca ſunt hiſ pharmacis relataſ fa- cultates nomine carentes, quibus univerſi eorum individui parti- piant, ut quod vocant ſenſitivum animali, aut rationale homini. Si enim uſu venit propter defectum temperamenti medicinæ eam non ſubducere, non ob id amittit ipſa nomen potentiaſ ſubductricis: ipliſ enim temperamentis reſtitutis, & purgandi facultaſ redibit. Ut diſ- temperato cerebro, ratiocinandi viſ deleſtur: & rationalis ob po- tentiam & promptitudinem, homo di- citur. Si enim optima cerebri tem- peries redierit, & homo ratiocina- ri poſtis erit.

Tandem, ut prædiſi, cum gene- ra & species termini connotati vi implicate ſint, etiſi liceat intellectui, qua ſuis diſtiones & compositio- nes machinari, non ob id in rebus illæ

De ente & eſſentia an diſ- ferant, aut no- agitur, im- pro- ba- urque ex- poſitor quod- dan-

dam libelli de illæ querendæ sunt, potius quam
ente & essentia inter ens & essentiam distinctio.
Author enim, qui libellum de hac
distinctione confecit, quantum ego
consequi ex lectione illius operis
valeo, numquam concepit realiter
hæc differre, sed tantum per intel-
lectus opus. Quod mirari coegerit
dementiam cuiusdam gravis expo-
sitoris ejusdem, audentis fateri,
non tantum differre realiter in cor-
poreis substantiis essentiam totius
a materia & forma, sed etiam exis-
tentiam essentia ab ipsa essentia,
quatuor realiter distinctis in quo-
vis corpore creditis, putà materia,
primum: forma, secundum: essen-
tia ex his composita, tertium: exis-
tentia, quartum.

Quæ omnia figmenta quædam
esse probabo. Primò examini sub-
jiciendo quandam rationem au-
thoris codicis de ente, & essentia,
quam perperam intelligentes rela-
tus Commentator, & cæteri sui se-
quaces, in delirium præfatum inci-
derunt. Hæc fuit, quæ à Divo Doc-
tore refertur in libello citato de
Ente, & Essentia, cap. 5. fermè in
medio ejusdem, cuius series, quæ
sequitur est: [Omnis autem essen-
tia, vel quidditas intelligi potest,
sine hoc, quod aliquid intelligatur
de esse suo facto, possum enim in-
telligere quid est homo, vel phœ-
nix, & tamen ignorare an esse ha-
beant in rerum natura: Ergo pas-
tet, quod esse est aliud ab essentia,
vel quidditate.] Quæ ratio quam
exigui momenti sit, ad inferendam
distinctionem realem inter ens, &
essentiam, nullus est, qui si acriter
eam consideret, ignoret. Ea enim
ratione colligi posset, esse Sortis,
distingui ab ipso Sorte. Nam po-
test intellectus cognoscere abstrac-
tivè Sortem cum universis condi-
tionibus individuis, quibus affectus
est, & ipsum non esse. Immò sa-

pissimè abstractivè cognoscimus pa-
tres, & propinquos, qui vita func-
ti sunt, & nec propter hoc infe-
rendum est, suum esse differre ab
ipsis. Quod si demens concedat il-
latum, putà esse Sortis distingui ab
eodem, erunt in Sorte, quando ip-
se resurgeret, duo esse: unum quo
Sortes est Sortes, & abstractivè
cognoscatur Sortes: aliud, quo
ipse qui non erat, est. Et sic etiam
quæcumque individua noviter ge-
nerentur, seu b. ignis, sive c. ter-
ra, seu d. lupus, aut f. agnus, quæ
cognoscerentur abstractivè priùs
quam in lucem æderentur, cum
eisdem conditionibus individuo-
rum, quibus postea orientur, du-
plex esse individuum haberent. Et
ultra inferre licet, non tantum
quatuor realiter distincta de præ-
dicamento substantiæ, ut præfa-
tus expositor fatebatur, in qualis-
bet corporeal substantia contineri,
sed quinque. Nam materia, & for-
ma, quæ duo sunt, & essentia re-
sultans ex his, & existentia essentia
concepta ab intellectu, & existen-
tia realis superaddita per resurrec-
tionem, vel generationem rei abs-
tractivè cognitæ. Minimè enim di-
cere licet, quod individua non
possunt concipi cum existentia, nisi
realem existentiam habeant, & sic
tantum unicam existentiam essentia
habitura. Cùm statim qui id dixer-
it, à seipso in mendacio compre-
henderetur, si recordari velit ali-
cujus absentis, quem pridiè in cer-
to loco viderit, nam intelliget, il-
lum à se tunc ut existentem cog-
noscere: qui fortassis ipso nesciente,
jam diem suum obiisset.

Etiam dicere, quod existentia
individui concepta non differat ab
illa, quæ in individuo genito reperi-
tur, parum prodebet illis, qui par-
tes Expositoris Divi Thomæ tue-
rentur. Quia etsi ratio nostra, qua-

Beati Thome
ratio, qua dis-
tingui reali-
ter ens ab es-
sentia credi-
tur, nullius
esse valoris
affenditur.

inferebamus, quinque de prædicatione substantiæ in quovis individuo corporeo esse reperienda, per hæc esset sufficienter labefactata; dicendo illas non esse duas existentias, sed unicam: rationis tamen Divi Thomæ iis dictis ostendent defectum. Non enim sequitur, potest intelligi essentia hominis, aut phœnicis, & ipsa esse, aut non esse ignorari, ergo aliud est esse ab essentia. Respondebitur enim decenter ad normam præteritæ solutionis illorum, quod illa essentia, quæ concipitur, cùm ipsa non sunt, posse a cùm sunt, & existunt, est illa sua existentia. Et tunc sic verè soluta ratione Doctoris sancti, non erit ubi inniti possit illa realis distinctio, quæ fingebar, quatuor rerum prædicamenti substantiæ, sed esse, & essentia quævis, unum deinceps esse, scietur. Et cùm rationis meæ vim fugiunt, suas fictas reales distinctiones delebunt. Opinari enim essentiam non esse, id, quod existit, quia quod existit, conditio-nes individuas habet: talem scilicet, colorem, ac saporem, & odorem, & alia, quæ ab essentia substantiæ corporeæ quam maximè distant, vanum ut præterita est. Non enim fateor ego, esse accidentium inhærentium illi substantiæ, cuius essentia priusquam esset, concipiebatur, esse idem cum essentia concepta: sed testor, esse substantiæ subditæ illis accidentibus, esse idem cum essentia concepta: concipiimus enim sæpiissimè ea, quæ non sunt, & quæ sunt, eodem modo. Ignarus enim mortis amici sic eum concipio, velut cùm vivebat, vocaturque eadem res essentia, & existentia diversis respectibus: ut eadem entitas dicitur homo, & risibilis, & animal, & sensitivum, etiam diversis rationibus. Dicitur enim humana essentia, pro quanto

consideratur animal rationale sine accidentibus. Et dicitur existentia, cùm ipsa eademi natura percipitur, ut talium accidentium subjectum. Alius etiam defectus in eadem ratione committitur, similisque illi est, quo lapsus est Beatus Anselmus, credens demonstrare Deum esse. Non enim sequitur, concipiatur essentia alicujus rei sine ejus existentia, ergo existentia est aliud ab essentia. Quia si in simili forma aliquis argumentaretur, concipiatur essentia cum existentia, ergo sunt idem, nihil prodesset. Quippe qui omnia unum esse scriptis suis prodiderunt, non credentes distinguere accidentia à substantia, sed esse illa, vel diversam positionem atomorum, ut nonnulli: aut alium modum habendi illius principii, quod omnium rerum substantia erat, ut alii, essentiæ substantiam, & illorum, quæ sunt accidentia, utrique simul intelligebant. Essentia enim animalis ab his non alia esse opinabatur, quam, vel atomorum diversus situs, ut aliqui, vel alius modus essendi principii, ut alii, de omnibus aliis substantiis, & de illis, quæ nos accidentia nominamus, idem judicium edentes. Sed neque quia illi delirantes, ut dixi, sic concipiebant res se habere, sequitur ita esse. Veras enim, & aternas esse demonstrationes, quæ ex universalibus constant, & essentias rerum qui proferunt, certa testantur, quod major, & minor, & conclusio, sub conditione vera esse sciuntur. Porro omne animal rationale est risibile, & omnis homo est animal rationale, pro tanto semper veræ sunt, hominibus existentibus, aut ipsis deletis, quod minor æquivalet huic: Si homo est, animal rationale futurum est: & major illi, si animal rationale est, risibile necessariò erit. Et sic con-

clusio vera perpetuò etiam erit, alias tamen non, quia essent affirmativæ de extremo non supponente.

Ulta hæc quoque qui uteretur distinctione commentatoris Divi Thomæ, si velit, inferret, aliter discurrendo, esse etiam quinque de prædicamento substantiæ in quævis corporea substantia. Nam materiæ essentia, & formæ essentia, & corundem existentia duplex, aut saltim simplex, si materia existentia careret, tria sunt: & totius compositi essentia, & ejusdem existentia, duo, ergo ad minus quinque erunt, & mille hujus formæ figmenta machinari, substantiamque corpoream plures induere formas Prometheo illo poëtico, cui placuisset, fingere quoque posset.

Sed missa improbari ratione Diyi Thomæ, ut perperam à suo commentatore intelligebatur, sub incude, ut inquit, revocemus sententiam illam quam veram esse credit præfatus expositor, & an ita, ut ipse refert, scilicet, differre realiter essentiam, & existentiam, accidere sit possibile, examinemus. In primis supponendo rationem positionem illa, quæ à Doctore sancto ducta est, nullam, quod ego sciam, reperiri, ad afferendam distinctionem præfatam, quam rationem cum adeò fragilem, & imbecillam esse, ut audistis, ostenderimus, quin merum cavillum esse probaverimus, superest tantum non nullis rationibus probare, impossibile esse, essentiam ab ente distinguiri realiter, sed tantum per considerationem intellectus, ut author divus retulit:

Primaque hæc sit. Si essentia, & existentia duo distincta de prædicamento substantiæ sunt: cum quæcumque in illo prædicamento sicutum habent, talia sint, quod vel ipsa existunt, vel pars essentialis

ejus, quod existit, sint, sequitur necessariò essentiam corpoream existere: quia prædicamenti substantiæ essentia, ut adversi fatentur, est, non ut pars, sed ut totum, materia enim, & forma tantum ut partes substantiæ in relato prædicamento sicutum habent. Et cum essentia non sit materia, neque forma, sequitur ipsam per se existere, & ultra incassum fictam esse existentiam.

Secundò. Quæritur ab his, qui relata singunt, cum existentia corporeæ substantiæ sit in prædicamento substantiæ, an partes essentiales ulla habeat, an nullas? Si nullas, sequitur illam esse syncerifimam, ac simplicissimam substantiam, ut Angelus, & sic indivisibilis futura erat. Ac etiam Sortis, & Platonis, & aliorum hominum existentia universalia quædam esset, quia sunt substantiæ non individuatæ, ut ita loquar: deest enim illis materia, quæ principium individuationis ex confessis adversariorum est. Si dixerint existentiæ partes essentiales materiam, & formam esse, sequitur cùm eadem partes essentiales essentiæ sint, tam ex confessis ab eisdem, quæ quod rationes relatæ aduersus negantes militarent, res realiter diversas ex eisdem partibus essentialibus constitui, citra ullum miraculum, quod intellectus capere non valet. Nam si unica materia, & forma sufficiunt constituere duo realiter distincta de prædicamento substantiæ, non erat, cur natura creaverit materias, & formas aliorum individuorum, cùm unius sufficerent pro quibusvis individuis, ut sufficiunt esse partes essentiæ, & existentiæ, quæ sic realiter distinguuntur, ut Sortes, & Plato, & mille alia hujus formæ inferre liceret.

Tertiò. Quæro, an essentia Sortis,

*Impossibile est.
Se essentiam
distingui realiter ab exis-
tentia proba-
tur.*

*Secunda res-
tio.*

*3. Ad idem
ratio.*

tis, quæ differt ab ejusdem existentia, ut ille autumat, sit ens, aut non ens, aut utrumque, aut medium inter ens, & non ens? Si hoc ultimum concedatur, medium inveniri inter contradictorias fatendum esset, quod adversatur Aristotelii primo Posteriorum text. comment. quinti. Et quarto Metaphysices text. comment. vigesimi septimi. Et decimo Metaphysices text. comment. decimi quinti, & vigesimi secundi, & undecimi ejusdem cap. undecimo. Consequentia manifesta est. Quia si nec hæc vera esset, Hæc essentia est ens: nec sua contradictoria, Hæc essentia non est ens, sed essentiam inter esse, & non esse mediare dixerint, bona erit illatio nostra. Si utrumque fassi fuerint, esse essentiam, putà, ipsam existere, & non existere, etiam adversum Aristotelicum decretum dicent. Ipse enim quarto Metaphysices textu commenti vigesimi noni, alteram tantum partium contradictiarum refert esse veram, & non utrasque. Et primo Perihermenias, cap. sexto idem profert, & multis aliis locis: restat ergo, quòd aut essentia erit ens, & sic ens, & essentia non distinguentur, quod probare nisi sumus. Aut non erit ens, & sic non ens intrasset entis compositionem, quod implicat. Hæc ultima consequentia nota est. Quia si essentia ex fas sis ab adverso ingreditur compositionem substantiæ corporeæ, & ipsa non esset, bona erat illatio, ex qua ultra sequeretur, posse etiam dici ex chimæra, vel Antichristo, aut aliis non entibus constitui entia, ut ex essentia, quæ non est.

Quarto sciscitor etiam ab adverso, in quem usum genita fuerit existentia essentiæ? Si dicant in nullum: frustra ergo genita fuerit, quod ab operibus naturæ alienissi-

mum est. At si referant, ut ipsa essentia sit, quæ sine existentia non esset, sequeretur, quòd vel esse essentiæ penderet ab esse existentiæ, ut conservante, vel quòd essentia gigneretur ab existentiæ, ut à causa effectrice, vel quòd ipsa existentia sit, velut forma essentialis ipsius essentiæ, sine qua essentia esse non valet, ut inquiunt, qui materiam primam rebus indiderunt, eandem citræ formam non existere, hi enim sunt omnes modi qui fingi possunt, necessitatis creationis existentie. Sed primum esse non potest. Quia id, quod aliud conservat, priùs est tempore, vel natura, re conservata. Deus enim omnium creaturarum servator, utroque modo prior creaturis est, & luminosum lucem natura antecedit, & pes vestigium, & sigillum figuram. Sed qui existentiam introduxerunt, posteriorem ipsa essentia eandem esse commenti sunt, ergo servatrix essentiæ esse non valebit. Et jam quòd hoc non obstat, ut quam maximè adversatur illorum fictioni, aliud impossibile sequeretur, existentiam essentiæ humanæ, vel alterius naturæ esse posse, ipsa essentia non existente. Cum omne priùs, & conservans absolvit posse à posteriore, & conservato, ut exempla relata Dei, & creaturarum, luminosi, & luminis, pedis, & vestigii, sigilli, & ceræ, & inductivè omnium servaticum (ut existentiam servatricem essentiæ esse proferunt) & quorumvis servorum ostendunt. Sed in re posito hoc eventu, ac quòd tantum existentia humana superesset, hac esset vera. Homo existit, quia hominis existentia existit. Et neque anima, neque corpus, neque ex his totum resultans, ut isti credunt, neque hominis essentia esset: quod falso illatum quantum dementiam ostendit.

ostendat , dicere vereor.

Si iis rationibus convicti , existentiam servatricem essentiæ esse non dixerint , sed ejusdem genitricem , primò sequitur impossibile ejusdem messis cum præteritis , putà , posterius gignere priùs simileque impossibilibus illis esset , scilicet , lumen genuisse luminosum , & vestigium pedem , & figuram sigillum : & ultra , minus perfectum , se perfectius : quia essentia multò existentia perfectior , quòd existentia sit corruptibilis , essentia , ut adversus autumat , æterna , ut ex quinto Metaphysices text. comment. decimi quinti , elici potest , & ex septimo ejusdem text. comment. decimi tertii. Et ultra , æternum genitum esse à corruptibili : quia essentia æterna ab existentia corruptibili : quæ omnia impossibilia esse , nemo est , qui nesciat. Si negassent adhuc adversi posteriorem esse existentiam essentia , ultra dicta satis ex suis dogmatibus improbarentur. Ipsi enim fatentur , essentiam hominis , aut phœnicis intelligi posse , & ipsam non existere: cui essentiæ si gignatur aliquod humanum , aut phœniceum individuum , existentia continget : ergo manifestè posteriorem faciunt existentiam essentia. Atque cum substantia rei , quæ per definitionem exprimitur , sit essentia , & , ut prædixi , perpetua , superest priorem futuram esse existentia corruptibili.

Minimè quoque dici poterit , essentiam esse velut materiam primam , & existentiam formam ejusdem dici. Primò , quod ignotum per ignotius ostendent , cum neque materia prima , ut infra ostendam , est , & jam quod esset , absolví posset à sua forma , & sic essentia ab existentia , ubi illata impossibilia inferrentur. Et ultra illa , formam substantialem superaddendam formæ substantiali

ultimæ necessariò concedendum esset. Nam humana essentia ex corpore & anima rationali , quæ ultima forma hominis est , conflatur: et si existentia ut forma substantialis adderetur , formæ ultimæ esset superaddita , quod probare nitebamur. Sed quoniam (si Deus concesserit) infra cùm de rerum principiis egero , materiam primam factam fuisse ab Aristotele ostendam , non immoror improbare hunc ultimum modum essendi essentiæ , & existentiæ , ac quod ductæ rationes sufficiunt.

Quintò & ultimò quæro , an existentiam Deus possit separare ab essentia , aut non. Si hoc ultimum fateatur , impiè dixisse , vel ex hoc patet , quòd ex quibuscumque duabus rebus realiter distinctis , quarum una non sit Deus , vel alterius pars , Deus potest servare unam , altera corrupta : & cùm essentia & existentia sic distent , sequitur Deum posse alteram ex his servare , alia corrupta. Quo concessso , statim universa impossibilia illata inferrentur , & alia mille similia illis quoque. Nam Deo non competere separare illa posse , quia respondens adversus dicat , existentiam essentiæ partem esse , minimè id verè dici poterit , cùm valeat essentia concipi sine existentia , quod impossibile esset , si existentia essentiæ pars esset , quòd nihil concipi valet , suis partibus non intellectis. Opinari quoque Deo non licere illud , quod supposuimus , ut album sine albedine , aut calidum sine calore efficeret , non valet , falsum est. Nam quamvis album , quòd aggregatum ex substantia & albedine significat : aut calidum , quod etiam conjunctum ex substantia & calore dicit , non possint esse talia , altera partium remota , ut duo , ablata unitate , duo non restant , tamen quod-

Quinta ratio.

vis eorum corrumpere , altero ser-
vato , licet Dei potentiae. De qui-
bus infra fusè dicemus.

Et ne transgressor promissorum
verè dici possum , qui succinctus in
solvendo quæsitum futurus eram,
ut promisseram , finem dictis impo-
no , tantum illud solvendo quæsi-
tum , quod insolutum mansit. Utrum
accidentium universalia per acci-
dens , an per se sensibilia sint , unica
dumtaxat distinctione posita. Quòd
aut accidentia considerantur , ut
singularia sunt , & sic sensu , ut sensi-
bilia propria percipiuntur , aut ut
aliquid commune cum aliis haben-
tia , & sic ab intellectu , & per ac-
cidens cognoscuntur. Hujus enim
papyri albedo , ut quadrata , & cha-
racteribus his maculata sensu per-
cepta , sensibilis per se dicitur : ea-
demque cognita , ut valens visum
disgregare , qua facultate cæteræ
albedines participant , intellectu
percipitur : atque hæc facultas dis-
gregandi visum si aliquo incom-
plexo termino explicaretur , univer-
sale diceretur.

*Bruta universal posse cog-
noscere si sen-
tirent , ex dic-
tis ostenditur.*

Relata palam monstravit , si bru-
ta sic sentirent , ut eorumdem ope-
rationes ostendere videntur , eis-
dem collatam esse vim cognoscendi
universale. Nam nihil difficile
esset illis , si sic , ut hucusque Phi-
losophi opinabantur , cognoscerent
bruta , facultatem communem mul-
tis individuis unius speciei posse
percipere , quo universaliter cog-
noscentia dicerentur. Actus enim
eorundem , hoc assequi eadem , of-
tendunt , cum omnia ignem aduren-
tem fugiant , quasi noscentia illam
facultatem urendi commune omnibus
ignibus esse , & alia quam plura
hujus generis fugiunt , aut prose-
quuntur , prout convenientia , aut
disconvenientia illis sunt : quæ si
aliquis insaniens concederet , jam
animas ratiocinatrices habere ani-

malia confiteretur , ac perpetuas,
obnoxiasque suppliciis , & præmiis,
& alia quam plura absurdia fatere-
tur , ut in fine operis , cùm de ani-
morum immortalitate egero , Deo
concedente , ostendam : quod quan-
tum dementiae , ac impietatis ha-
beat , nullus est , qui ignoret. Ne-
que qui hæc fassus fuerit excusari
poterit , Porphyrium inter Platoni-
cos per excellentiam Philosophum
appellatum , Boetio Severino teste ,
& alios ejusdem sectatores , in ter-
tio libro de Abstinentia ab anima-
libus , ducendo , qui brutorum eo-
rum animas , quæ sensu & memo-
ria pollent , immortales , rationa-
lesque esse asseveraverunt. Cujus
decreto Numenius Platonicus sub-
scripsit non enim qui delinquit , ac
errat , à crimine evadit , confortem
ac participem criminis coram judi-
ce præsentando.

Postquam modum , quo univer-
sale ab intellectu noscitur , expli-
cuimus , ac etiam quid verè sint
universalia monstravimus , undeque
tot errores deesse eorum ortum
traxerint , indicavimus , superest id ,
cujus gratia hæc de universalis icti-
pita sunt , exarare , hoc est , quo dif-
ferant intelligere , & sentire , nam
multò ante id agere promisseram ,
& nos sèpè ea differre diximus ,
Aristotelem imitantes , qui in exor-
dio tertii de Anima de ea facultate
animæ , qua sapimus , ac intelligi-
mus , ut de distincta re , vel ratione
ab ea , qua sentimus , se acturum
per universum tertium de anima
promittit. Sentiuntur ergo propriis-
simè omnia illa , quæ inferunt in
aliquid ex organis his quinque ex-
terioribus sui notionem , ut retuli-
mus , anima sentiente. Sentiri etiam
dicuntur non adeò exactè , ac pro-
priè , quæ abstractivè cognoscun-
tur , nam phantasma vim objecti
extrinseci in repræsentando habet ,

*Brutorum au-
nime , quæ
sensu & me-
moria pollent ,
immortales
esse credit Por-
phyrius.*

*Quo sentire
ab intelligere
diffirat expri-
misur , et pri-
mò quod sen-
tire sit.*

ut Aristoteles 3. de Anima , textu commenti 39. refert. Et si sine materia extrinseca, à quo fuit produc tum, sit, secūs sine materia, cui in est, ut cum de notitia abstractiva loquutus sum, dixi. Et facultas in terior cognoscens abstractivè, vim exteriorum sensuum habere vide tur, cùm ipsa possit in absentia omnia illa mediantibus phantasmatis cognoscere, quæ præsentia per sensus exteriores intuitivè cognita sunt.

Quid intelligere sit, decla ratur.

Intelligi autem illa referuntur, quæ talia noscuntur, qualia sunt, non per immutationem formalem factam ab ipsis intellectis rebus in quantum intellectæ sunt, sed per aliarum rerum cognitionem du centem in conceptum rei intellectæ. Quod ut facile intelligatur, exemplo notionis illius conclusio nis famata, ducto in his, quæ antecedunt. Omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis, monstrare volo. Certè nullius trianguli tres anguli ostendunt ulla ex sensibus exterioribus, neque phantasma eorum facultati interiorei cognoscenti abstractivè æquipollentiam eorum duobus rectis, sed tantum cognoscere angulum extrinsecum trianguli cujusvis æquipollere duobus intrinsecis op positis. Et nosse lineam rectam ca dentem super lineam rectam pro duce duos angulos rectos in for ma, vel in valore, dicit in cognitionem illam, quòd omnis triangulus habeat tres angulos æquales duobus rectis, ut notum est. Eundem etiam modum servant cætera, quæ intellecta dicuntur. Voces enim humanæ tunc verè intelligi dicuntur, quando non tantum sonus, & conceptus non ultimatus earum concipitur, sed res ipsæ, quas ex pacto significant, intelliguntur. Itaque ibi etiam quod in-

telligitur, per nullam exteriorem neque interiorem sensationem formaliter cognitum est, sed ex notione significati vocis auditæ, alias distincta à voce intelligitur.

Quo manifestè constat, bruta vo ces, ut significativas nullo modo posse percipere, quia ea intelligere necessariò diceremus: id enim, ut retuli, intelligere est, cùm ex cognitione unius rei aliud ab ea re nota cognoscitur. Minimè etiam nutibus intelligere bruta valent, ut vulgus existimat, quia & id propriè intelligere diceretur: quod animæ intellectivæ tantum convenit. Qui enim nutibus impositis ad significandum aliud ab eisdem novislet, eis visis, manifestè intelligens dicendus esset, cùm aliud à re, quæ sentitur, cognoscit per illam nutus cognitionem. Ut intelligere dicitur, qui visa Luna, aut Sole, alterius magnitudinis esse cognoscit, quām visu dijudicari poterant, quia ratione aliud asse quitur, quām visu decernatur.

Si adversus hoc objicias sequi ex dictis, indivisibilium intelligentiam non dicendam intellectionem, quia illa aliis notis non noscuntur, quin ipsa seipsis intelliguntur, in horum enim cognitione neque falsum, ne que verum existit, cùm citra omnem compositionem concipientur. Respondebo negando consequen tiā. Et ad probationem dicam falsum esse, indivisibilia intellecta seipsis cognosci, quin ipsa sine diversarum à se rerum cognitione non intelligi. Quis enim punctum in linea, aut lineam in superficie, aut superficiem in corpore, aut instantans in tempore, aut mutatum esse in motu, seipsis sui notionem inducentibus, novit, nisi per subjectorum eorundem cognitionem, & divisionem fictam? Noscimus enim punctum, quod indivisibile intelli-

Bruta voces, ut significati vas non posse intelligere.

Objicitur contra modum sentiendi & intelligendi explicatum ab auctore, & solvitur obje catio.

gitur , lineam secando in tres , vel quatuor , aut quinque partes , plures , aut pauciores , ut nobis libuerit , intelligendoque partes illas sectas aliquo continuari : quod si linea esset , illam indigere etiam continuante inter se , & alias partes sectas , dicere debebamus , et si continuans iterum etiam linea appellaretur , aliud signandum esset , quo ipsa uniretur , & processus in infinitum daretur : restat ergo ut hic vietetur processus , lineam non esse , quæ partes lineæ seēt continuabat . Cumque linea non sit continuans partes divisas , superest punctum esse , quod indivisibile simpliciter est . Nam si illud , quod est posse dividi secundum longitudinem , à re , qua continuantur partes lineæ , separetur : cùm secundum illam dimensionem tantum divisibilis linea existat , sequitur , quod reliquum est , ablata sectione longitudinis , indivisibile simpliciter dicendum . En quod in hoc discursu tantum linea in corpore conspecta , ut longa , ac divisibilis noscitur , eadem sui speciem simul cùm superficie , in sensu inducente , si intuitivè cognoscatur , vel phantasma ejusdem , simul cum superficie phantasmate , partem interiore immutando , cùm abstractivè noscenda se offert : & punctum , quod ut indivisibile intelligitur , nullo modo sic nos nec abstractivè , neque intuitivè afficit , ut noscatur , sed tantum linea , ut superficie pars , per quā à punto distincta suo modo immutat . Neque si aliter punctum intelligere satagis , ut partem , scilicet , lineæ inadæquate acceptam , ipsum , ut inadæquate acceptum nostros sensus afficit , inadæquatione illa non nisi per processum in infinitum intellecta , qui discursus à sensu non sit , sed ab alio , ex cuius cognitione in puncti intellectu duci-

mur . Si etiam quia altero oppositorum cognito , reliquum quoquomodo cognoscimus , ut Aristoteles tertio de Anima , text . commenti vigesimi quinti refert , cognitis rebus divisibilibus , punctum , quod oppositum privativum est , noscimus , non eundem de se præbere cognitionem liquidum erit , imò sui contrarium , ut diximus . Ut ergo hujusmodi indivisibile intelligi probavimus per aliarum rerum notionem , sic quæcumque indivisibilia sunt , non tantum in prædicamento quantitatis , verū & in prædicamento substantiæ sita , ut Deus , Angeli , intelligentiæ , & animæ , noscuntur ex aliarum rerum notione . Invisibilia enim Dei à creatura mundi , per ea , quæ facta sunt , intellecta conspicuntur , id est , intelliguntur . Et ne multiplicibus exemplis probemus rem intellectam dicendam tantum eam , quam ex notione aliarum rerum cognoscimus , unicam assertionem physicam ducamus , qua ultra ducta patet verum esse , quod retulimus . Quoniam exempla tradita potius attinere mathematicæ facultati , quā philosophicæ constat . Prius tamen quā hoc agam , quia ut punctum cognosceremus , duxi rationem quandam aliquorum , qua id esse indivisibile simpliciter in linea , ut continuativum ejusdem existimant : opinantes quæcumque continuantur per aliquid diversum à se continuari , an id verum perpetuò sit , examini subjiciamus .

Et ut paucis hoc absolvamus , assertionem illam falsam esse demonstremus , nisi addatur decreto illi per aliquid diversum à se re , vel ratione continuari quæcumque . Ratioque hæc sit , si (exempli gratia) pedale quadratum ligni proponatur coram nobis , nonne universi non intelligent , illud ex duabus

*Paulus ad
Romanos , cap.
1.*

*Quæ continua-
nuntur non
per distincta
re à seipso
continuari
probatur.*

bus semipedalitatibus quadrangulis constitui? Sit ergo ita, quod contra ferram, ac aliud secans, quod possit imminuere aliquid ejusdem quadrati, frangatur pedale in duas semipedalitates: ecce quod illae partes nulla re distincta à se ipsis continuæ erant, ergo assertio falsa. Consequentia est nota. Et antecedens probo. Detur oppositum, quod illae partes alio distincto à se ipsis continuantur. Quæram ego, an illud distinctum est quantum, & divisibile, an non quantum, ac indivisibile? Si secundum dicatur, inferam illud meritò dici punctum, quod se junctum à quantis singunt: quod nullus adhuc insaniens commentus est. Si dicunt non separatum ab altera medietatum illud continuans esse, sed uni illarum inesse, duo, quæ quam maximè inconveniunt, statim sequentur. Alterum, quod illud punctum tantum unicam lineam alteri continuam facere poterit, cùm tantum ei inesse, & non toti corpori divisibili possit. Secundum, quod si jungantur utræque medietates, jam quod infinita puncta continuantia essent, statim continuæ, ut prius evident. Consequentia patet. Quia partes, quæ præfuerunt, adsunt, & continuans non deest, ergo & effectus, qui est unio, ac continuatio, deesse non debet. Sed hoc sic evenire nullus experitur, quin oppositum: quod si statim post fractionem ad invicem admoveantur, adeò discontinuæ conspiciuntur semipedalitates, ut si per leucam distassent: nam separationi non plus resistunt, quam cætera contigua: ergo antecedens, ex quo id sequebatur, falsum. Si primum asseveretur, putà, quanto, ac divisibili continuari illas semipedalitates, quando quadratam pedalitatem constituebant, statim inferam, quod plus quam pedalita-

tem constituent semipedalitates junctæ, quod est contra hypothesis. Consequentia probatur. Duæ illæ semipedalitates unam constituere sufficient, & ultra illas semipedalitates, quod continuat utrasque, quod quantum est ex adversi assertione, etiam pedale constituit, ergo pedale quadratum est majus pedali quadrato, quod implicat.

Prædicta ratio demonstrare videtur, quæ continuantur tantum se ipsis continua esse, & non per aliquid distinctum à se re, sed ratione quadam, nonnumquam dici continua, vel aliquo accidente, ut si præfati quadrati pedalis, vel alterius rei quantæ rem continuantem quasvis earum partes adinvicem continuas inquiras, nullum aliud à se ipsis reperies. Finge enim tu illas se jungi, nihilo illarum deperdito, & intelliges, se ipsis continuas esse. Quia si alio medio continuæ essent, jam non in duo dimidia constituentia totum secuisti, ut jussoram tibi: reliquisti enim illud continuans insectum. Et adhuc si tibi dem illud impossibile, manere aliquid insectum, divisa pedalitate in duas dimidias pedalitates, aliud non minus impossibile inferetur, putà, illud quod continuabat, & insectum mansit, cùm quantum sit, & etiam continuum esse sit manifestum, si ejus partes se ipsis continuæ essent, quod nulla esset ratio, cur semipedalitates se ipsis continuæ esse non valerent. Si verò alio distincto ab illis unirentur, cùm quantum illud futurum sit, quo uniuntur, quod alio distincto à se continuandum esset, & illud alio, ac sic processus in infinitum. Et ultra, in quovis parvo continuo infinita diversæ rationis unientia repetriri esset necesse, sed hoc impossibile, ut dixi, est: ergo antecedens.

*Antecedent
assertio robo-
ratur alia de-
monstratione.*

*Concluditur
que continu-
antur, seipso
continuari.*

Cogimur ergo dicere illud, quo uniuntur, ac continuæ sunt partes cuiusvis quanti, partes ipsas unitas esse, dici tamen, ac appellari alio, quām partium nomine. Certè continuans lineam punctus appellatur, quod nihil aliud est, quām linea, ut terminata, vel ut alteri suæ parti conjuncta: puncta enim dicuntur, quæ lineas finiunt, ac quæ partem lineæ suæ immediatè conjungunt: sed verè lineæ sic, ut dixi, consideratae sunt, & non quid distinctum ab eis, ut superficies, quod continuat superficiem, et si linea per consimilem considerationem præcedenti appelletur, & corpus est, quod ipsum unitum est, et si superficies per relatum animadversionem dicatur: & de primo ad ultimum punctus à corpore re non distat, sed per intellectus considerationem differre singitur.

*Objicitur con-
tra asserta de
continuis.*

Contra quæ non parvum dubium insurgere videtur. Si ita eset, ut ego assevero, quod corpora homogenea partibus ejusdem rationis unita sunt, sic, ut si lignum, vel ferrum, vel alia quævis res dura in duas, vel tres, vel plures partes sectetur, nihilo illarum deperdito, illæ duas, vel tres partes tantum erant, quæ priùs totum continuum constituebant, & nihil aliud diversæ rationis à ligno, vel ferro, cur post sectionem si adinvicem applicentur illæ partes sectæ, non idem totum continuum constituant, quod priùs, cum nihil desit illis partibus, ut uniantur, quod priùs non haberent, secundum meam assertionem, sed idem totum, & eodem modo continuum noscimus non constitui, cum priùs quævis illarum partium sectioni, divisionique ab altera resistat, & postquam adjuncta nunc sunt, nihilo separationi resistunt. Ergo videatur, vel aliquid deesse illis partibus

ab eo, quod priùs habebant, & ob id non posse, ut priùs uniri, vel causam aliquam reddendam, cur partes, quæ priùs divisioni resistebant, nunc et si contiguæ fiant, non sic uniuntur, ut evadant quales præfuerunt.

Huic dubio, quod tangit, quo differant continuum, & contiguum, paucioribus, quām possim scriptis faciam satis: quamvis res ipsa, ut mea sententia est, hucusque à nullo sufficienter (quod memoria consequebar) sit explicita. Et primò causam reddam quæsiti: illa enim intellecta, facile noscetur, quo continuum, ac contiguum differant. Dein quæ restant, explicabo. Ergo cùm queritur, quæ sit causa, quod ligna secta in duas partes citra deperditionem ullius ramenti, si iterum conjungi ipsa procurentur, non sic partes uniantur, ut idem unum constituant, ut priùs. Dico id in causa esse, quod semper aliquid mediat inter partes sectas, quod prohibet earum unionem. Si enim contingere nihil mediare, statim eo modo unum componerent, ut priùs ante sectionem, ac si divelli eas quis procurasset, resisterent, ut priùs.

Scio enim duas tabulas exactè planas adinvicem applicitas nequaquam posse sic se tangere, ut nihil inter eas mediet, quovis gravio onere superposito, quia aërem, vel aquam, vel aliam rem liquidam, vel flexibilem media re inter eas necessum est. Nisi impossibile adeò ingens, ut vacuum, dari accident, vel infinitè velociter aërem, vel aliam rem inclusam inter eas per certum spatum movendum esse. Et quod impossibile hoc ultimum sequatur, patet. Quia si duæ tabulæ perfectè planæ rotundæ centrum pedalis quantitatis (sic enim ratio procedit in his, ut in qui-

*Quo continua-
um & conti-
guum diffe-
rant hucusque
à nullo suffi-
cienter est ex-
plicitum.*

*Duæ tabulas
perfectè pla-
nas nequa-
quam posse se
invicem tan-
gere nisi mol-
les reddatur.*

quibusvis aliis majoris, aut minoris latitudinis) adinvicem nunc primum admoverentur, verum esset dicere, quod immediate ante instans contactus aer, qui inter centra tabularum includebatur, infinitè velociter motus esset. Consequentia probatur per exponentes illata propositionem, quae haec sunt: Immediate ante hoc aer includebatur inter centra tabularum, & nunc non includitur inter ea, neque inter ullam alias partes tabularum, cum centris se contingentibus tabulis perfecte planis universas tabularum partes se contangere necesse sit, ut geometræ ostendunt, ergo aerem transgressum fuisse subito centupedalem quantitatem, quam tabulæ habebant, necessarium est. Consequentia est nota ab exponilibus ad expositam. Sed consequens est falsum; ergo antecedens pro maiore, quæ referebat, aerem nunc non includi inter centra tabularum, quia se tangerent.

Objicitur contra solutionem, quæ reddi posset.

Neque sufficienter respondetur à quibusdam confitentibus non inconvenire verum esse, quod immediate ante instans contactus aer infinitè velociter sit motus, quia illa dictio aer, vi illius signi, immediate supponit ibi confusè tantum: sed quod esset inconveniens dicere aerem immediate ante instans contactus motum esse infinitè velociter, quoniam eadem dictio supponeret determinate. Et quod prior propositio vera sit, quæ nullum patit impossibile, secunda vero, ex qua impossibile infertur, falsa sic deducunt. Quivis aer immediate post instans contactus signetur extra tabulas pulsus, aliis prius pulsus signabilis est: nam medietas ejusdem aeris pulsi, quæ distantior est à tabulis, prius pulsa est quam totus, & quarta etiam distantior à tabulis, quam tota medietas, &

octava, ac decima, sextupla, & sic in infinitum per partes proportionales, semper quavis parte data, alia prior quæ prius pulsa sit, signabitur; ergo vere dicitur post instans contactus, nullum aerem certum immediate esse pulsum.

Quod non sufficienter sit responsum reddendo argumento solutionem præfatam, primo hoc, quod inconvenit, probat, putat cogenitos esse adversos concedere, immediate post instans contactus esse agens creatum infinitæ activitatis, & si qui sit, ignoratur: quamvis sciatur inter infinitos certo loco fitos esse inclusum. Et quod illatum sequatur, manifestissimum est. Nam si immediate post relatum instans contactus aer, qui includebatur inter centra tabularum subito pulsus est à centro tabularum extra centupedalem quantitatem earundem, quamvis non sit signabilis primus aer pulsus, scitur tamen, illum inter partes aeris pulsi à tabulis se tunc primum tangentibus includi, & a aerem illum ignotum (addo enim illam literam a. ad notandum confusionem dictionis) ut logici solent esse infinitæ activitatis. Patet, quia si in hora moveretur per centupedalem quantitatem, esset alicujus activitatis, & si in diuidia, in duplo majoris, & si in quarta, in quadruplo; ergo si subito, infinitæ activitatis futurum necesse est.

Secundò, inconvenire aliquam quantitatem subito pertransiri, non oritur ex determinatione, aut indeterminatione agentis movendi per illam quantitatem, sed ex natura agentium, quæ talis est, ut non subito quantumvis parvum spatium possit ab eis percurri. Sed hanc adversi concedunt conveniri a. aeris; ergo aliquid contrarium naturæ entium confitentur.

2. Obiectio contra inanem solutionem.

Ter-

3. Objectio i-
dem roboras.

Tertiò sequeretur ex assertione præfata , multas propositiones manifestè falsas , concedendas ut veras. Quia non plus inconvenire videtur , concedere ut veras , quæ referendæ sunt , quam relatam. Consequentia probatur. Qui confiteatur veram esse hanc : Immediate post hoc aër infinitè velociter movebitur , quia infinitæ partes proportionales aëris sunt , quarum nulla signari potest immediate post hoc mota : etiam veram hanc propositionem dicet : Immediate post hoc instans caliditas unius gradus erit trium graduum , etsi nulla pars calida immediate post hoc instans illos duos gradus subitò acquiret. Quia calidum quantum , divisibile est in infinitas partes proportionales , & de eisdem dici posset , quod de a. aëre immediate post instans contactus moto , & ut de illo , verum fuit dicere , ut isti fatentur , immediate post illud instans fuisse infinitè velociter motum , sic de calido poterit dici immediate post aliquod instans fuisse infinitè velociter alteratum , acquirendo subitò duos gradus caloris. Et alias hujus generis mille falsas propositiones ut possibiles , & veras concede-re cogendi erunt , qui perperam , ut dixi , argumentum solvunt. Quòd enim similis concessæ propositioni sit , quam duximus , qui aliquid de calculationibus calluit , noscet.

4. Objectio nō
calculatoria;
sed illustrior.

Quartò ratione demonstrativa lucida , non calculatoria probatur. Si verum esset , quòd tabulæ se possent tangere sine ea re media , quam retulimus , sequeretur in instanti contactus tabularum easdem ex contiguis continuas reddendas. Consequentia est nota. Quia si tabula sic scindatur , ut nihil ejusdem deperdatur per scissionem , & par-tes ejus statim eisdem partibus , à quibus sejunctæ fuere , jungeren-

tur , cùm nihil eis deesset ex his , quæ priùs habebant , non est , ut quid continuæ nunc dicendæ non essent , ut priùs : sed non esse continuas experimenta docent , quia divisioni , & sejunctioni non resistunt , sequitur ergo aliquid inter eas mediare , quia si non mediasset , statim ut se tangerent , continuæ evaderent , ut diximus.

Contra nonnulla ex dictis insurgunt argumenta quædam. Primum est , non verum esse perpetuò duas res duras non flexibles non posse se tangere sine re liquida media , aut alia re vim liquidæ rei habente , ut prædicteramus , quòd dabilis sit modus jungendi res duras sine re media citra inconveniens illatum. Nam si duas tabulas perfectè planas non sic applicuisses , ut superficies unius , super alterius superficiem perpendiculariter cadens , subditam tangeret , ut inter argumen-tum ego fingebam : sed ex altero latere superficies superficie sic ad-moveretur , ut successivè subdendo infimam superiori , vel subinde superponendo altiorem infimiori , motus earum continuaretur , donec superficies superficiem æquasset , & ad invicem contiguæ illæ mansissent , illatum , quod impossibile esse diceba-mus , putà , subitò aliquid mo-vendum , non sequeretur. Successivè enim aër , qui extremo tabule superio-ri subdebat , per superpositio-nem ejusdem tabulæ alteri tabulæ , cui magis , ac magis contigua sem-per fiet , donec æquantur , subinde , ac subinde cedet. Et , ut dixi , nullus aër subitò motus daretur in hujusmodi casu. Etiam multa alia sic per latus applicita , etsi dura-sint , sine re media se tangere vale-bunt.

Hoc consequens , quod infer-tur , concedo. Neque ego dixi , im-possibile esse duas res duras sejunc-tas

Objicitur con-
tra verū de-
cretum.

tas jungi adinvicem posse sine re liquida media , aut re vim liquidam habente , nisi dum superficies seipsa , & non linea superficie per primum instans esse contactus admoveretur , ut cum cadens perpendiculariter , vel aliter , altera superficies primo tangere in aliquo instanti alteram , verè diceretur : hunc enim contactum quarumvis superficierum , quantumvis parvarum viat natura ob impossibilem illum motum infinitæ velocitatis , vel vacui presentiam , quæ sequitur . Iste tamen , de quo in argumento agitur , non est de illis eventibus , in quibus primum instans contactus superficie cum superficie super qua altera movetur , signatur , sed in quo linea superficie unius linea alterius superficie per primum instans esse contactus earum dicitur signabilis , ex quo inconveniens non infertur .

Alia objectio contra veram sententiam , que ut inconveniens infert ferramenta fabrorum non immediate tangere effigista , quod ut verum conceditur .

Si adversus solutionem , & principale assertum insurgas , objiciens , quod si nulla superficies non flexibilis sine re media liquida , ut diximus , posset alteri duræ , & non flexibili perpendiculariter tangendo contiguari , quod sequetur (cum nullum telum adeò acutum mucronem habeat , ut in puncto , ac non quanto finiatur , quin in superficie quantumvis exigua quodvis finiri certum sit) tela non posse sine medio aëre duras res tangere , indeque iterum sequi , lapides , ferrum , & cætera metalla quantumvis dura , aëre immediate cavari , perforari , teretia fieri , & universas formas non nativas acquirere , ferramentis , quibus sculptores utuntur non immediate tangentibus res sculptas , concedam illatum , si tam agens , quam patiens rigorem suæ inflexibilitatis servaverint . Secùs si alterum sic alteri cedat , ut locus sit aëri intercepto , successivè , & non subito , extrudi .

Eodem modo solvit aliud , quod objici potest , cum duæ superficies perfectè planæ adinvicem maxima vi jungi procurantur , impulsa una superficie perpendiculariter super alteram , si una sit alba , & altera , atramento diuturnitate indurato , illita , albam nigredine atramenti alterius illitam conspicisci , quod meis dictis repugnare videatur , cum illitus albæ à nigra fieri non posset , nisi ambabus superficiebus se tangentibus , quas minimè se posse tangere , dixeramus . Nam huic objectioni responsio non valde difficultè reddi potest , dicendo , relatas superficies posse medium aërem extra se pellere , & adinvicem contiguas fieri : quia etsi inflexibles ipsæ essent , atramentum superpositum , etsi durum foret , propter paucam atramenti resistantiam , tenue , & contiguum , & non continuum tabulæ , cui ineft , existens , flexioni aptum per aëris medii impulsu redi potuit : unde illitionem alterius superficie fieri dicemus , vel quod non perfectè planæ sunt , aut non omnino inflexibles , quæ sic se illiniunt , quod si essent , non se mutuo tangerent , & per consequens non se illinire possent . Has tamen tabulas , & quasvis alias sine re media se tangentes , non posse abinvicem se jungi , si aliquid earum non flectatur , certum est , propter impossibile illatum .

Ex dictis sequitur primò , cum vero verum consonet , quasvis res quantumvis duras ejusdem speciei , quæ approximatæ unum continuum facere non poterant , quod semper aëri , vel alia res mediabat , & ob id se jungi libenter patiebantur , quia alterum ex relatis interclusis inæqualiter rarescebat , ut cederet aëri , vel aquæ subintranti successivè , continuas sæpè visas fieri per mace rationem earundem in aqua , vel alia

Dura , quæ talia permane nendo conti nuari non po terant , flexibili redditæ , continuæstur , ut ligna fixa in aqua im missa ostendunt ,

alia re humida. Tabula enim, fixa in aqua immissa per aliquod tempus, uniri, continuaque fieri qualis primò fuit, non raro conspiciatur, quod per macerationem flexibiles partes redduntur, ac sic ad moveri ad invicem successivè possunt, ut aërem medium sensim, & non subito pellant. Hoc tamen fieri non omnibus rebus concessum est, ut putà, carni cadaveris non permisum est ipsam jungi alteri frustro ejusdem, quantumvis mace-
Dioscorides mendacii de prebendi turca, de Centauro majore.
 retur, & si Dioscorides false, ut e-
 ventus docent, oppositum cap. de
 Centauro majore referat, quia u-
 trumque frustum in corruptionem
 tendens, partes sensibiles amittit,
 quæ dissolutionis occasio sunt. Sed
 linteum linteo, pannum panno con-
 tinua ex discontinuis redi, com-
 pressis, ac flexibilibus factis, quæ ab-
 invicem distabant, passim videmus
 in chartis ex linteis confectis, at-
 que in pannis post texturam ictibus
 ingentibus adjunctis, & coarctatis,
 aqua media, quæ fila pannorum, &
 linteriorum flexibilia reddit. Ac in
 aliis priùs discontinuis, ac post eli-
 quationem continuis versis non ra-
 rior est eventus. Sunt enim tot ex
 his, quæ dum suum rigorem ser-
 vant, nullo modo continuantur, &
 unum faciunt, ac post eliquationem
 sic, ut universa recensere, im-
 mensi laboris opus esset, legentem
 que stomachaturum sperarem. Ideò
 tantum ceram, sepon, & gelu, pro-
 ponam, omittens omnes liquores
 congelari aptos, ac universum gumi-
 mi calore liquefcere solitum, & a-
 lia sexcentena, quibus eandem
 vim, quæ relatis, accidere cons-
 picimus. Ceram enim, ac sepon,
 & gelu si sub frigorum rigoribus
 serves, non aliter franges, quam
 crystallum, quæ si post fracturam
 in unum coire satagis, illis eandem
 temperiem servantibus, opus per-

des. Verum si hæc ab igne domita,
 liquata, ut flecti possint, reddas,
 statim in unum conveniunt, & u-
 num, ac continuum efficiunt, quod
 sine vi postea sejungi non valet.

Nempè quæ lenta sunt, ac suo
 lentore quibusvis rebus hærentia,
 sine vi dissolvi ab eis non valent,
 non id habent, quia illis continuen-
 tur (continuitas enim tantum inter
 res ejusdem speciei versatur) sed
 quod partes nonnullas tenues ha-
 beant, per porositates rerum tac-
 tarum cum liquefcunt ipsa, dilabi-
 aptas, quibus velut hamis contac-
 tas res detinent. Si tamen hæc in-
 genti frigori exponantur, ut par-
 tes illæ tenues liquari prohibeantur,
 quantumvis uniantur rei al-
 terius speciei, vel propriæ, sine re-
 ulla media, non adjunguntur, ut
 de tabulis dicebamus.

*Glutinous car-
 barent can-
 taclis rebus,
 quibus conti-
 nue no sunt.*

Tandem verum in genere est
 quomodo cumque sine medio applic-
 etur res unius speciei rei ejusdem,
 necessarium esse eas uniri: ex quo
 sequitur, quod si flexibilis cera ce-
 ræ admovetur, & flexible sepon
 sepo, & butyrum butyro uniuntur,
 ac continua evadunt, quia, impos-
 sibili de infinita velocitate motus
 vitato, mutuò se tangendo conti-
 nua fiunt, quod tabula tabulae, &
 quævis res cujusvis speciei alteri rei
 ejusdem necessariò continua fiet:
 non enim est quid continuatatem
 impedire possit. Iterumque elicio,
 quod si perfectè sphericum supra
 perfectè planum ejusdem speciei
 moveretur, tangendo in puncto
 rem subditam, quod illo infinitè
 parvo contactu continuaretur rei,
 quam tangit, ac discontinuaretur
 ab eadem re tacta toto tempore,
 quo motus durasset.

Unde 3. palam sequitur, perpe-
 ram à nonnullis fuisse intellectas
 continui, ac contigui definitiones
 Aristotelis. Quarum primam text-

*Definitiones
 Arist. continui
 & contigui
 perperam esse
 à nonnullis in-
 tellectas.*

Commenti vigesimi sexti , quinti Physicorum. Et text. commenti primi , sexti ejusdem libri Physicorum tradit , secundam quinto Physicorum relato, text. commenti vi- gesimi secundi. Cum enim refert, contiguorum ultima se tangere , & continuorum ultima esse unum, non denotat per hoc Aristoteles diversum situm contigui à situ continui. Utraque enim tam contigua , quām continua consequenter se habent , ac se tangunt , quod continuum omne sit contiguum , & non ē contra , ut Aristot. 4. Topicorum, cap. 2. refert , sed tantū unionem partium continui , ut facientium unum in definitione continui dicit , contiguo illam deesse significans, quod ultima sint simul. Si enim contigua in mente feces in quatuor æquas plures , vel pauciores partes , duarumque medium partium ultima se contangentia mente conspicias , duo simul coēuntia intelliges, non unum constituentia : ac si alterum ab altero se jungere nitaris, statim utrumque libenter cedet , neque ab invicem separari , ut nulla cognatione mutuo devinēta , resistent , non aliud non impedit, ut glutinum aliquod, vel vacuum dari , aut aliquid infinite velociter moveri , aut rerum dividendarum pondus renitens. In continua si eandem animadversionem feceris , opposito comperto. Duarum enim illarum quartarum, quæ mediant , idem ultimum est. Principium enim unius , & finis alterius, quodvis medium earundem dici potest, quod in contiguis non accidebat. Atque si se jungere partes illas continui procures, et si nullum inconveniens de infinita velocitate motus, aut de vacuo eventuro , aut de alia quavis re accidat, ipsæ appetentes unionem servare, resistent: quæ enim unitæ sunt par-

tes, minoribus incommodis obnoxiae sunt, quām sejunctæ.

Unde , ut pluries dixi , si tabulæ duæ planæ sine medio jungerentur si ejusdem speciei essent , statim unirentur: & si divellerentur , divulgatione reniterent. Nam renixus ille rerum planarum , quæ perpendiculariter sublevantur ab aqua planam figuram habente , non oritur propter continuatatem rei, quæ sublevatur cum aqua , sed ut viteretur vacuum, aut subitus motus , ad quæ vitanda , si vi grandi elevatur planum , ut cùm sit ulla submersa in puteo tollitur sursum , aqua in æqualiter rarescens, cedit aëri subintranti inter aquam , & rem , quæ sursum trahitur , ut per quām docēte Reverendus Pater Dominicus à Soto suis commentariis hac nostra tempestate æditis refert.

*Insetta non
continuari ar-
boribus qui-
bus inserun-
tur.*

Et ne quid obscurum in re hac linquatur, sciendum, cùm calamus alicujus arboris cuspidatim decissus, in trunci alterius rimam, ut sic inseratur, descendit , vel semen arboris alicujus in rimas corticum aliorum in eosdem usus conditur, arborque nova in altera diversæ speciei insita crescit , non cum prima continuam fieri (quæ enim specie differunt , unum continuatè constituere nequeunt) sed tantū priorem arborem insitæ alimento præbere putandum: non aliter, quām terra eidem, cui non potius unitur, quam arbor ei, cui insigitur. Si enim arbor insita vi à parente dissecari cernitur , non ob aliud , quām quòd radiculos quafdam in porositates anfractuosas parentis immissas habet, quæ per divulgationem rumpi coguntur , quo modo universæ arbores , & plantæ à solo, cui insunt, sejungi resistunt, quamvis eidem continuae non sint. Membranam ab osse propter relatam causam difficulter dissolvi exis-

timo, cùm ambo si eandem ultimam formam haberent, ut nonnulli opinantur, si sine medio hæsis- sent, continua dicenda essent.

Exemplum cognitionis quam habemus, de principiis rerum naturalium modus humanae intellectus ex-primitur.

Sufficere, quæ scripta sunt, exis-timo, ad dilucidandum negotium hoc hucusque non exigua tenebra caliginosum: eoque dimisso, accin-gor exemplum illud scientiæ rerum naturalium adducere, ut promissi, quo & præcedentibus facilè noscetis, intellectiones fieri non rebus, quæ sciuntur, sui notionem inferentibus, sed tantum aliis, ac diversis notis, ut Aristoteles primo Posteriorum, cap. 3. referebat. Exemplumque sit, notio illa famata, de qua in limine physicæ facultatis agitur. Tria esse principia rerum naturalium, materiam, formam, & privationem. In cuius cognitionem deventum est, non ipsis principiis sensu cognitis (nullum enim ex his, sensibus subjetum, cum substantia, duo priora sint, & modus ejusdem ultimum, quæ per accidens, & non per se sensibilia dicuntur) sed supposita quadam subjectione ipsis intellectis: ita enim ex nihilo nihil fieri, & à puncto in punctum lineam rectam ducere, & alia hujusmodi appellantur ab Aristotele primo Posteriorum, cap. 2. in vetusta interpretatione. Et in Paraphrasi Themistii, cap. quinto. Certè Philosophi antiqui adeò certam esse putaverunt subjectionem illam ex nihilo nihil fieri, ut cùm gigni nonnulla videbant, aliis rebus corruptis, nullam fidem sensibus, quibus id conspiciebant, adhibentes, existimabant generationes illas non esse nisi quasdam principiorum rerum, ex quibus omnia constabant, alias, ac alias transformationes, seu metamorphoses, nulla re deperdita, neque ulla acqui-sita, sed principiis illis aliter, ac ali-ter se habentibus. De quorum prin-

Quid ab Aris-tot. subjecc-tio-ni appelletur.

cipiorum esse, innumeræ fuere opiniones, ut Aristoteles 1. Physicorum, & primo de Generatione & corruptione refert.

Nonnulli unum tantum esse credentes hoc, aliqui aquam, alii ignem, alii aliud existimantes. Alii plura specie diversa opinati sunt: numero certo quidem nonnulli distincta, sed non specie: alii non tantum certo, sed indeterminato numero differre crediderunt, ut qui atomos, idest, insectilia nomina-ta, principia rerum posuere. Credebant enim isti illa corpuscula etsi quanta essent, sectioni non obtemperatura, quod elementa rerum essent, & ex quibus ipsæ constabant, & quod si divisionem pat-terentur infinitam, in nihilum redi-genda essent, vel in indivisibile, quorum utrumque impossibile existimabant: nam adeò arduum erat apud illos aliquid in nihilum finiri, ut ex nihilo nihil fieri. Si enim possent, quæ sunt in nihilum redi-gi, dicebant illi nihil obstaret, cum mundus iste inferior, qui sub Lunæ cavo continetur, partes finitas, ac corruptioni obnoxias habeat, si in nihilum redigerentur, ipsum con-tinua anihilatione finiri. In indivisi-bile terminari res sectas, etiam impossibile existimabant, quod ex non quantis quanta conflari non possent, modo res omnes quantas noscimus, ideoque sectionem in aliquas partes non ultra secabiles terminabant, illasque appellatas, ut dixi, atomos, quæ in radiis solari-bus conspiciuntur, principia rerum esse, ut certum crediderunt. Et ex universis Physicis, qui relata com-menti sunt, nonnulli non alteratio-nem, neque affectionem ullam corporum fieri qualitatibus ullis distinctis à principiis ipsis permis-serunt. Calidum enim & frigidum non nisi principia ipsa aliter, vel ali-

Opiniones an-tiquorum de numero prin-cipiorum en-tium natura-lium.

Philosophos & liquos fuisse, quod nec alte rationem pro novæ qualita-tis generatio-nem fieri cre-didere.

Physicorum nonnulli vacuum esse admisserunt.
aliter habentia existimaverunt esse, ut diaphanum, quod pluri vacuo constabat, opacum, quod pauciores (vacuum enim in rebus admittebant) quin corpuscula illa quibusdam vacuis mediis componere universas res existimabant.

Arist. opinio de principiis verum naturatum.
Relatis Physicis posterior Aristoteles alienum à veritate existimans, ignem, & aquam, ac omnia entia eadem substantia participia esse, ac modis quibusdam tantum differre: etiam subjectionem illam ex nihilo nihil fieri moderans, corruptionem entium credidit fieri non per abolitionem omnimodam entis corrupti, sed deperditione tantum potioris partis essentialis ejusdem. Opinatus quidem est, universa corpora corruptibilia ex duplii constare parte essentiali, alteram quarum materiam appellavit, aliam formam dixit, quæ penetrative, & simul esse posse: materiam subiectum aptum recipere quasvis formas, opinans esse, ut cera, omnibus figuris subjicitur: formam, quæ dat esse rei, & conservat rem in esse, diffinivit. Cum ergo res gignuntur, aliquid novi, quod numquam præfuit, acquiri existimavit, formam scilicet, & aliud ex re, quæ corruptitur ad novæ generationem assumi, putâ materiam. Et hoc commento universa, quæ gignuntur, entia, verè dicenda nova afferuit: quoniam generationis terminus, totum compositum, quod numquam præfuit, est. Et quæcumque corruptuntur, verè corrupta etiam dicenda credidit, cum compositum desinat, quod erat, esse: quibus compatitur, ex nihilo nihil fieri, verum esse. Nihil enim simpli- citer non vocat ens, quod esse de- sivit, ex quo aliud genitum est, sed quoquomodo ens, quod materia rei corruptæ transivit in materiam rei de novo genitæ. Et quodvis

corruptum non in nihilum verti di- cit, cùm cuiusvis corrupti mate- ria maneat, hanc enim perpetuam, incorruptibilem, ac ingenerabilem esse, ut certissimum credidit Aris- toteles.

Hippocratis sententia de principiis rerum naturantium.
Hippocrates medicus, prior multò Aristotele, in primo libro, quem de humana natura inscripsit, postquam retulit Philosophorum, qui eum præcessere, de rerum naturalium principiis opiniones, omni- bus usque in sua tempora asseverantibus, unum esse rerum princi- piū, aliis ignem, aliis aërem, aliis aquam, aliis terram dicentibus id esse, universos increpat, quod diver- sis verbis eandem sententiam protu- lerint, eodemque in genere medio usi, diversam conclusionem colle- gerint. Medium antiquorum, etsi non satis sit explicitum ab Hippo- crate, scimus esse, quem retulimus, cum quo fulciebatur aliorum Phy- sicorum opinio, dixerimus.

Experimentis.

Et quantum intelligere possum, ipse à præcedentium opinione abhorruit, experimentis, quibus Phy- sici quād maximè inniti tenentur, convictus. Verùm an Aristotelis commentum inciderit, confiden- di res naturales ex materia & for- ma, an quid adversum senserit, mox dicam, priùs unico experi- mento ejusdem ducto, & explicito, quo explosisse Hippocrates existi- mavit veterum sententias attestan- tium ex uno ente non distincto substancia ab aliis, sed tantum nu- mero, omnia constare. Illud hoc erat, si omnia unum essent, homo non doleret. Id libro citato iis verbis retulit: [Mea verò est sen- tentia, si unum sit homo, nullo un- quam dolore afficiatur, neque enim esset à quo doleret, ubi unum tan- tum foret. Quod si doleret, etiam necessariò unum quoque medica- mentum esset. At vero multa ha-

Ratio Hippo- cratis qua pro- bat omnia nō esse unum.

bentur, quia multa in corpore insunt, quæ cum præter naturam à se mutuò calefiunt, aut refrigerantur, aut siccescunt, aut humescunt, morbos pàriunt, ex quo multæ sunt morborum formæ, & multæ quoque illorum curationes.] Quod experimentum vim grandem habere aduersus illos antiquos Philosophos, & quosvis alios in proposito est. Nam cum dolor non ex alio ortum trahat, quām ex aliqua indecenti affectione inducta in rem patientem dolorem: si homo, ac cætera entia substantiam impassibilem, ac incorruptibilem haberent, non esset unde dolor, neque delicia illis inferri posset. Consequentiam bonam esse, ratio probat. Si enim indecens, ac nocuum non inferretur rei, quæ dolorem patitur, quia incorruptibilis ipsa est, ergo vel utile, vel nihil. Si utile, absurdum, & ab omni existimatione alienissimum esset, rem, cui infertur, dolere, ac malè habere: cùm potius delectari, & mulceri rem, esset veritati conformius. Si nihil, non est unde plus dolor, quām delicia inferentur. Incolumi enim, ac omnino invariata manente re, nulla signari potest causa doloris, aut deliciæ: propinquitas enim, vel distantia rei convenientis aut disconvenientis, sufficere non possent. Quid enim rei interesset amicum, vel inimicum appropinquare, vel distare, si neque propinquitate foveri ab amico, neque distantia detrimentum pati valeret, & è converso inimico eventurum erat? Si enim alterari accidentibus incorruptibile illud principium entium testatus quis fuisset, atque ob horum affectiones aliás, vel aliás dolere, vel gaudere, quæ sentiunt, dicerentur: nihil sufficiens retulisse, vel ex hoc patet, quòd qui sensiturus est, nihil commodi

neque incommodi ex illis affectionibus sit passurus: cum ipse in sua essentia invariabilis sit mansurus, nisi accidentibus, quæ gignuntur & corruptuntur, tribueretur vis sensifica: eadem privatis substancialiis & primis rerum principiis, quod quantum enormitatis habeat, nemo non scit.

Placuit hanc rationem exprimere, quòd Galenus hujus loci expofitor parum eam discussit. Et alteram Hippocratis consequentiam etiam bonam esse, monstrare indecens non est. Illa erat, quòd si doloreret, etiam necessariò unum quoque medicamentum esset. At verò multa haberi conspicimus. Colligi sufficienter ex antecedente illo, consequens illud, ratio hæc probat. Si entia, ut antiqui opinabantur, unica dumtaxat substantia, ut dixi, participia essent, jam quòd affici possent, & hanc suorum accidentium corruptionem, ac generationem sensissent ipsa, quod impossibile esse probavimus, sola medela distemperiei indigerent: sed evenitus testantur ex abundantia humorum calidorum, frigidorum, humidorum, & siccorum, ac ex simplicibus distemperiebus innumeros fermentem morbos conflari, quosdam compositionis, quæ indigent aliquæ formæ, ut in suo esse asserventur, alii complexionis, ergo falsum asseruisse opinantes decenter monstratum est. Restat aliter probare consequentiæ illius bonitatem, si dolerent entia, quæ unum essent, quòd tantum unica medela distemperiei indigissent. Et hanc hoc modo probo. Si cujusvis entis nihil aliud nisi temperies quedam amitti posset, ergo ens ad sui medelam tantum reductore in propriam tempestrum indigisset. Hæc consequentia bona est, cùm in genere non plura possint esse remedia, quām

Galenus minus bene sententiam Hippoc. primo de natura humana exposuit.

morbi : sed eventus , ut dixi , probant esse innumera remedia , ergo innumeri morbi sunt : multitudine que morborum non aliundre trahere ortum potest , quām ex hoc , quōd homo , & cætera viventia pluribus incommodis sunt exposita , tam compositionis , quām unitatis , & complexionis illorum quovis partis ipsis corrumpi : ergo illud , quod erant non impassibile , ac incorruptibile existimari poterat . Quin cūm adeò diversis morbis & incommodis viventia corripi videamus , & contrariis remedii quædam benè habere , alia perperam , ex substantiis diversis constitui , non à vero deviare meritò censendum esse . Has quidem omnes substanzias (quæ mixtæ sunt) ex igne , aëre , aqua , & terra conflari docens Hypocrates , et si non adeò planis verbis , ut nos expressit .

An Hippocratis visum elementa ex materia & forma constare , an aliter sentitur.

Sed nec his dictis intelligi potest , an cum Aristotele sentiat ipsa constituens entia universa ex materia , & forma , an aliud sit opinatus , ob idque quod assequor de hac re exarare non gravor , promisi enim parum ante id me facturum . Primo quidem quantum callere valeo ex iis , quæ in Hippocratis commentariis reperi , mutuò elementa corrumpi , generarique ex seipsis , ipsum putasse mihi certum est : verum an cūm hæc gignuntur , alterum esse esse tantum acquirant , putà formam , aliud ex corrupto suffurentur , materiam scilicet , non adhuc eundem voluisse mihi compertum est . Neque enim ulla ratio Aristotelis adeò cogit asserere esse in simplicibus illa duo principia materiam & formam , ut si oppositum opinari velit , non plus fidei illi adverso invento adhiberi possit , quām Aristotelis placito . Si enim quis opinaretur entia universa mixta constitui ex elementis mu-

tuò inter se agentibus , ac reprementibus supremas suas qualitates , donec temperies ea resultet , qualis pro forma mixti prærequiritur , quæ sine hac non asservatur , & ipsa corrupta , si contigerit aliam temperiem dignam alterius misti forma gigni , cui succedat alia misti forma addita elementis , quæ relicta sunt , ex prioris formæ corruptione (ut prior fuerat) aliud novum mistum fieri : si verò non acciderit præfata temperiem produci , elementa sejungi , & versus propria loca tendere sine ulla misti nova generatione credatur , nihil hucusque indoctè dictum esse existimabitur . Si enim quam maximè inconvenire crediderint aliqui corrumpi ens , & ex eo nihil gigni , ut in præcedenti eventu retuli , duabus facere satis existimabo . Primo , quod illud non sit perpetuò verum , nisi cūm elementa corrumpuntur . Secundò etiam , quod illa assertio denominativè vera sit , et si non semper formaliter . Verè enim dici potest , quatuor elementa acquisiverunt proprias denominationes , quas amiserant , cūm ex ligno putrefacto , elementa constituentia cum dissoluta sunt , & in nativa loca tenderunt : quia forma misti oppressa erant , & compositum nomenclaturam misti sortiebatur , elementorum nominibus sub silentio præteritis , & post misti corruptionem cuvis , ut dixi , proprium nomen supereft .

Et ultra præfata , quæ Aristotelis dogmatibus non adversantur , imò adeò vera , ut physicam demonstrationem habeant , de qua alibi , si quis hoc jam Aristotelico placito palam contrarium protulisset , ipsa elementa cūm simplicia sint , & nullam compositionem ex partibus essentialibus admittant , corrumpi , nulla materia relicta , quod simplicia

Utrum elementa ex prima materia & forma constent , an non?

cia non eam compositionem patiantur, quam mixta tolerare diximus, & significuntur etiam, neque ullā materia supposita, quid ab his, qui tantum physicis rationibus innituntur, falsum dictum putabitur? Porro nihil: quin rationi conformius hoc, quam illus materiæ primæ sita existentia. Et ut pateat, quod istorum decretorum veritati conformius est, an Aristotelis, referentis non tantum mixta constitui ex elementis, & formis mixtorum superadditis elementis, sed, & simplicia ipsa etiam duplices partes essentiales habere, materiam, quam primam dicunt, & formam elementi, vel quod tantum mixta verè constituantur ex materia, putâ ex elementis, & forma mixti superaddita illis, & quod elementa nullam compositionem patiantur, sed ipsa tantum sint entia citra omnei materiae, & formæ miscellam seipso existentia, ut Hippocrates existimasse videtur, fundamenta potiora utriusque opinionis ducentur, ut per eorundem collationem, quæ veritati conformior sit, quantum spectat ad physicas rationes, apparet.

Aristot. ratio, qua probat materiam primam esse. Aristotelis sententia primo Physicorum text. comment. 69. potiorum rationem ad suadendum simplicia elementa ex materia, & forma constitui, suppeditabit, hæc est, quod materia sui indicium exhibuerit per analogiam, quæ etsi diversimodè explicatur, nos sequamur illos, qui addunt dictio per analogiam, dictio ad formam, quod hoc modo facilius referenda percipientur. Inquiunt enim materiam intelligi, ente, quod de novo fit, cognito. Quod nullo modo accidere posse putabant, nisi aliqui enti inesset forma de novo genita, alias enim frusta inductæ præviæ dispositiones in ens, quod

corrumpitur, fuissent, nisi formæ inducendæ contulissent. Sed si illi prosunt, ac prædisponunt passum ad novi entis generationem, necessariò fatendum est, corrupti aliquid manere asservans dispositiones illas prærequisitas ad novi entis constitutionem: quod cum nihil sensibile sit, restat aliquid insensibile esse, quod materiam primam dicebant. De qua Aristoteles 7. Metaphysic. text. comment. octavi referebat materiam non esse quid, neque quantum, neque aliquid aliorum generum prædicamentorum.

Idem isti roborabant experimen-to perquam noto, quod multa accidentia rerum corruptarum cons-piciuntur in rebus de novo genitis. Cicatrices enim, & faciei figuræ eadem manent in cadavere, quæ præfuerunt in vivente. Calor etiam, qui in stupore sentiebatur, dum cale-re ab igne incipiebat, in igne genito ex stupore percipitur. Sed nisi ali- quid rei præteritæ in rem novam maneret, ut subiectum eorum acciden-tium, quæ post novæ genera-tionem percipiuntur, sequeretur transire ipsa ex subiecto præterito, quod esse desivit, in rem præsentem, quæ esse incoepit, quod impossibili- le naturaliter existimatur, acciden-tibus non migrantibus à subiectis, quibus insunt: linquitur, ergo ma-teriam, quæ in ente præterito fuit, & enti novo succedit, confiden-dam necessariò esse, quam isti pri-mam appellant, quia ea non ex al- lia componitur, & sic eadem nulla prior.

Per collationem materiæ rerum artificialium ad res naturales, non tantum intelligi materiam primam, sed esse illam probari existimabant. Quia cum unicam materiam subesse pluribus formis artificialibus expe-riebantur (æs enim, aurum, & ar- gen-

Experimentis quoque proba-tur materiam primam esse.

Similitudines rerum artifi-cialium ad naturales ma-teriae prime existentia cog-noscitur ut an-tumant, quæ cam finxere.

gentum, & multa alia metalla, diversis formis subjici successivè videbant, & lignum idem distinctas artificum formas pati, & in unica cera mille induci figuræ conspiciebant) inferebant sic ex rerum materia entia diversa fieri per aliarum, ac aliarum formarum substantiam acquisitionem, malebantque dicere elementa prima ex his duabus partibus essentialibus constitui, quām in unum duorum sibi impossibilium incidere, in quorum alterum necessariò cadere sciebant, qui hanc compositionem entis corruptibilis negassent: Primum erat, confitentibus generationem, & corruptionem, entia per corruptionem in nihilum redigenda, cūm nihil eorum maneret, non enim materia, neque forma præteriti, ergo nihil (solæ enim entis hæ partes esse possunt) & entium generationem ex nihilo fieri, quia nulla materia supposita: aut si ipsa entia corrumpi, & generari negassent, ignis substantiam non differre ab aquæ substantia, & aëris substantiam à terræ substantia, & universorum entium inter se, tām viventium, quām non viventium nullam substantiæ differentiam esse.

Rationibus probatur primam materiam entibus non inesse. Hæc fuere præcipue rationes, quibus materiam induxerunt in entium compositionem, quas solvere, & nonnullas adducere, quibus materiae primæ existentia confutetur, sufficere videbuntur ad eam abolendam, & tunc maximè, cūm sine ejusdem præsentia generationes, ac corruptiones fieri posse ostenderimus. Id ergo in primis aggrediamur, hanc conclusionem in medium ducentes.

Conclusio contraria sententia Arist. de existentia primæ materiæ. Elementa in totum corrumpuntur per actionem eorum, quæ inducunt contrarias dispositiones suæ conservationi, & de novo gignuntur inibi, ubi alia corrupta fuere,

citra ullius materiae existentiam. Quæ conclusio hac ratione primò fulcitur. Si adversi opinantur quam maximè inconvenire ex nihilo nihil fieri, ideoque coguntur materiam fingere, quæ sit subjectum formæ, quæ inducitur cur ipsam formam fingunt de novo factam, cum in ejus compositionem nihil entis, quod præfuit ingrediatur? Nam materia nullum esse præbet formæ, immò è contra ii, qui machinantur materiae existentiam, eam suum esse recipere à forma existimant. Ut ergo formam de novo factam isti autem gigni citra ullius entis præteriti ingressum in ejus compositionem, quid inconveniet opinari, ignem, & aquam, terram, & aërem de novo fieri, nulla materia facta parte eorum, sed ipsis nuncupatis, ac existentibus elementis sine ullius materiae, & formæ compositione de novo genitis? Gigni enim dicentur, non ex hoc, quod materiam, ex qua fiant, supponant (ut adversi credidere) sed ob id, quod ens aliquod priùs corrumpi, quām ipsa genita sint, prærequirant.

Et si quaeras quod emolumen^{tum} adipiscitur ens de novo genitum, ex præteriti corruptione, si præteriti materia in hujus novi constitutio nem non ingreditur. Dicam universæ naturæ institutum custodire, ac observare: quæ non immeritò aliud ens simplex corrumpi, ut aliud ens simplex gignatur, instituit, ne si citra alterius entis simplicis corruptionem, aliud simplex gigneretur, cum novum elementum locum esset occupaturus, non esset in mundo pars, quæ id capere valeret, nisi duo corpora simul esse cogerentur. Ac aliud non minus inconveniens inferretur, esse dispositiones requisitas ad generationem alterius entis in alio diverso, & suf-

Solvitur dubium quod insurgere posset nobis afferentibus non esse primam materiam.

suscipiens eas manere : quod si natura pateretur, cum aqua calescit ab igne, omnia fieri posset, cum omnes combinationes possibles inter calidum, & frigidum, humidum, & siccum possent in ea induci, indeque omnia entia simul fieri, & esse possent.

Objicitur contra asserta negantia materia prima existentiam.

Quippè neque sufficienter objecties, non ob id quòd relatum est instituisse naturam generationem simplicis elementi alterius simplicis corruptionem poscere, quòd sæpè ignem ex aëre fieri conspicimus, quin ipsius aëris non exiguum portionem verti in ignem, cùm montes uruntur, videmus, loco aëris igniti decupla portione ignis genita, quæ eadem difficultatem naturæ infert, quàm novi elementi generatio. Nam ut natura densata aëre cedit igni genito, sic densata elementa possent cedere elemento recentè producto citra præteriti corruptionem.

*Solvitur ob-
jectio.*

Quòd hæc non sit sufficiens objectio, sic solvitur. Quia etsi relatum primum inconveniens cessasset in generatione alicujus portionis parvæ novi elementi, vitari non posset, si adeò ingens fuisset, ut neque per quantumvis naturalem densationem cedere illi novo genito, alia valerent : ac etiam secundum quod diximus, non deesset, putà, dispositiones requisitas ad diversarum formarum inductionem simul esse cum ente contrarias poscente.

*Aerem non
cremari in
montium us-
tione.*

Sed ne quis decipiatur, credens verum esse, quod inter argendum assumptum est, aërem in montium ustione igniri, scitote id minimè verum esse. Quippè si ita contigisset, quod lignis incensis, aër ab igne depasceretur, sequeretur perseverante per aliquod temporis spatium igne, universam aëris regionem vertendam in ignem.

Consequential probatur. Si cùm primum ligna inflammari cœperunt, ignis ex lignis genitus erat minoris activitatis, quàm postquam aëris aliquam portionem ussit, ac in ignem vertit, & aër nunc minoris resistentiæ: ergo actio augmentanda esset, unde consequentia necessaria evadet (nam major multitudo formæ, quam sequitur actio, ex igne lignorum, & igne genito ex aëre resultabit, quàm ex solo igne ex lignis genito) ergo si prior ignis potuit agere in aëris sphéram, ejus portionem excedendo de pascendoque, postea ignis de novo genitus additus igni præ-existenti potentior erit contra residuum aëris, qui minus necessariò resistet, quàm priùs, quia aliqua ejus portio exesa est, & agens valentius adversus se habet, quàm ante, ut probavimus, quia illi ignes de novo geniti, adjuncti præ-existentibus, semper, & semper potentiores erunt, quàm præfuerunt, & passum æquè proximum ut prior ignis habebunt, utrinque enim passis contigui sunt, & aër debilior, ac debilior, ergo intentum vetum, quòd universa aëris regio esset incendenda, si portio ulla ignesceret, ut multi opinantur. Nec aliter accidisset, quàm si tota aëris regio stupis repleretur, & igne incoepissent corripi, necesse enim esset universas incendendas, si non daretur aliquis ignis extinxitor, & quivim ejus represisset.

Non defuit, qui existimavit aërem non uri ab sphera ignis sibi contigua, ne si ignis gigneretur, qui majorem locum, quam aër, ex quo factus fuit, esset occupatus, simul cum aëre penetrativè cogretur esse. Verum hic, quicumque fuit (non enim multò ante hæc tempora vita functus est) decipiebatur, non considerans si ob illam causam

*Improbatur sententia cu-
jusdam neote-
rici reddentis
causam cur
aer ab ignea
sphera no ab-
sumatur.*

sam illa actio esset interdicta, nullum ignem gignendum esse in hac infima aëris regione. Si enim adeò densus esset aér, ut ulterius densari non posset, ad cedendum igni gignendo in suprema regione, quomodo combustiones materialium & stuparum fierent citra penetratorem dimensionum? Credere enim in suprema regione aërem esse sumimè densum, non valentem concedere locum igni gignendo, & in hac infima esse rariorem, adversus omnium Physicorum assertionem esset, ipsis opinantibus, vi motus caelstis, cui proximior est aér supremus quam infimus, ac igneo calore illam aëris supremam regionem rariorem multò esse hac infima. Sed jam quòd illi daretur supremum aërem esse adeò densum, ut si ignis gigneretur ex aëre, nequam posset plus cogi, ac densari ille supremus aér, quid obstat, eundem supremum aërem cedere igni de novo genito, impellendo hunc infimum aërem versus terram, ac cogendo illum in arcuatem locum, cùm ipse inferior densari plus possit, ut experientia hujus infimae regionis testantur.

Cum in præsens nonnullorum errores corrigere nitor, meis scriptis aliquos lectors hujus loci in mendacia non exigua irretitos fuisse suspicor, quos ab eis vindicare compellor, ne in id malum incident, quod decrevi vitare, cùm haec confidere institui. Primum hoc erat. Si ignis hic infimus non potest aërem vertere in sui naturam, ut me probasse constat, ergo vel supremus tantum id efficere valebit, aut neuter: si neuter, ergo ignis ingenerabilis esset ex aëre, & per consequens non adinvicem transmutabilia essent elementa, ut omnes, qui rectè philosophantur, autmant. Si supremus tantum ig-

nis aërem contiguum incendere potest, mirum est, quod universum aërem modo ante dicto non absumperit, vel si (ne daretur dimensionum penetratio) ignis urens, ac ultra urens adeò coegeret aëris universas partes, ut nulli cedere possent, & ob id ignitio cessasset, quomodo hic ignis infimus ex stupis, vel materialiis densioribus procreatur, & dimensionum penetratio non visitur? quin aér hic cedens ignibus quantumvis ingentibus conspicitur.

Secundus error, qui ex meis scriptis perperam intellectis elici posset, esset. Si ignis hic infimus non comburit aërem proximum, ut ego testatus sum, nulla reddi causa extinctionis ignis non aspirati valeret. Nam quæ alia potior tribuenda est, quam prohibitio aëris puri, ex quo alendus est ignis? Sed si ipse aér ignibilis non esset, causa illa cassa, ac inanis esset: & cum nulla alia potior sit, sequitur, quod ego sim cogendus asseverare aërem posse incendi, ut Aristoteles primo Meteorologiæ cap. tertio sensisse videtur, inquiens non multò ante capitum finem: videmus itaque, motum posse aërem segregare, atque incendere.

Ut primum dubium: adamus Primum sol-
sim solvam, expedit discutere, an, vitar dubium,
ut potior Physicorum pars opinata est, ignis elementum simile huic nostro sub cavo orbis lunaris situm fit, excedens aëris molem in decupla proportione, an id sit commentum quoddam, ac quædam vetusta fictio, similis Poëtarum campis Elysii; & Erebi stygiis, ac inferi furii: non enim videntur potiores rationes, ductæ ad testandum ignis illius immensi existentiam, ac situm, quam eorum, quæ retulimus. Quin cum nostrum nullus cava terra universa scrutatus fuerit, posset,

qui proterviret, minus petulanter asserere, relata in locis adeò intimis ipsius terræ inclusa esse, ut nuli licet præ immoda distantia ad ea adire, quam illo mendacio de igneo situ hominibus imponere, cum ob oculos sit locus ille, ubi ipse esse fingitur, & minimè visitur, qui non præ magna distantia non conspectus dici posset, quod multa excelsiora illo perspicue conspicantur. Stellæ enim, quæ Planetæ dicuntur, & cæteræ firmamenti, multò excelsiores ipso cavo Lunæ, ubi ignis esse perhibetur, sunt.

*Que de igne
fensi Aristoteles.*

De hocce negotio Aristotelem hæsitasse existimo. Nam quarto Physicorum, textu comment. 46. inquit: [Et propter hoc quidem terra in aqua, ut in loco continente, hæc verò in aëre, hic verò in æthere, æther verò in cælo, cælum verò non amplius in alio.] Quam sententiam explicans doctor sanctus, æther, ignem exposuit. Quod si à nonnullis non reciperetur, cum ab Aristotele non raro pro ipso cælo æther sumatur, ut libro de mundo ad Alexandrum, etiam nonnumquam aér ipse sic nuncupetur, Virgilio dicente, resonatque fragoribus æther, indoctè tamen iis auctoritatibus cavillaretur. Beatus Thomas: quod locus Aristotelis 4. Physicorum citatus, non aliam patitur expositionem, nisi ab eodem æditam, ut quivis facile intellegat. Nam si aërem exposuissent, non esset verum, aërem esse locum æris, sicut neque cælum esse locum cæli, si æther cælum explicassent. Idem decretum de situ ignis sub lunari cavitate secundo de cælo & mundo, textu commenti 30. etiam protulit, ac eodem text. comment. 93. & quarto cæli, text. comment. 27. ac inibi text. comment. 34. Et multis aliis locis idem voluisse palam est. Verum primo Meteorolo-

gia, cap. 3. &c 4. expressè profert non longè à principio capitinis quarti, predictis contrarium, nisi non contrarium, sed expositio præcedentium appelletur quod subsequitur, Francisco Vatablo interprete, vetusta n. interpretatio adeò confusa est, ut Vatabli præferendam illi censeam. Séries ergo literæ hæc est: [Nam statim sub ipsa cæli conversione situm est, quod calidum, aridumque est, quem nuncupamus ignem, siquidem nomine vacat, & cuilibet fumidæ secretioni competit: attamen quia quod tale est, ex omni corporum igne maximè succendi, ac conflagrare suapè natura potest, ideo sic uti nominibus est necesse. Sub hac verò natura collocatus est aér. Nosse autem oportet hanc veluti succensionem, quam nunc ignem diximus, circa ejus sphæræ extreum, quæ terram ambit, extensam esse: quo fit, ut cum exiguum forte fortuna motum naæta fuerit, sæpè fumi modo inardescat, nam flamma fervor est spiritus aridi.] A quo non dissident, quæ tertio cap. scripta fuere, in quibus locis expressè profert id, quod sub cavo cæli prioris, putâ lunaris, continetur, calidum & siccum appellatum, esse idem cum nominata exhalatione.

Miror quidem, & non immerito, cum Jacobi Fabri Stapulensis paraphrasim predicti loci lego, adeò manifestè audentem corrumpere litteram hanc palam profarentem id, quod est statim, id est, sine medio, sub cæli conversione, id est, sub ultimo motu cæli, putâ Lunæ, quid calidum & aridum esse, & nominari ignem, defectu alterius peculiaris nominis, & si non ignis sit, cum sit interpretatus loco horum verborum calidum & aridum non lunari circulo contiguum esse, sed igni, quem dicit esse cælo-

*Jacobi Fabri
de igne impro-
batur exposi-
tio.*

contiguum : adeò turpiter perversus lucidam sententiam, ut si affirmativam pro negativa explicasset. Et plus admirari occurrit , eum aliam ejusdem Aristotelis sententiam septimi capituli ejusdem libri expressè idem quod relata profarentem. Nam hoc quod sequitur : [Supponimus enim mundi terræ circumfusi primam eam omnem partem , quæ orbiculari subest latitudini , exhalationem esse calidam aridamque : eam autem & insuper aëris quem suo in sinu fovet , ac ambit , haud parum circularis latio , ac motus secum circa terram rapitat versatque.] Non minori petulantia ausus sit vitiare , loco prædictorum verborum scribens : [Cum elevatur exhalationis calidæ & siccæ multitudo , usque ad illam supremam aëris regionem in ignis confinio existentem , circulati motu agitata , quæ quidem compacta sit , & densa , benè inflammabilis , sic ut non multum exuratur , neque citè extinguatur , cometa generatur , &c.] Tripliciter his in locis ab eo , quod scripsierat Aristoteles , devians primò , fingens ignem verum esse propè cælum , & eundem non esse idem cum eo , quem Aristoteles appellat exhalationem calidam & sicciam , quod negavit Aristoteles inibi , ubi ipse id fatetur. Secundò , quod referat hanc exhalationem contentam in suprema regione aëris incendi ab igne vero superiore ipsa , cum Aristoteles ignitionem hanc motui cælesti , & non igni , simili huic infimo , quem ab eo loco abesse , pro certo credebat , tribuerit. Tertiò , quod exhalationum locum esse opinatur supremum aëris , post has verò ignem superiorem arbitratur , cum Aristoteles locis citatis , exhalationum locum ipsum Lunæ concavum clarissimè esse dixerit. Et tertio

cap. hujus primi Meteorologiæ libri adeò expressè , ut dubitari non possit , retulerit , inquiens : [Quod enim superiori in loco consistit , & ad Lunæ globum usque porrigitur , corpus esse diversum ab igni & aëre dicimus. Verùm enim vero in eo alias magis alias minus purum esse , ac sincerum , differentiasque sortiri.] Quibus verbis quid illustrius , ut mens Aristotelis noscatur , nolentis ignem alium sub cavo Lunæ contineri , quām exhalationes quasdam puriores his inferioribus? Neque adeò miror hujus viri hoc in loco errores , cùm hos confero iis , quos in paraphrasi ejusdem in libris de Anima lego , qui quibusvis enormiores sunt , ac tales esse , quales profero (si Deus concesserit) explicabo , cùm commentaria super præfatos libros ædiderim. Nec librone ullo tabescens , aut odio exardens (meam conscientiam testor) adeò liberè in bonum virum suum invectus , sed ut lectoribus caveam , ne illius scriptis irretiantur.

His , quæ ex Aristotele audistis , adamassim exaratiss , superest non exiguis labor , porro explicare , an scilicet jam quod in suprema illa regione cælo contigua nullus ignis similis huic infimo sit , ut neque visatur , hic ignis à nobis versatus , sit elementum illud quartum , quod mistorum compositionem ingreditur , an aliud : ac si aliud , an ignotus , vel visui subjacens : & si sic , quæ accidentia conferentia magnam partem ad cognitionem substantiæ ferat. Quippè adhuc si relatis tantum Aristotelis sententiis innitamus , majora dubia insurgunt. Nam jam quod aliquis dicere vellet , illud aridum & siccum , quod sub cælo est , esse elementum ignis , ac ab isto infimo differre , quod sit mixtus hic , ille vero simplex , qui alio nomine exhalatio ab

Jacobum Fa
brum multa
errasse in pa
raphrasi libra
rum de anima
ma.

Quæ igni at
tent expla
cantur & A
ristotelis con
trarie senten
cie proponun
tur.

Aristotele nominatur, mox dubitare convenit, an hic inferior ignis calidior illo supremo sit, an minus calidus. Esse enim calidiorem hunc infimum, verba Aristotelis dicere videntur, cum per ulteriorem calorem genitum à motu coelestium rotarum, exhalationes contiguæ cælo, quas improppio nomine ignes vocaverat, in gyrum actæ incendantur, ut ipse refert. Ergo si incensionem similem ignibus nostris patiuntur exhalationis, ignes appellatae (utroque enim nomine fruitur illud, quod orbì lunari contiguum est) non summè calidæ, erant, imò quid simile fumali evaporationi exeunti à candela nuper extincta dicendæ, quæ manifestè flamma ipsa minus calidæ sunt. Ex alia parte cum unum ex elementis ignem posuerit Aristoteles, ipsumque calidum, in summo esse dixerit multis in locis, præsertim 3. Phys. text. comm. 16. & eodem libro, text. comm. 23. & libro de Sen. & sensato, cap. 4. Et 2. Metaphys. text. comm. 23. videtur si hic ignis infimus non est purum elementum, quod ipsius purum se-junctumque à natura terrea, aërea, aquaque fuerit, calidius necessario hoc futurum, cum haec potius hebetare calorem, quam acuere sint nata. Nisi machinatus fueris, esse aliquod elementum calidius omnibus elementis, quod à misto aliquo calore superatur, vinciturque. Ut plumbum videmus gravitate superare terram summè inter elementa gravem.

Dubitatur utrum corporum coelestium motu ista infima corpora calefiant ac in ignem vertantur.

Nec minus dubium relato aliud occurrit, an verum sit, quod ipsa corpora coelestia suo agilissimo motu subdita corpora elementorum calefaciant adeò, ut flagrare nonnulla compellant, unde illæ, quas cometas appellant, proveniunt minimè enim simplicium cor-

pora motu calere conspicimus, cum flumina rapidissimis cursibus acta, per præcipitia loca irruentia accendi non videamus. Si enim contingisset, quòd me expertum fuisse non memoror, aquam sic actam minus frigidam dijudicari seipsa quiescente, potius aëri subintranti partes ejusdem aquæ, indeque ampullas & spumam elevante, tribuem ego mitiorem frigiditatem, quam motui. Boreas enim ac Aquilo vi ingenti commoti, aërem ipsum adeò citissimè movent, ut velocissimos sagittarum cursus suparent: qui tamen & ipse aër agitat frigidissimi à nobis sentiuntur. Cum enim liquefcunt sagittarum plumbei cuspides à ballistis in aëra immissi, non calore aëreo, sed vi proprii motus sagittæ & suæ cuspidis accenduntur.

Solvuntur dubia.

Si solutionem horum de igne dubiorum reddere conarer, Aristotelis verbis adstrictus, non facile me extricaturum à tot fermè contrariis sententiis expectarem, ideo quam brevius possim, quod verum esse reor, in medium proponam. Vos, qui legitis id, pensate, ac quoru[m]vis sententiis conferte. Spero enim idem judicium de negotio hoc vos edituros, quod ego. Est ergo meum decretum, in supera regione cælo contermina, substantiam quamdam calidam, siccumque esse, sua consistentia non dissimilem aëri, & si accidentibus tactui pertinentibus judicari valde differens possit, quod calidior sicciorque, multò aëre isto à nobis versato sit, quin ipso, quem vocamus non ignem calidiorem esse certè reor. An exhalatio illud sit vocandum, an ignis, an alio nomine frui valeat, non nostra interest: hoc tantum nobis scire expedit, sua substantia distare ab aëre, ut aër ab aqua, vel terra. Hunc aestatis temporibus suam ditionem,

ac imperium magis propagatum, ac nobis propinquius habere existimo, vi solis, aliorumque syderum foventium ejusdem calorem, ac siccitatem, ut hyemis in magis arcum locum retractum puto, vi aliorum syderum oppositorum faventium frigiditati; neque propter illam ejusdem ingentem propagationem aestatis tempore duo corpora penetrativè esse coguntur. Quod & si aëris, qui in ignem illum syncerum vertitur, plusculùm quam aëris prior distendatur (non enim illam decuplam proportionem acquirere credo) non deest quid cedat: nam, & ejusdem aëris alia portio, quæ oppositum situm habet, ubi tunc rigores hyemis in Antipodis versantur, densatus, huic cedere potest. Et aqua, & terra, quæ minorem molem quam hyeme, & autumno habent, etiam locum exhibent.

Solvitur antecedens obiectio, probare nitens omnia incendenda esse si ex aere ignis generentur.

Quò facilè solvitur illa, quæ videbatur ingens objectio, quomodo scilicet omnia non flagrabant igne, si ipse aëris portione vicere poterat. Nam nos dicimus, quòd ignis, & constellationes calidæ, & siccæ paulatim, ac paulatim aëris partes calefaciendo, ac exiccando calidas, & siccias reddunt, formam illam synceram ignis inducendo per totum aestatis tempus, donec autumnus vergit, ubi oppositum accidere incipit, aliis visceribus oppositum procurantibus, quæ paulatim extinguentia ardoris ariditatisque, excessum per frigiditatis, ac humiditatis, vel siccitatis inductionem ignem corruptunt, & aquæ, ac terræ generationem augent.

Quippè non depascit ignis ille syncerus sic aërem conjunctum, ut flagrare eum cogat: quia cum in sui naturam cum vertit, non alia ejus accidentia variat, quam calorem modicum, ac humiditatem immodicam in calorem extremum, &

siccitatem mediocrem, ad quæ sequitur major raritas, indeque minor visui objectio. Flamma enim non ignis syncerus est, & si portionem ejus portionem in sui compositione recipiat, immò mixtum quoddam aëre densius; non enim adeò flamma diaphana est, ut aëris immò flamma vitris, crystallo, ac aliis multis mixtis minus translucens conspicitur. Nempe si ignem ingredientem compositionem mixtorum experiri cupiveris, in visceribus animalium semimortuorum manum immite, præsertim in præcipuo illo viscere, cor, nuncupato, ibique paululum manum detine, ubi eximium calorem, & fermè flammam ardorem senties Aly Rodoano 2. Techni; dicente periculum de hoc fecisse, & minimè valuisse sufferre cordis incendium.

Eundem ignem mixta ingredientem etiam in putredine lanarum, aut stercorum, vel consimilium mixtorum senties. Urunt enim nonnulla stercora cum putrent non minus flamma ipsa, quæ à nullo inductore, calorem potuisse suscipere, constat, præterquam ab igne ipso, quem in sua compositione patiebantur, omnibus relatis ignibus à flamma, quam maximè dissidentibus, præterquam in calore: nam neque viscerum animalium semimortuorum, neque stercorum, & aliarum rerum putrescentium ignis lucidus est, ut eo tenebræ illuminari valeant, ut neque supremæ sphæræ, neque ut ignis hic impurus, flamma appellatus, à se fumum ejicit, ullus prædictorum excernit, sed tantum calorem in aërem, & in res admotas eorum quilibet infert, in quem diffatus exhalans vertitur. Sed de his plus, quam huic loco expediebat, diximus: alibi enim mediis haud facilibus, & quæ nullam solutionem patientur,

Ignem compositionem mixtorum intratem in visceribus animalium nuper interemptorū, putredinibus stercorum, & aliarū rebus tactu percipiet.

ut credimus, probavimus ea, quæ hic ut vera supposuimus, talia esse. Existentiam quippè formalem elementorum in mistis, & putrefactionem sejunctionem elementorum esse, & nonnulla alia, de quibus, si Deus concederit, post loquemur.

*Hic infimus
ignis, non sim-
plex, sed mis-
sus est.*

Redeamus ergo ad unguem, hoc, quod igni attinet, explicare, ut quod de principiis rerum incoeparamus scribere, in totum finiatur. Ignem ergo hunc infimum flammarum appellatum (non enim de flagantibus carbonibus, quos prunas vocamus, hic agimus, sed de flammæ igne) esse mistum, ut diximus, multis rationibus probari potest, & quod aëre densior sit, ut retulimus, quod minimè futurum erat, calidior existens, cui calefactio concessa est, etiam quod propriam spheram, ut locum adæquatum esset inhabitaturus, qui nullibi visitur, nisi aliquos terræ hiatus flamas redentes, putaveris ignis locum esse, à quo per quasvis rimas discedere ignis, procurat, aliis rebus nientibus in sua loca tendere. Et quod esse sine fovente hic ignis non possit, ac quod incensanter excrementosum fumum à se mittere non desinat, etiam quod id excrementum terreum, ac aëreum sit, ut tactus fumus hærens caminorum parietibus ostendit, quorum nullum accidisset, si ut cætera elementa simplici substantia constaret, quæ nullis ex dictis incommodis obnoxia sunt. Verum enim vero potiorem ejus partem ignem syncerum esse, vel ex hoc docetur, quod sursum petere nitatur, quod cùm non ratione terræ, neque aquæ sibi convenire posse certi sumus, neque ratione aëris competere ratio sua deat, quod ipsum aërem transcedere nitatur, aëre non ascendentे neque descendente, dum propriam spheram inhabitat, reliquum est

ingenti ignis portione dotari, quòd probare nisi sumus.

Syncerum ignem primo Meteorologiæ locis citatis, ac aliis pluribus, exhalationem nominat Aristoteles, vivus ipse inibi id totum quod à terræ, ac aquæ superficiebus convexis ad Cælum usque porrigitur, in duas partes dividendum: alteram quarum exhalationem appellandam censet, lunari globo conjunctam: aliam aridæ at aquæ contiguam, vaporem nominandam, quasi hæc duo infima elementa parens, & origo superiorum essent; & aër vapor, ac ignis exhalatio essent dicenda: quòd qualiter à eodem sit intellectum, divinare non possum. Unum tamen, quod ex nonnullis ejusdem scriptis nanciscor, liberè proferre non veteor: confusè, indistinctèque, vel per quasdam verborum tenues distinctiones, quæ re non dissident, aut per nonnullas distinctiones Aristotelem multa dubia, & antiquorum argumenta solvisse: & alia per quasdam similia non minus poscentia suæ causæ investigationem, quām primum quæsitum, soluta ab eodem fuisse, ut problematum, & totius naturalis Philosophiae commentaria ejusdem ostendunt. Cujus ingenium alias perspicax, in nonnullis ævis à me censetur. Fortasse, quod oscitans ego, non calleo sui acris ingenii vires, vel quod Interpretum, ac Librariorum, manus adeò depravaverint vetustorum codicum ejusdem synceritatem, ut nunc nulli liceat dilucide mentem conditoris eorum intelligere. Sed quidquid de hisce rebus sit, ac decreto Aristotelis in prædictis locis: & sive illud, quod dixi, littera proferat, vel aliud velit (nam contrariæ sententiæ ex eadem elici, aut bene, vel perperam possunt) ut certa habenda sunt, quæ de igne re-

*Aristoteles pri-
mo Meteorologie exba-
litionem, &
vaporem to-
tum quod in-
tercipitur à
cavo lunæ, &
convexo aque
nominare vi-
detur.*

*Quid Author
de Aristotele
sentiat.*

tulimus. Quibus vēris existentibus, supereft ignitarum impressionum cauſam reddere: cūm ſi ille ignis synceruſ cælo conterminuſ non eſt, qui in flammam cometarum vertitur, rapido curſu cæleſtiſ corporiſ agitatus, ut Aristoteles dixiſſe videtur, quod neque motuſ ſimpliciuſ corporuſ, ut diximus, calorem producat, neque ille ignis supremuſ in hunc infimum verti valeat, niſi adjuuetiſ aliis portionib⁹ terræ, atque aquæ, & aëriſ miſtuum, flamma appellata fiat: ergo Cometæ, id eſt crinitæ ſtellæ, & pongalas, ac torris, & aliarum hujusmodi ignitarum apparitionuſ alia cauſa redenda eſt.

*Cauſa reddi-
tur cometarū,
et aliarum
crinitarū ſtel-
larum.*

Hanc ergo eſſe fumaliſ evaporationiſ incendiuſ, hoc eſt, calorii intenſioriſ additionem in fumali evaporatione, neceſſariò existimare cogenduſ eſt quivis (cum ex relatiſ notuſ linquimus) hunc infimum ignem ex quatuor conſtare elementiſ, qui cūm ejusdem ſpecieſ ſit, illi non syncero in ſupera regione viſo ſi accidentia cognitioneſ ſubſtantiaſ exhibent, ſupremuſ illum ex tot conſtitui dicere tenemur.

Suppoſito ergo naturaſ crinitorum ſyderuſ eſte, quaſ relata eſt, quoad eorum materiaſ, supereft duo exprimere. Alterum, quomođo triuſ elementorū, aëriſ, aquæ, & terraſ portiones ſurſum in ignis regionem ascendunt, ſi illic cometæ, quaſ viidentur, ſitum habent. Aliud, quod cauſa ignitio niſ illius materiaſ ſit, ſi motuſ ve lox cæloruſ id non efficiat, ut prædiximus. Utrique quorum breviuſ quam poſſim faciam ſatis, dicendo priuū altero ex duobus modiſ contingere poſſe, vel, quod vi calorii ſolaris ex terra, ac aliis rebus aridiſ, ſiccisque, putà ſulphure, ſale, nitro, & conſimilibuſ, exhalationeſ, quaſ ſecum ferebant

quatuor elementa, ex quibus conſtabant, ſurſum in locuſ illum ferantur, ubi poſt ardere conſpiciuntur, aut quod concuſtu diversarum cæleſtium influentiārū coēuntiuſ in unuſ aëriſ locuſ (ut accidit reflecti in certuſ punctuſ radiouſ à concavis ſpeculiſ reſilientes) ex aëriſ illiuſ, ubi coēunt, portione, fiat terra per aridu, & frigidu influxu: & ex alia parte proxiſi aëriſ, aqua, & aëriſ propinqui nonnulla portio relatiſ admifeceatur, igne syncero, vel vi aliorum ſyderuſ genito, vel ex proxiſa ſphaera forte fortuna vi alicuiuſ ſyderiſ deſcendere compulſo aliis tribuſ elementorū commiſto, ut exhalationiſ conſtituſ ex prædictiſ quatuor elementorū portionib⁹ conſletur.

Neque immerito expreſſi, cūm terra, vel aliud ex elementiſ ex aëre gignitur in aëriſ ipſiuſ ſphaera, gigni elementa, & exhalationem ipſam ex illiſ conſtitutam, diverſoruſ ſyderuſ influxib⁹ in unuſ locuſ convenientib⁹, nam ut ſol verem objectionem, quaſ mihi ob jici poſſet, additum eſt. Ea erat, ſi (exempli gratia) aëriſ versi in terraſ ſitus eſſet infra ſphaera ignis synceri per centipedalem diſtan tiam, quomođo ſuperior aër, per quem priuſ lata fuit influentia, non fuit etiam in terraſ versuſ, cūm major vi illi influxu in eſſet, cælo propinquior, quam ab eo diſtantior. Nam huic reſpondeſtur per præmiſa, quod unicus influxu non id aſsequutuſ eſt, ut poſſet ex aëre terraſ efficere, ſed multipliſem (in illum locuſ forte ex motu cæleſtium corporuſ tunc concurren tium, ubi neque antea, neque poſt conveſerant, & fortalſe in æternum non convenient) fuſſe cauſam generationiſ illoruſ elementorū conſtituentiuſ exhalationem, quaſ ve-

*Qualiter cī-
tra exhalatione-
nem à terra
elatam ipſa,
quaſ ſurſum
gignitur, fiat.*

verti in ignem, flagrareque cernimus: ac existimo quoque, ignis synceri calore, & siccitate introductis in eandem, cum ipsa illi appropinquat, aut concurrentibus diversis aridis, & siccis influxibus in locum illum, ubi ipsa manebat, eamque illic urentibus ipsam ardere conspici, atque ad has diversas causas diversi situs ignitorum syderum conspicuntur, ignitioque quævis non aliud est, quam ut supra dixi, quoddam calor tam insigne augmentum, ut nonnullas aeris, aquæ, & terræ partes constituentes fumidam exhalationem vertat in syncerum ignem, qui adjunctus repto in fumida exhalatione, & sursum petere procurans, partes alias aquæ, & terræ, & aeris ejusdem exhalationis nedum versas in ignem syncerum secum mistas, ac mutuò connexum non omnino sejunctas, dum flamma nominatur, etiam versus concavum lunæ trahere nititur: nisi cum vi motus cælestium corporum in gyrum aliquæ ex illis ardentibus exhalationibus agitantur: & cum ab his motibus desistit flamma ut aeris, vel alterius rei extinguentis illam frigiditate, & humilitate, vel altero illorum, cessat at pausat ipsa, quæ quandoque terræ portione gravitate præmente ignem, & alia duo elementa secum mista, terram versus currere cogitur, ut aliæ sursum versus, & non raro in gyrum, ut diximus. Constituitque flammam ex terreis partibus, probat eventus ille paßim contingens, cum, scilicet, copercule ullo flamma hæc infima ascendere prohibetur: nam tunc terra portio illi copercule hærens, in fuliginis constitutione asservata, connexa duobus reliquis elementis tantum percipitur: non quod non nihil ignis etiam in fuligine non manserit, sed quod parum ignis

respectu majoris portionis evanescens ad extinctionem flamme in fuligine manere dicatur, flamma ipsa in aërem versa, à tota sphaera aëris vieta, succumbereque coacta, esse quod erat desinens, & esse aër incipiens. Quippè accidit nonnumquam fuliginem aliquam, quæ mistum imperfectum est, calidam, & sicciam esse, non ignea portione insigni intrante sui compositionem, ut diximus, sed elementis frigidis non naturali temperie, sed eximio calore affectis intrantibus talis fuliginosi misti consistentiam. Piper enim cernimus non parum grave, quod redundare in eo elementa frigida testatur, ut verum est, tamen calidum esse, quia in constitutione ejusdem ingressa fuere frigida elementa calore eximio affecta: quam temperiem elementarem piperis forma poscens conservare semper curat. De quibus, si Deus concederit, in proprio loco plura dicemus. Iis ambo solvisse dubia mox quæsita existimo, indeque ad solvendum secundum ex illis duobus, quæ retrò proposui (nam primum solutum relatum est) accingo.

Dubium secundum erat, quæ esset causa extinctionis ignis non difflati, si ipsa flamma aërem in ignem vertere non valet, ut ego prædixeram? Cui facillima nunc est ex dictis responsio, nam aërem verti in ignem syncerum per ignis actionem, non negamus: verti tamen aërem solum in flammarum, quæ mistum est, inficiabamur. Sed superest causam reddere illius extinctionis ignis, quæ contigit, flamma non aspirata. Quam obiter, quia quæstio tacta est, absolvam, quod multa falsa de hac scripta resperio. Primò in medium ducendo, nonnullorum Medicorum in hoc negotio sententiam, quæ hucusque sub-

Tractat opti-
niones non-
nullorum red-
dentium cau-
sam extinc-
tio-
nis flamme
non difflatæ

subtilis, & vera à neotericis esse putatur. Secundò aliam à nobis olim insciè meditatam proponendo. Ultimoque quod verum esse opinamur, referendo.

Gentilis de Fulgineo extincione sibi m.e opinio refertur.

Gentilis de Fulgineo, Avicenæ expositor, similem extinctionem flammæ prohibita exufflatione, esse putat hominum morti cohibita respiratione, atque utriusque caußam esse opinatus est, calorem flammæ non exufflatæ, aut humani spiritus non respirari intensiorem reddi, defectu aëris refrigerantis, ac moderantis calorem eximum flammæ, aut spiritus, quòd remissa intensiora moderantur, temperantque: solitum dici ab Scholaribus per alia verba. Remissum tale remittit intensè tale: aque illam caloris exigiam intensionem causam esse, quòd citissimè converteretur in flammam illud humidum, à quo foveatur ipsa, priusquam aliud humidum præparetur ad ejusdem flammæ resumptionem, credit. Et ad eandem normam caloris spirituosi augmentum ex cohibita aspiratione anxia dare consumptioni spirituum antequam materia alterius prædisponatur, & præparetur ad ipsius genituram, ac indè defecus spirituum mortem humanam suffocatione contingere. Hoc usque in præsentem diem adeò receptum à Medicis est, ut qui hoc noverit, indoctus non habeatur: quod quantum mendacii includat, haud difficultèr discendis noscetis.

Improbatur causa redita à Gentili de extinctione flammæ non aspiratae & suffocatione animalis prohibita respiratione.

Quippè si relata vera essent, quomodo flammæ mediæ ingentium pyramidum flammarum non extinguuntur, cùm (exempli gratia) digitales portiones earum sitæ in medio centipedalis crassitiei earundem, nequaquam afflari possunt, undique enim igne vastissimo sepiuntur: qui aërem ad sui medium nisi in ignem versus transire non sinet. Et

si consequens verum esse concedatur, eadem ratione probabitur, proximum ignem versus circumferentiam illi igni extincto in medio pyramidis etiam extinguendum esse, & si alium atque alium, ut non liceret invenire ignem ullum, qui per universam sui crassitatem ignis sit, quin universi inanes, vacue, futuri erant, quod eventus non probant, sed oppositum.

Secundò, nescio qualiter audent dicere, qui cum Gentile sentiunt, ignem, quem summè calidum esse ipsi testantur, prohibito afflato calidiorem fieri, non perpendentes si id ita accidisset, reperiri aliquid calidissimo calidius, quòd implicat.

Tertiò, non minus delirium esse reor, potuisse hos conspicere ignem non afflatum intra quodvis vas, ac secum fumum à se missum includentem, posse calidiorem esse, fumo, qui includitur, necessario refrigerante, cùm minus calidus sit fumus flammæ, ex eo ultrius calefacto, quam flamma genita.

Quartò, si vas vitreum, collum ob longum teres, & cavum habens, & infra rotundam cavitatem, ut vasa ista vitrea, quibus urinas Medici contemplantur, habere cernimus, superponatur lucernæ infixa candelabro in scaphio, vel situla aqua plena sedenti, sic, ut collum vasis vitrei quicquid candelæ supereminet aquæ, includat, atque perpendiculariter descendens, superficiem aquæ pertingat, ut nullus sit aditus aëri exteriori afflandi candelæ flammam intra rotundam cavitatem vitrei vasis inclusam neque, exitus fumo elevato ab eadem, eventus probat, flammam illam paulatim, ac paulatim minorē reddi, neque subito extingui, ob defectum humidi præparandi, ut

in flammam vertatur: ergo non inde ortum traxit flamarum extinc-
tio, unde Gentilis, & sui sequaces
opinati sunt.

Quintò ratione Gentilis potius suadetur, sevum, aut ceram, vel alia unctuosa, quibus candelarum flammæ foventur, prohibita exufflatione, citius solito esse consumenda, quām flammam esse extinguedam. Nam fieri ignem calidorem, ipsi majorem activitatem respectu ejusdem passi tribuit, à qua citior consumptio olei, vel aliorum liquorum emanaret, quām quod illa cita consumptione desit alia materia parari, ut in flammam vertatur. Si enim (verbi gratia) à flamma afflata, ac patens, in digitalem sevum suæ candelæ induxit dispositiones prærequisitas ad flammæ formam uniformiter difformiter in alias, ac alias partes digitii sevi (aliter enim non inducuntur) quodquædam remotiores aliæ proximiores ipsi flammæ sunt; etiam uniformiter difformiter, hoc est, quædam tardius, aliæ citius, & quædam prius, aliæ posterius inflammabuntur. Fiat ergo quod cum proximior incipit incendi, prohibetur afflatus flammæ illius, quid inde accidet, opinante Gentili, nisi quædam cita aliarum partium in ignem transmutatio, quod calor redditus est intensior? Sed quantum illud tempus brevius esset, quām futurum erat, si non exustari prohiberetur flamma, tanto majoris activitatis reddenda esset ipsa per intensionem caloris, ad quam necessariò in eadem proportione velocitas motus cum majore activitate augenda erat: ergo post ignitionem digitii sevi non deesse poterit aliis digitus sevi ejusdem prædispositus, ut igniatur, & sic flamma non deerit usque in universam sevi, vel materiae ignis consumptionem.

Sextò, adhuc à Gentili neque ejus sequacibus redditur flammæ extinc-
tor. Nam jam quod illi dees-
set alimentum, flamma est ens, quod
sui conservationem appetit, & si à
nullo corrumperetur, durasset: ergo vel nullus est extinc-
tor, & sic non extinguenda sed perpetuò
mansura erat. Vel aliquis, & assig-
netur. Si aërem ambientem esse
existimaveris, hunc eundem co-
gendus es dicere, esse, qui (cum
deest cera, vel oleum, vel aliquis
liquor, quo foventur flamma) ulti-
mam extinguit; quod si coactus
fatearis, sequeretur flammam incen-
sas ex stupis immisis in cucur-
bitulas, quæ ægris admoventur, &
alias quasvis prohibita exufflatione
extinctas, non æquè citò esse extin-
guendas, ut quæ defectu pabuli ex-
terioris. Consequentia est nota. U-
trisque deest alimentum, ut Gentili
testatur, & flamma libera ab aë-
re ambiente corruptitur, remitto
flammæ calore, à mitiore, & mi-
nus intenso aëris: sed ex hypothesi
Gentilis flamma illa, quæ prohibita
exustari esse definit, calidior
est, quām reliqua, ergo dupli-
ca causa magis est duratura. Primò,
quod magis resistet aëri intensiori
calore, quām remissiori. Secundò,
quod aër inclusus in quovis vase,
ubi prohibetur afflatus flammæ, mi-
nus frigidus esset, quām liber, qui
in vase inclusus minore frigiditate
tardiorem extinctionem esset factu-
rus, cuius oppositum experta do-
cent: nam statim ut cucurbitulæ
figuntur carni, extinguitur flam-
ma.

Supradicendum ab ulteriori im-
probatione hujus opinionis vide-
tur: quod qui his convictus non
fuerit, non assentiet ulli probatio-
ni quantumvis illustri.

Solutionem ergo, quam ego ali-
quando machinatus insciè sum, di-

tere incipio: ne si nonnumquam quis commentus hoc fuerit, decipiatur, ut ego per nonnullum tempus fui.

*Improbat Au-
thor quoddam
propriū com-
mentū de hu-
jus extinctio-
nis causa.*

Opinatus ego sum extingui flam-
mam prohibitam afflari, ne pene-
tratio dimensionum sequeretur.
Hanc illationem hoc modo proba-
bam. Si flamma (verbi gratia) digi-
tal is magnitudinis inclusa intra vas
aliquid, nullum exitum habens,
genuisset ex stupa, vel liquore ul-
lo, à quo ipsa fovebatur, ignem:
cùm flamma de novo genita, ma-
jorem locum esset occupatura,
quàm stupa, vel liquor, à quibus
genita fuit, sequi necessariò vide-
batur, aut vas esse rumpendum,
ut cederet igni novo genito: aut
ignem illum, qui nunc primò ge-
nitus est, non majorem locum oc-
cupaturum stupa, vel oleo, à quo
fuit factus: vel si majorem locum
occupasset esse simul in eodem loco
illum, & stupam, vel oleum, vel
aërem inclusa intra vas obturatum,
quod erat consequens illud impos-
sibile de penetratione dimensionum
illatum à me.

Quippe minimè valeret dicere,
ut solveretur hæc mea ratio, qua
inferebam, simul in eodem loco
flammam de novo genitam cum a-
liis corporibus incensis intra vas pe-
netrativè mansuram, illud non se-
qui, quòd tanta moles flammæ ex-
tingueretur, quanta de novo gig-
neretur: quia jam quòd verum sit,
flammam continuò, & continuò
corrumpi, & in aërem verti, &
aliam; ac aliam novam igni ex li-
quore, vel rebus aridis, non vita-
batur impossibile, quòd ignis ex-
tinctus vertitur in aërem satis ra-
rum, & liquor, vel res arida den-
sa vertuntur in flammam, quæ in
multò majore proportione augere-
tur, quàm ignis extinctus in aërem
versus minuatur.

Tom. I.

Meam ignorantiam, ac rationis
cavillum ostendit experimentum il-
lad lucernæ inclusæ intra vas vi-
treum, quam non videmus prohibi-
to afflatu, majore flamma fulge-
re, quàm priùs, quòd prohibe-
tur, & futurum erat, si mea ratio
vera esset. Et aquæ ascensus sur-
sum per vasis cavitatem versus
flammam in minorem, ac minorem
quantitatem semper, & semper im-
minutam, ne vacuum detur, ean-
dem meam dementiam redarguit.
Nam totum illud loci, quem mi-
nor, & minor flamma deperdit, a-
qua ascendens supplet. Cujus op-
positum eventurum erat, si multitu-
dine flammæ non valentis in tam a-
deò arcto loco contineri, flamma
extingueretur: nam certè potius
deorsum versus decensura erat a-
qua impulsa à flamma, ut cederet
illi, quàm sursum ferenda. Et ul-
tra hæc, quæ major ignorantia
quàm mea? Cùm conspiciebam curbitulas ad trahendum ex aliquo
loco succos impactos ad moveri æ-
gris, quas videbam carnem, cui
impinguntur, sursum versum tra-
here, quæ potius essent eandem
versus altum corporis impulsuæ.

Relatis ergo causis ut cassis, sub-
tilibusque dimissis, accedo paucis-
simis verbis extinctionis ignium im-
purorum prohibita exufflatione
causam reddere, quæ subsequens
est, fumosæ superfluitatis prohi-
bitus exitus: quæ cùm frigidior, ac
siccior ipsa flamma sit, densiusque
corpus quàm aér habeat, ipsam con-
tinuò, & continuò imminuit, quòd
major portio flammæ vi fuliginosæ
superfluitatis citius successivè extin-
guatur, quàm ex fevo, vel cera
candelæ, vel ex alia re nutrita
flammam ipsa restauretur. Fumus
enim, qui ex candela nuper extinc-
ta exiit, non adeò siccus est, ne-
que adeò adversus temperiei flam-

Q. 2

mæ,

mæ, in quam statim ut flamma ei admovetur, vertitur, ut ille, qui à flamma ipsa non extincta excernitur: & jam quòd ejusdem temporie cum illo esset, ignitus ipse subito, reliquum aridissimum relinquisset, & ineptum recipere igneam formam, quam mistam esse, dixi, ut supra objecimus. Putari enim non potest defectum aëris intrantis constitutionem flammæ, quam mistum esse prædictimus, esse causam extinctionis ejusdem, opinantes ex eo flammam nutriti ut homines alimentis: quod si ita esset, ingentium ignium partes intimæ omnes essent extinguendæ, in quas aér deferri non poterat.

Si quæsieris, quæ sit causa si fumosa exhalatio inclusa intra vas extinguit flammarum, quòd ipsa admota flammæ flagret? Dico, quòd non omnis fumosa exhalatio id habet, ut vertatur in flammam. Nam quæ usta est valde, ut potior pars, quæ à flamma non extincta excernitur, hæc minimè in flammam verti est habilis, imò ignem extinguere ut contrarium procurat, præsertim si per clausuram ipsa adjuvit, ut retulimus. Si iterum scitatus fueris, si modò relato flammæ inclusæ extinguuntur: quid est in causa, quod statim ut admovetur cucurbitula carni, extinguitur flamma, quæ esset duratura per illud tempus, in quo resisteret ipsa fumo extintori sui? & cur non statim ut prohibetur afflatus candelæ, quæ includitur intra relatum vietrum vas urinarium extinguitur ejusdem flamma. Dico verum esse, quod flammula cucurbitulæ duret per nonnullum spatiū temporis, quo resistit contrario, sed esse adeò exiguum, ut discernit non valeat: quia vas est arctum valde, ubi ab ingenti fumo flammula inclusa obruitur: sed quòd in vasibus illis

vitreis est adeò major capacitas, ut possit fumus sejungi à flamma per sensibile temporis spatiū, in quo durat ipsa, donec etiam, ut retuli, paulatim & paulatim desinit, durationis majoris occasio est. Hæc ad præsens sufficient, nam obiter tam ipsa, quæ de principiis naturalium rerum egimus, ducta sunt. Quibus finem imponere decerno, ut reddam nostrum præcipuum insitutum absolvere.

Desivi de principiis rerum naturalium agere tunc, cùm dictabam illam contrariam Aristotelico placito conclusionem, elementa scilicet mutuò se corrumpere, ac adinvicem ex se gigni, non ullius materiae primæ existentia machinata, quæ novæ formæ, priore corrupta, nuberet, ac solutionem exhibui objectioni uni contra hanc conclusionem illatæ. Ad alia ergo, quæ objici possunt adversus eandem, absolvendum transire consentaneum est, quorum primum hoc erit.

Si nostra assertio vera esset se queretur nihilo differre creationem à generatione, & corruptionem ab anihilatione. Consequentia patula appetit. Quòd creatio novi entis generatio nulla materia supposita sit, & anihilatio desitio ac corruptio entis absque ullius materiae reliquia dicatur: quæ ambo in elementis mutuò corruptis & genitis (si vera sunt, quæ fateor) visuntur. Quod argumentum non multis, sed paucis solvi posse in promptu est, consequentiam negando. Non enim tantum relatis ab adverso differt generatio & corruptio ab anihilatione, & creatione, sed alio, putà, quòd nulla generatio fieri valet sine alterius entis naturali corruptione: neque ulla corruptio absque alicujus entis nova naturali generatione ob causam relatam, quæ

*Alia ratio ob-
tra Authoris
decretum te-
stantis in ele-
mentis non es-
se primæ ma-
teriam.*

ambo defunt creationi , ac anihilationi.

Secundò, si adversus iterum obijiceret, si nihil quod esse possit subjectum præviarum dispositionum formæ, quæ inducenda est, maneret, cum ipsa inducitur, ergo vel illæ præviæ dispositiones transeunt de ente corrupto in ens nuper genitum, variando subjectum, quod est impossibile, ut suximus, aut aliæ noviter cum elemento tunc genito etiam gignuntur: quod ultimum si verum esse credideris, incassum videtur, naturæ placuisse, induci dispositiones in primum elementum corrumpendum, quæ nulli usui futuræ enti novo gignendo.

Hujus argumenti haud difficilior est solutio , quam præteriti. Confitemur enim, nullas dispositiones inductas in elemento corrumpendo manere, neque transire in recenter genitum: quin ipsas cum novo genito simul generari. Neque ob id opinandum est, frustra inductas in præteritum: cum jam quod in nullum alium usum, ut corrumpant ipsum, ens, quod male afficiunt, contulisse, ne (ut diximus) multiplicatis entibus, sine aliorum corruptione, deesset in universo locus, qui tot capere valeret: quanto magis quod ex ordine, ac naturæ instituto , ad illarum corruptionem simul cum elemento subjecto, earumdem, sequitur entis eas prærequirentis generatio.

Dubitabis fortasse, an reddi ulla ratio possit, cur potius gignatur ens requirens similes dispositiones inductas in ens corrumpendum post præteriti corruptionem vi illorum accidentium adeò male afficiunt ens, in quod inducuntur, ut non esse illud cogant, quam aliud ens optans alias diversas qualitates ab inductis, nam cum nihil præteriorum maneat in novo genito,

non potior ratio videtur unum elementum, quam aliud gignendum.

Huic interrogationi ne dumtaxat ego respondere teneor, sed omnes beati Thomæ æmuli, (qui in cuiusvis entis compositi ex materia & forma corruptione autumant, ipsam nudam ab omnibus accidentibus transire in alterius novi entis generationem) etiam solutionem dare coguntur. Sed quamvis sciam ab illis conferri prædictam parum ante à me, scilicet ordinem universi illius eventus causam esse, quod aliis planioribus verbis dicaretur, sic placuisse rerum conditoris, huic etiam non insciè addi possunt, non immerito sic institutum. Nam cum præcipue, ut præcedens ens corrumpatur, ut cedat gignendo contrariæ illi dispositiones in elementum inducantur, & necessarium sit aliud gigni, ne per assiduam corruptionem absque nobis genituri, universa entia in nihilum redigerentur, magis consenteaneum fuit ac rationi conformius, novum gigni cum dispositionibus similibus abjacentibus, quæ vel ut viætrices, ac ovantes in novo genito apparent, quam cum aliis dissimilibus oscitantibus, & nullo honore dignis.

Restat adhuc solvere rationem, quæ non exigui momenti esse videatur. Hæc est, quam plura accidentia, quæ in corrupto præfuerunt, nosci in novo genito. Nam cicatrices vivorum in cadaveribus mortuorum visuntur, & calor inductus ab igne in stupas ignitas tactu percipitur. Et etiam caliditas illata ab igne in aërem igniendum post ignis generationem sentitur: quæ omnia (si sensibus adhibenda fides est in physicis rationibus, ut necessarium est) testantur, aut accidentia illa migrare de ente corrupto in ens novè genitum, quod esse impo-

possibile omnibus compertum est, vel aliquid entis præteriti manere in novo genito: & cùm nihil præter materiam inveniri possit, reliquum est, hanc esse certissimè credendam.

Non majore difficultate hoc argumentum quām præcedentia solvit, quod triplex genus transmutationis essentialis tangit. Alterum cùm mixtum perfectius, amissa ultima & potiori forma, in minus perfectum, quod in se includebat, transit. Aliud, cum mixtum perfectum in elementum transmutatur. Reliquum, cùm simplex elementum in simplex aliud transfertur: ac ad normam harum trium transmutationum, solutio triplex erit. Confitemur quippe verum esse, quod in exordio argumenti probabatur. Namque cùm transit vivens in cadaver, quòd non aliter fit, quām amissa anima, relinquī, idem corpus, cui ipsa superaddita erat, citra ullius novæ formæ generacionem, tunc accidentia universa, quæ sentiuntur in demortuo esse eadem numero, quæ vivo inhærent, subjecto priore manente, nos non inficiamus. Consimili eventu etiam contingente, cùm ex mixto mixtum gignitur: nisi quòd in his forma mixti pullulat loco præteritæ corruptæ: quod non accidit, cùm anima absente, corpus quod præfuerat, idem manet. Neminem enim ignorare existimo, multas carnes comesas, pabuli, quo altæ sunt, saporem, odoremque referre. Quis enim agnos ortui proximos, & lacte tantum nutritos comedit, qui non novit carnes ipsorum lac saepere? Ac quis arietinas carnes thymo, & majorana, & aliquibus herbulis muscum odore referentibus altas transit, qui redolere eas musco, vel aliis plantis non sensit? Porro testis ego ipse sum, non semel,

sed plures oblatas mihi ad comedendum fuisse carnes, musci odorem exilem referentes. Sed quid de carnibus mentionem ago, cùm tot plantarum genera nobis familiaria passim edenda offeruntur, quæ si ex agro immodicè sterco ratto leguntur, redolentia sterco ipsum odorantur? Ac inter omnes (secundum meam sententiam) brasifca plus omnibus aliis hunc putorem concipit. Quæ omnia aliter fieri non posse certum est, quām forma plantæ alentis carnes, vel sterco nutrientis plantam amissam, accidentibusque illis, quæ plus pollebant in miscella elementorum, asservatis, cui mixturæ superadditur carnis vel plantæ forma per actionem facultatum nutrientium easdem, in quibus priora accidentia inhærentia miscellæ elementorum sentiuntur.

Sed cùm per corruptionem mixti fit transitus in elementum, vi elementari inducta in mixto, omnia accidentia, quæ præfuerunt in mixto, abolentur, ac omnino esse desinunt, (elemento noviter incipiente esse) cùm etiam novis dispositionibus eodem eventu in tertii membro contingente, scilicet, cùm elementum vi contrarii in naturam elementi corruptoris transit, nam tunc etiam quod præfuit, finitur, & novum elementum gignitur. Neque caliditas sensata in igne est eadem numero cum illa, quæ præfuit in stupore, aut in aere: imò illæ cum propriis subjectis esse desierunt, præsertim quæ aeri inherebat, secus quæ igni elemento constituentem stupore indita erat, hæc enim corrupta forma stupore, & aliis elementis, adhuc manet in proprio subjecto, putè igne, constituentem stuporem, quod igni recenter producto adjungitur. En prædictis tres modos transmutationum ab-

solutos. Et quoniam dum præcedentem rationem, & eam, quæ antecedit, solvimus, non semel, sed pluries, diximus dispositiones induetas in passo corrumpendo maximè induci ab agente, ut passum corrumpant, quòd universæ Physicorum Scholæ aduersum esse compertum est, ipsis opinantibus, præcipuum scopum agentium naturalium potius esse similis generationem, quàm passi corruptionem, unde illud Aristotelis famatum axioma 2. de Anima textu comment. 34. naturalissimum est viventibus perfectis generare sibi simile in specie: non abs re erit, vel præcedentia verba nostra moderari, vel si nuda vera sunt, quid moverit adversam tantu Philoso pho sententiam edere.

*Opinio autho-
ris de produc-
tore anima-
rum vegetati-
varum & sen-
titivarum ap-
pellatarū, ac
quarumvis a-
liarum for-
marum.*

Quod ut solvam, scitote mihi numquam quadrasse verum esse, viventia generare sibi similia in specie, sic ut à vulgo Physicorum opinatur. Quod etsi aliàs dicturus prolixius sum, hic sub epilogo, ut prius dictata defendam, dicere cogor. Et ut ab infima plantarum vita exordiat, minimè vero simile mihi videbatur, tritici, vel hordei, aut cuiusvis alterius plantæ, vel arboris semen generare posse novam plantam vel arborem, quæ ex semine prius corrupto, quàm ipsæ esse incipient, fiant. Nam jam quòd non negemus materiam elementarem semen transire in materiam plantæ novæ, formam novæ genitæ plantæ quis conferre potuit? Si enim credideris, ut non pauci Medici ac Physici opinati sunt, semini esse inclusum spiritum genitivum tritici, vel hordei, qui formæ novæ conditor, ac genitor esset, quod voluisse Aristotelem existimo, lib. 2. de Generatione Animalium, cap. 3. sub his verbis: [Inest enim in semine omnium, quòd facit ut fo-

cunda sint semina, videlicet quod, calor vocatur, idque non ignis, non talis facultas aliqua est, sed spiritus est, qui in semine spumoso que corpore continetur, & natura, quæ in spiritu est, proportione respondens elemento stellarum: quam ob rem ignis nullum animal generat, neque constitui quicquam densis, vel humidis, vel siccis videatur, at vero solis calor & animalium, non modò qui semine continetur, verùm etiam si quid excrementi sit, quamquam diversum, tamen id quoque principium habet vitale, cæterum calorē in animalibus contentum neque ignem esse, nec ab igne originemducere, apertum ex his est.] Mox scifcitor ego, an spiritus hic genitivus animam vegetativam habeat, an non. Si non, impos erit conferendi plantæ illam, qua ipse careret: agere quippè se perfectius, quod nulla mens, nisi delirantium capere potest, ut aliàs probavi. Verùm si animatum esse vegetativa anima opinatus fueris, dubium ingens est, qualiter adeò sopita ejus facultas fuerit, ut solo decenter elaborato immisum granum ipsum, non auctum fuerit ex terra sumens alimento, ut cæterarum plantarum vel arborum vegetativæ animæ ali sunt assuetæ: quin dum pabulum semi ni esset vi illius altricis facultatis trahendum, semen alendum corruptitur, quod factum, quantum dissideat à facultate nutriendi, quis non videat?

Nulla quippè est eorum responsio, qui dixerint, illi genitivo spiritui esse collatam vim commiscendi elementa constituentia tritici semen, ut expedit plantæ, quæ ex eo gignenda est. Cum ipsum semen terra sepultum putrere incipit, quod opus non degenerat ab altrice vi, nec minoris perfectionis ea est,

est, indequè posse induci altricem animam ab hoc spiritu, nullum parere inconveniens per quām certum esse autumaverint: nam falsum esse ab hac facultate spiritus genitivi, conferri animam nutriendem, earum plantarum animæ, quæ ex semine fiunt, ac sponte è terra citra seminis germinationem etiam oriuntur, testantur. Quod si intibum, vel borago, aut acetosa (exempli gratia) quæ utroque modo gigni sunt apta, cùm è terra libenter gignuntur, conditorem sui necesse habeant, qui terra ipsa, quæ multo planta imperfectior est, esse non valet, neque ullus seminis spiritus genitivus, sequitur necessariò in illas superas redeundum esse causas, à quibus planta genita est: quod cùm ita accidat, cur aliarum plantarum è seminibus productarum non easdem superas esse autumas causas? Certè putare non valeo ex terra illa sponte plantam producente, prius genitum esse spirituum genitivum, similem specie invento in semine, illumque esse plantæ conditorem, & non cœlestium ullam causam. Quòd enim hoc à vero alienum sit, ratio ipsa probat. Nam quis aliis spiritus genitivi facti ex terra conditor signari poterit, quām ipsæ cœlestes causæ? Terra enim minus spiritu genitivo perfecta, inferiores vires habens, id moliri non poterit. Ut ergo genitorem hujus spiritus, in Cælum ire cogeris. Ambagibus illis seclusis, ut natura perpetuò curat, satius erit dicere, cœlestes causas hujusmodi plantis animam indidisse, ut verum est. Quis enim spiritus genitivus adeò doctè fistulare poterit triticeos calamos, ut ipsi concavati conspi ciuntur? Et quis extimam terrestrem superficiem eorumdem levigare sic valuit, ut ipsa tacta sentitur? Ac quis in qua-

drangularem figuram semen tritici, adeo eleganter in spica composuit, ut ipsum cernitur? Certè nullum sine intellectu agens id assequi posse existimo. Quo Anaxagoras, ut reor, intellectum, seu mentem, conditorem rerum esse dicere compulsius est: ut Aristoteles primo Metaphys. cap.9. refert.

Porrò si firmam hanc rationem diluere existimas: referens illa entia, quæ duplicem generationis modum sortita sunt, cum sponte citra ullius seminis injectionem gignuntur, à sola supera causa fieri, ac eadem si semen adsit, illa cœlesti causa non indigere, quin fieri, otiosamque ipsam esse putaveris, objiciam mox tibi, si ita accidisset, superiorem ipsam causam liberam necessariò futuram. Quæ enim cùm particularis caussa deest, operatur, & cùm adeest, ferriatur, libertatem habere censenda est. Quippè merè naturaliter agens utroque in tempore esset laboratura. Ignis enim, qui stupam incendit, & alteram sibi admotam incendere poterat, præsente alio igne se vigorosiore, vel imbecilliore, non desistit simul cum novè admoto ignire stupam, utriusque enim ignis actio, hujusmodi ignitio est, & non dumtaxat unius. Ad cuius similitudinem tam superior, quam infima causa essent geniture plantam, si coelestis caussa necessitate compulsa, esset, ut ignis opera tura.

Si consequens illud primum admittas, videtur adversari tibi, numquam visas prævias dispositiones, quas ullum ens poscit, ad sui esse, sine ejusdem entis generatione, quod pérpetuum futurum non erat, si liberum esset superum agens, nonnumquam enim otiali sibi gratum foret, absente peculiari agente, étsi passum reperisset dispositum, ut de-

*Improbatur
quædam solu
tio, que exhibi
beri posset.*

*Non posse dici
superam, cau
sam concur
rentem immo
diatè ad ge
nerationem a
nimæ liberè
concurrere.*

decebat. Non enim ob aliud lapidis motum deorsum esse naturalem dicimus, nisi quod numquam illum vidimus sponte sursum latum. Etiam aliud, quod non minus inconvenit, sequi videtur, animæ rationalis creationem parem futuram plantarum generationi, utræque enim à libera causa superna orientur, & non alterum de potentia materiæ, aliud non, quod summis Theologis, & pietati ipsæ adversum est. Unum tamen manifestè constat, superam causam producentem (cùm abest particularis) ubique locorum hujus infimi mundi circunsepti ab orbe lunari reperiri, quod ubicumque præviæ dispositiones adsunt, ipsa operatur. Non enim à cælo, ubi esse forsan credis, per aëra animas in embrionum corpora esset in fusura, quæ enim brutorum sic deferrentur, etiam post obitum sine corpore manere possent, cùm ante ortum animalis, etiam sine corpore fuerant delatae per æthera, ex aduersorum assertis. Neque ipsas effectrices causas mutare loca ad generationes diversas, exercendas opinari potest, quod simul multæ, & diversæ in distantissimis locis contingent, quibus simul adesse erat necesse.

Probat Author idem de formis, quæ non sunt animæ: quod de animabus ostenderat.

De vegetabilium formis agere desinens, accedo de his, quas sensitivas appellant, animabus discutere, ac paucissimis probare, neque has à parentibus esse genitas. Primò quod non semel, sed milles, post seminis rejectionem in foemineam vulvam ante embrionis constitutionem, quin statim à coitu parentem vita fungi accidat: qui non existens, minimè existentiam sensitrici animæ poterit conferre. Velut neque spiritus genitivus inclusus in semine paterno, animam generare poterit, quod ipse multò imperfectior sensitrice anima sit,

Tom. I.

non enim præparare materiam, quam est anima sensatrix informatura (ut de plantarum spiritu genitivo instabamus) æquipollebit, perfectioni sentiendi, ut illo dumtaxat opere credi possit, spiritum genitivum assequi posse perfectiōnem illam sentiendi, vimque ipsum habere gignendi sensitricem animam credatur. Quippè necessariò spiritui genitivo insita futura erat vis sensitiva, si ipse animam consimilem esset producturus. Sed eum hac privari cernimus. Nullus enim, tacto semine, novit id contrahi, ergo ab illo sensatrix anima conferri non valuit.

Maternam enim animam uterum foeminæ informantem, neque hoc efficere posse, ostendit aliquorum foetuum major perfectio, quam matrum. Mulus enim conceptus in utero asinæ equi coitu, et si non æquè perfectus ut equus est, perfectiorem asinæ esse necessariò dicere compellimur. Si enim asinus ex asina asinum sibi æqualem procreat: ergo equus asino perfectior, aliquid asino perfectius gignere necessariò tenetur: & cum substantia non recipiat intensionem, & remissionem, immò species sint sicut numeri, ut Aristoteles 8. Metaph. text. comment. decimi refert, sequitur magis perfectum mulum asina parente fore, ac ab ea non potuisse gigni. Supereft ergo à superna causa formam illam sensitricem inductam.

Instaturum te, puto, quandam rationem ductam, qua probavi, animam sensitricem semini non inesse, quod punctum semen quiescat, & non contrahatur, neque fugiat, inquiens non fugere ipsum, et si anima sensitiva præditum sit, quod desint sibi organa, quibus sentire, & moveri debet. Verum quod nullius momenti solutio hæc sit, hoc inter cætera probat, quod exhibet

*Improbatus
solutio quædā
ut nullius mo-
menti.*

R

illa

illa ansam , ac modum dat dicendi, alimentum pransum , & sanguinem animari proximiorem , anima sensitrice esse affecta , sed quod desint illis organa , ut semini. Ut enim tu ausus es fateri , semen habere sentiendi animam , quod ex sui corruptione gignendum est animatum: ita mihi permisum erit dicere , alimento , & sanguini inesse animam sensitricem , quod ipsis vi nutritice corruptis pars animata gignenda est : ergo vel utrumque verum, quo nihil absurdius , vel utrumque falsum , ut est.

Scio omnibus his meis rationibus solitum esse à Magistris Scholarum responderi , distinguendo quæsum de spiritu genitivo. Cùm enim percontatur , an ipse animatus sit , an inanimatus , facile quædam distinctione se absolvisse dubium existimant, dicentes, non esse animatum formaliter , esse tamen animatum virtualiter. Quod adeò sibi arridet , ut non sit ultra , quid quæri possit , existiment. Est enim hęc lues adeò in disputationibus admissa , sufficere scilicet , verborum distinctiones , quæ haud intelligi possunt , aut cùm intelliguntur , nihil faciunt ad Rhombum , ut proverbio inquiunt , ut potior dubiorum insignium pars illo sit solita ab indoctis absolvi. Et ne deinceps vera solutio relata habeatur , succinctè in præsentiarum eadem confutare volo , quærens , quid per illa verba (formaliter animatum , & virtualiter animatum) intelligent. Si dicant esse illud formaliter animatum , quod formam , quæ anima est , habet , recte dixisse existimo , sed semini hoc non tribuunt , neque tribuere (quia improbatum est) possunt , ergo de hoc membro non est , quid ulterius agi possit. Et de reliquo interrogo , an illud dicatur animatum virtualiter , quod ali-

quam vim producendi animam contineat , et si animam non sit informatum , hoc enim omnes dicere videntur , an aliud quid , nihil aliud omnibus certum est. Ergo an primum verum sit , discutiamus , sciscitantes , utrum illa virtus , seu facultas , quæ in semine reperitur , valens animam gignere , sit accidentis , vel substantia. Si accidentis , nihil absurdius , quæm existimare , id posse substantiam producere , qua in infinitum imperfectius est. Si substantia , iterum quæro , an minus perfecta anima sensitrice sit , an magis , an æquè. Id ultimum esse non potest , Aristotele 8. Metaphysic. text. comment. decim. dicente , esse similes species numeris , per hoc explicans , quod velut unus numerus est alio perfectior , vel imperfectior , ita omnia diversarum specierum necessariò sunt ad invicem perfectiora , aut imperfectiora : ergo cùm seminis facultas specie differat à gignendo (si enim ejusdem speciei esset , eadem specie anima esset informatum , quod impossibile est: quia ad generationem novi animati , ipsum corruptitur: quod non fieret , si idem specie cum gignendo esset: quia easdem dispositionem requireret. Et aliud quod inconvenit inferretur , scilicet , habitibus præsentibus in materia inchoari , & continuari motum) fine dubio elicetur æquè perfectam gignendo esse non posse. Neque imperfectior dici valet , quod statim ratione retro ducta colligitur aliquid se perfectius agere , quod , ut dixi , intellectus concipere non valet : illa enim excelsior , & illustrior perfectio non potius tribui potest à non habente , quæm aurum à non possidente. Sequeretur enim infinitè perfectum opere naturæ gigni posse. Consequentia nota est , quia si c. agens se perfectius per duo pro-

*Nil posse se
perfectius age-
re, palæ mons-
tratur.*

duceret, & ipsum genitum aliud per alia duo perfectius se genuisset, & sic consequenter, consequens, ut dixi, impossibile, & impium etiam inferretur. Nam dici non potest, secundum, quod majoris vis est quam primum, non posse quod primum potuit. Reliquum ergo est, si facultas seminis, seu virtus illa est, quae gignit animam, perfectiorem anima ipsa necessariò futuram, & per consequens semen bruti perfectissimi esse æquè homine perfectum, nam transiri non potest à perfectione ultima irrationalium ascendendo, nisi offendendo in rationalis perfectionem: quod quantum dementiam ostendat, nullus adeò rudis est, qui non videat.

Alia ratio qua probatur fo- rinsecam cau- sam animam fœtibus indu- cere.

Etiam est ratio, æquè ut praecedentes evidens, qua idem suadetur. Contingit reperiri quamplura animalia, quæ tam propagatione, & coitu, quam è putredine quædam ortum trahunt, ut mures: ergo cum putrefacta terra, ut animam muris decet, supera causa inducit in illam materiam muris animam, ita conjectandum est, fuisse inductam ab eadem causa in utero muris fœminæ, & non à semine ullo. Semen enim esse necessarium, ut ex nonnulla sui parte materiam genituræ conferat, & alia ipsam sic disponat, ut convenit formæ inducendæ rationi, ac veritati conforme existimo. Attingere tamen adeò insigne opus procreandi animam, ratione naturali innexus credere non possum: neque parentes, & matres plus fœtibus indere quam relata, ut certum existimo. Si enim alicubi aliter scriptum reperiatur, quod exponi indigeat, ut retuli explicandum est.

Neque in animata, & ipsa imperfecta, ac perfecta mixta, atque syncera elementa frui facultate gignendi sibi simile in specie, conso-

Tom.I.

num rationi est, cum, & ipsa à superis causis passim esse genita necessariò afferere compellimur. Ignis enim, qui, reflexis solis radiis in concavis speculis, gignitur, nequam à calore, & siccitate inducta in aërem, vel stupam, quæ urytur, factus esse dici potest, cum accidentia ignis substantiam non attingant, neque aër proximus, igne imperfectior, illum producere vallet: restat ergo in cælum eundum esse, hoc est, in universalem causam producentem in prædispositam materiam solis radiis. Etiam aër in media æstate conspectus sincerissimus, ac ab omni nube expers, quandoque subito cernitur nubilus, & pluviosus, ipso in nubem, & aquam verso: quod aliter fieri non potest, quam frigiditate aëre affecto, & humiditate ejusdem remissa, à superioribus illis influxibus, quibus accidentibus, natus est aër corrupti, & aqua ab universalí ulla causa gigni. In sanum porrò est, putare vapes in media aëris regione esse tunc congestos, & in aquam versos, parum ante pluviae descensum, viso aëre à terra in cælum usque intercepto sincerissimo, & à nubibus mundissimo: maximè cum mox post transactam pluviam per plurimos dies accidat iterum non pluere, simillimis caloribus præcedentibus, non intensioribus, neque remissioribus vigentibus: quod accidere non posset, si à vaporibus ortum aqua illa traxisset, nisi multò majorem, & diuturniorem successuram pluviam præcedente, quod aqua irrorata terra esset suppeditatura majorem copiam vaporum, & ipsi in media regione essent cogendi, ut priores, cum ex hypothesi causa similis præcedenti sit futura, media enim regio non calidior neque frigidior, quam cum pluebat, ex suppositione esset man-

R 2

fura,

sura. Ergo cùm non pluere cernamus , in consimilibus eventibus , & prius sic, cælestes causas infrigidantes aërem , & moderantes ejus humiditatem vigere opinandum est: quibus prædisposito aëre ut convenit aquæ gignendæ , aqua producitur ab illa universali causa , cui munus generandi aquam collatum est. Ignes quoque , qui visuntur in fulgetris , non aliter factos existimo , cùm repente ortos sèpè ipsos videam , aëre priùs sincerissimo conspecto : quæ fulgura citra ullam controversiam in media regione gignuntur. Quo tollitur solutio illa , quæ meæ rationi dari posset, fulgura à supremo igne comburi. Adeò enim distat media aëris regio ab ignis sinceri sphera , ut minimè ab ipsa calefieri valeat , undè esse genita fulgetra à facultatibus syderum calefacientium rationabile est , universali causa illum ignem ex aëre , ut dixi , gignente. Et ut relata elementa ab universali causa gignuntur , verosimile est etiam hæc , quæ putantur à suis similibus gigni , ab ea , quæm retuli universali causa fieri , & tantum ab his , quas particulares causas vocant , materiam disponi , quod Augustinus lib. 3. de Trinitate parum post principium , per duo tantum folia sensit , scribens.

[Jam verò hujus etiam grani semen quamvis oculis videre nequeamus , ratione tamen conjicere possumus. Quia nisi talis aliqua vis esset in istis elementis , non plerumque nascerentur ex terra , quæ ibi seminata non essent. Neque animalia tam multa , nulla marium foeminarumque commixtione præcedente sive in terra , sive in aqua , quæ tamen crescunt , & coëndo alia pariunt , cùm illa , nullis coëntibus parentibus , orta sint. Et certè apes semina filiorum non coëua-

do concipiunt , sed tamquàm sparsa per terras ore colligunt. Invisibilium enim semen creator ipse creator est omnium rerum. Quoniam quæcumque nascendo , ad oculos nostros exeunt , ex occultis seminibus accipiunt progrediendi primordia , & incrementa debitæ magnitudinis , distinctionesque formarum ab originalibus tamquàm regulis sumunt. Sicut ergo neque parentes dicimus creatores hominum , nec agricultas creatores frugum , quamvis eorum extrinsecus adhibitis motibus ista creandi Dei virtus interius operetur , ita non solum malos , sed neque bonos angelos fas est , putare creatores , si pro subtilitate sui sensus , & corporis semina rerum istarum nobis occultiora neverunt , & ea per congruas temperationes elementorum latenter spargunt , atque ita gignendarum rerum , & accelerandorum incrementorum præbent occasiones. Sed neque boni hæc nisi quantum Deus jubet , nec mali hæc iustè faciunt , nisi quantum iustè ipse permittit.] Expressiusque idem columna sequenti testatur , dicens: [Verùm propterea factum Jacob de pecoribus commemorandum arbitratus sum , ut intelligeretur , si homo , qui virgas illas sic posuit , dici non potest creator colorum in agnis , & hœdis , neque ipsæ matrum animæ , quæ conceptam per oculos corporis phantasiam varietatis seminibus carne conceptis quantum natura passa est asperserunt : multo minus dici posse ranarum serpentiumque creatores angelos malos , per quos magi Pharaonis tunc illa fecerunt. Aliud est enim ex intimo , ac summo causarum cardine condere atque administrare creaturam , quod qui facit , solus creator est Deus : aliud autem pro distributis ab illo viribus , &

facultatibus aliquam operationem forinsecus admoveare, ut tunc, vel tunc, sic, vel sic exeat, quod creatur. Ista quippè originaliter, ac primordialiter in quadam textura elementorum cuncta jam creata sunt, sed acceptis opportunitatibus prodeunt. Nam sicut matres gravidae sunt fœtibus, sic ipse mundus gravidus est causis nascentium, quæ in illo non creantur, nisi ab illa summa essentia, ubi nec oritur, neque moritur aliquid, neque incipit esse, neque desinit.] Relatis omnibus sententiis nihil aliud, quam id, quod aliis verbis nos prædiximus, attestans. Gravidum enim mundum dicit causis nascentium, quia abundet materia misteriorum disposita ad suscipiendam formas ipsas, quarum aliquæ animæ nomine non adipiscuntur, aliæ autem animæ appellantur: ipsasque animas, & formas alias à summa causa creari (largè loquendo de creatione, ut includat generationem) expressè testatus est, cùm dixit. [Quæ in illo non creantur.] Ut tantum valeat, quòd nascentia in mundo non creantur ab infima ulla causa, sed tantum ab illa summa essentia, putà, Deo, mediatè, vel immediate fiant.

*Explicantur duo Aristote-
lis de cœta de Generatione
animalium, u-
bi communis
modus intelligendi illa im-
probatur.*

Perlectis, quæ antecedunt, sup-
pereft tantum illa duo Aristotelica
decreta in favorem eorum, qui op-
positum nostris exaratis placitis ad-
duxere, dissolvere: quorum primum
fuit secundo de Anima, text. com-
ment. 34. & de Generatione animalium,
cap. 1. Naturalissimum esse
viventibus perfectis generare sibi
simile in specie. Secundum, illud
secundi de Generatione animalium,
cap. 3. [Inest enim in semine om-
nium, quod facit ut fœcunda sint
semina, &c.] Quorum utrumque,
ut à plurimis intelligitur (salva re-
verentia tanti Authoris, qualis est

Aristoteles) falsum esse credo. Pri-
mum enim (id nempè discutere
nunc placet) ab omnibus, quos no-
vi, expositoribus sic explicatur, ut
valeat assertio illa uni exclusivæ,
quæ hoc significet. Perfectis viven-
tibus tantum naturalissimum est,
gignere sibi simile in specie. Quam
propositionem falsam esse, frequen-
tissimi eventus testantur. Primò,
quòd omnibus imperfectis eadem
vis insita sit. Secundò, quòd, &
non viventia ipsa participant. Ita-
que non tantum illa, quæ Aristoteles
dixerat. Primum verū esse,
vel ex hoc certum evadit, quòd
cum quæcumque vivunt, alenda
sint, & quæcumque alta dicuntur,
alimentum corruperint, & sibi si-
miles in specie reddiderint, certum
erit, nullis de futuram vim illam
generandi sibi simile in specie. Por-
rò si dicant adversi, hoc non nomi-
nari ab Aristotele generare sibi si-
miles in specie, quia idem indivi-
duum manet post nutritionem,
quod præfuit ante. Illud primò hac
ratione improbabitur, quòd in om-
nibus animalibus, præter hominem,
possit accidere per plures nutritio-
nes, quod primò incœpit nutriti,
corruptum fuisse ab intrinseca, &
mutua elementorum actione, &
reactione, & aliud de novo ex ite-
ratis nutricionibus fuisse genitum.
Cùm enim tam anima brutalis, quæ
nominatur forma sensitiva, quam
corpus eorundem brutorum vi na-
tivi caloris continuò diffentur, non
est quod prohibeat verè opinari,
brutum idem non esse, quod in lu-
cem aeditur, & quod in senecta
conspicitur. Secundò, quòd etiam
non viventibus eadem vis collata
sit. (quod probare promiseram) Ig-
nis enim habet vim generandi a-
lium ignem distinctum à se, simi-
lem tamen in specie (ut Aristoteles,
& cæteri Physici credunt) & aqua
aquam

aquam distinctam à se procreat, & aér aërem, & terra terram: quin & ipsæ rupes montium excelsorum non tantum generandi alias rupes vim habere ratio & experimenta docent, imò & vim altricem ipsis inditam esse, duo ostendunt. Impossibile enim fuisset, durare celsitudinem montium per tam longum ævum, imbribus assiduis, ac nivibus, quæ eliquantur, & molliunt ipsis, semper infestantibus (cùm eventus monstrant, aquæ guttam semper cadentem comminueret quamvis lapidum duritiam) nisi ruinas, & imminutionem factam à prædictis imbribus, & nive ex aliquibus partibus aquæ & nivis penetrantibus porositates rupium restaurarentur. Roborat hoc idem experimentum istud, quòd conspi ciuntur non rarò radicum arborum non exiguae portiones inclusæ intra lapides cæsos à montibus, qui ibi includi non potuerunt, nisi quando ipsi lapides gignebantur, vel nutriebantur modo dicto. Tandem imperfectis viventibus, ac non viventibus esse connatam facultatem generandi sibi simile in specie, ex perlectis probatum adversus Aristotelem supereft.

Illudque ex secundo de Generatione Animalium, cap. secundo, in pauciora verba redactum, testatur semini inesse calorem, non tamen igneum, sed spirituosum, quem constare ex eodem principio ac elemento, ex quo stellæ constitutæ sunt, asseverat, quod etiam antecedente capite prædixerat, cum se minis naturam esse spumosam testatus est. Et hoc sic intellectum fuisset ab antiquis, qui fabulam finxerunt de Venere, quæ libidinis dea esse ferebatur, orta à maris spuma, ob idque Aphroditen appellatam retulit: quæ omnia tantum in sensu, quem referam, vera esse pos-

sunt, in aliis hucusque expressis, falsa, scilicet, vim illam, quæ semi ni inest, qua disponitur materia foeti gignendo, collatam esse à superis causis: quoniam ab elementis constituentibus materiam foetus tribui non posse, rationi consonum erat. Nam facultas tanta commiscendi materiam prolis gignendæ, ut formam prolis decebat, inens, ullis elementis seorsum existentibus, nunquam conspiciebatur. Cumque hæc, quæ tam exigui momenti sunt, si conferantur inductioni & procreationi formæ ab aliqua superiori ipsis elementis causa, fieri sint nata: quomodo formæ ipsæ viventium & mortuum essentialiter perfectiores ipsis elementis, ab alia, quam ab aliqua supra causa ortum trahere poterint, ut diximus? Præsertim, quod animæ ipsæ brutales sentiendi vi participes (ut omnes credebant) erant.

Decreta ista Aristotelica suscipi cor ego subfūrata fuisse ab eo ex Timaeo Platonis: cuius sententiam & locum ubi non nihil eorum, quæ retuli ex Aristotele scripta sint, ostendere placet. Primo, ut tanti Philosophi dogmata per quam imbecillis rationibus, quin nullis, sed mero placito, constare intelligatis. Secundo, ut animus laxetur, & recuperandi vires locus concedatur. Complura enim ex nostris scriptis ob difficultatem materiae, de qua agunt, adeò attentum hominem & prospicuum requirere videntur, ut nulli oscitandi veniam concedant. Verba ergo Platonis loco signato hæc fuere: [Cæterorum vero qui dœmones appellantur, & cognoscere & enuntiare ortum, majus est opus, quam ferre nostrum valeat ingenium. Priscis itaque vi ris hac in re credendum est, qui diis geniti, ut ipsi dicebant, parentes suos optimè noverant: imposs-

Quæ Aristoteles suffuratus fit ex Timaeo Platonis nonnihil relativi decreti.

Sententia Platonis in Timaeo de genitore animalium.

sibile sanè deorum filiis fidem non habere , licet nec necessariis , nec verisimilibus rationibus eorum oratio confirmetur. Verū quia de domesticis rebus loqui se affirmabant, nos legem secuti,fidem prætabimus. Sic igitur ut ab his est traditum , horum deorum generatio habeatur, atque dicatur. Terræ cælique filii , Oceanus & Tethys fuisse traduntur. Ab iis Phorcyn, Saturnus , & Rhea geniti , & reliqui horum fratres. Ex Saturno & Rhea Jupiter & Juno , & reliqui, quos eorum fratres quotidiè memorari audimus, nati dicuntur. Ex his deinceps, ut traditur, alii. Postquam orti sunt omnes , & qui cælo volvuntur, dii nostris oculis manifesti , & qui eatenus nobis conspicui fiunt, quatenus ipsi volunt,tum ad eos mundi genitor ita fatur , dii deorum, quorum opifex ego & pater sum , hæc attendite , quæ à me facta sunt , me ita volente indissolubilia sunt. Omne siquidem quod vincitum est, solvi potest , sed mali est, quod pulchrè compositum est, seque habet benè , velle dissolvere. Quapropter quia generati estis, immortales quidem & indissolubiles omnino non estis,tamen numquam dissolvemini , nec mortis fatum subibitis. Nam voluntas mea maior præstantiusque vobis est vinculum ad vitæ custodiām , quam nexus illi , quibus estis tunc cùm gignebamini, colligati. Sed nunc quid jubeam , cognoscite. Tria adhuc genera mortalium nobis generanda restant. Absque horum generazione cælum imperfectum erit. Omnia enim animantium genera ambitu suo non continebit. Contineat autem oportet , si est mundus omnino perfectus futurus. Hæc verò si à me fiant solo , vitaque donentur, diis adæquabuntur. Quapropter accedite vos secundum natu-

ram ad animalium generationem, ita ut vim imitemini meam, qua in ortu vestro sum usus , atque ejus quidem animalis , quod in ipsis tale futurum est, ut cum immortalibus appellatione conveniat , divinumque vocetur , principatumque teneat, & justitiam simul ac vos ultrò colat. Ego vobis semen & initium tradam , vos cætera exequi par est : ut immortali naturæ mortalem attexentes , faciatis generisque animalia , subministrantes alimenta augeatis , & consumpta rursum recipiatis. Hæc fatus , in eodem rursus cratere, in quo mundi totius animam permiscens temperaverat, superioris temperationis reliquias miscendo perfudit, modo quodam eodem , non tamen perfectas similiter , sed & secundo & tertio gradu à primis , deficientes. Denique cùm universum constituisset , astris parem numerum distribuit animalium , singulis singulas adhibens.] In his nempè ultimis verbis palam ostendens , ex aristoteli natura animas esse, quod Aristoteles eti alii verbis dixerat, ut audistis , quibus quomodo vera illa Aristotelis assertio & hæc Platonis exponi possint, docuimus.

Sed quoniam adhuc restat ex Aristotele alia sententia de hac re non parum anceps , & quæ multorum errorum Physicis occasio fuit, eam adducere , ac examinare in præsenti loco non parum utile futurum existimo. Illa erat , quæ secundo de Anima , text. comment. decimi , non valde expressè referatur, quæ expressius primo de partibus animalium, cap. primo, sub his verbis legitur: [Semen enim bifarium accipitur , videlicet , ex quo, & cuius: nam & à quo discessit, ejus semen est , ut equæ : & ejus, quod ex illo futurum est , ut mulierum non eodem modo , sed ut dic-

*Distinctio illæ
Arist. anima-
ti impotentia
& actum im-
probatur.*

dictum jam est. Ad hæc semen non nisi potentia est.] Quæ quoque secundo de Generatione Animalium, cap. tertio in hunc modum referuntur. [Animam igitur vegetalem in seminibus, conceptibus, scilicet, nondum separatis, haberi potentia statuendum est, non actu, priusque eo modo, quo conceptus, qui jam separantur, cibum trahant, & officio ejus animæ fungantur, principio enim hæc omnia vitam stirpis vivere videntur: de anima quoque sensuali pari modo dicendum est: ac etiam de intellectuali, omnes potentia prius haberi, quam actu necesse est.] Tandem relatis locis in summa exprimit Aristoteles, quod semen sit animatum potentia, non actu. Quæ verba adeò confusa sunt, ut nulla plus: quibus tamen indocti plures soluisse præfatum dubium nostrum existimant, ut illi, qui distinctione alia de semine animato formaliter vel virtualiter sufficientissimè respondisse crediderunt. Confutandi ergo sunt, qui æmulantes Aristotelis verba, quæ ex præfatis locis nunc adduxi, & quæ ex primo cap. ejusdem libri elici possunt, solvi relatum dubium de causa generante opinati sunt: ne deinceps qui caput illud primum legerint, decipiatur. Certè Aristoteles si aliquibi confusè, & per similia inepta (ut à me est reprehensus anteà in hoc opere) scripsit, hic inter alias locos est, & ubi annotari dignus à quovis docto censebitur, perfectis, quæ mox legetis: cum Aristotelicis placitis explosis confutati restabunt, qui eum sunt sequuti. Illum ergo annotare aggredior, ordines negotium ab ea parte primi capituli de generatione animalium, ubi nostram quæstionem de generante formam animalis proposuit, atque (ut ipse existimavit) solvit. Quam ad

literam transcribo, quibusdam nostris additionibus interpositis. Verba Aristotelis fermè in medio illius capituli quæ sequuntur, sunt:

[Talis, id ex quo oriuntur, materia est. Sed hoc loco non ex quo orientur querimus, sed à quo partes corporis generentur. Aut enim extrinsecus aliquid, aut in genitura & semine insitum agit, idque aut pars aliqua animæ, aut anima, aut habens animam est. Partem animæ dicit, aliquam ex animæ virtutibus sive facultatibus, putà, vegetabilem, aut sensitricem, sive intellectricem, quam facultatem, aut ipsammet animam, aut animatum aliquod, necessariò supponit futurum, quod generet animal: nam imperfectiora prædictis non valebunt attingere generationem perfectioris.] Quæ omnia hucusque verissima sunt. Velimque, ut hujus decreti non oblitus fuisset tam citò Aristoteles, ut parum infra scripta ejasdem ostendunt. Quod si fecisset, me à præsenti labore vindicaset.

Ulterius prosequitur Aristoteles, dicens: [Sed ab aliquo extrinsecus agente effici quæque, aut viscera, aut alia membra, remotum à ratione videtur: fieri enim non potest, ut moveat, quod non tangit, & cum quævis genuissent, si extra uterum, & semota à semine fuissent, illud non valerent tangere, sequi videbatur, quod sit impossibile, quicquam ab eo quod non moveat, affiliatur, ut prædixeram: igitur in ipso conceptu, aliquid jam inest, quod aut pars ejus sit, aut seorsum, hoc est, fœtui non unum continetur. Hoc ultimum, putà aliud quicquam esse adjunctum, continerique intus fœtum vel uterum, irrationalibile est: etenim generato jam animali, corrumpatur ne illud, aut maneat, esset necesse,

Sententia Aristotelis ex 2. de Generatione animalium.

at nihil inesse videtur, quod non totius pars sit, aut plantæ, aut animalis genitorum, quin etiam aliud, putâ corrupti generans animal, vel plantam, postquam vel omnes, vel aliquas partes effecit, absurdum est: quid enim efficeret reliquias? Nam si genitor ille postquam jam effecerat cor exempli gratia, vel aliquod aliud membrum, quod reliqua membra formare valeret, diceatur, quod interiret. Ergo postquam factum est illud, & genitor extinctus, & partem aliam effecerit, cor interitum erat, illud cum ejusdem rationis esset futurum cum eo, qui illud genuit. Et per eandem normam pars genita à corde postquam aliam genuisset, defutura erat. Ergo ut vel omnia intereant, vel omnia serventur, quod compellendi sumus dicere, apparet. Et cùm non omnia intereant (quia si sic esset, nihil in lucem prodiceretur) ergo servari necesse est, ut videtur: pars igitur ejusdem fœtus est, id quod protinus in semine inest, ut generans. Sed si nihil animæ, hoc est, nulla animæ species est, quòd non aliqua in parte sit corporis, ut animata quoque pars aliqua seminis protinus sit, consequitur, quo dato, ut si verum esset, cætera, quæ ab illa parte gignuntur, quonam pacto efficiantur, dubitare conveniet. Aut enim simul omnes partes fœtus generabuntur, verbi gratia, cor, pulmo, jecur, oculus, & reliqua omnia, aut ordine deinceps, ut in his carminibus, quæ ad Orpheum authorem referuntur. Similiter enim ut retis implexum constitui animal ibi scribitur. Sed enim effici si dicatur, ut ab Orpho dictum est, quod vel sensu percipi potest, verum esse, cùm partes aliae, jam inesse, aliae nondum adesse, cùm fœtus sit, cernantur. Nec dici potest eas, quas

non cernimus, præ sua exiguitate latere. Pulmo enim, qui amplioris, quam cor, magnitudinis est, posterior corde in primo ortu conspicitur: neque propter hoc absoluta omnia dubia erunt, sed cùm aliud prius, aliud posterius fiat, adhuc inquirere restabit, utrum alterum efficiat alterum, & sit quodlibet animatum propter proximum, & prius genitum, an potius hoc animam suscipiat, verbi causa, non cor jam ortum efficiat jecur, idque aliud quippiam, sed hoc post hoc, ut postquam puer factus est, vir efficiatur, non enim à puerō agente virum, vir efficitur. Cujus ratio, quòd ita, ut ultimò dixi, & non ut primò dictum fuit, fiat, illa est, quòd ab eo quod actu est, id quod potentia est, efficiatur, tum in naturæ, tum in artis operibus, ita quòd speciem & formam esse in illo, quod aliud genuerit, esse oportebit, verbi gratia, in corde formam jecoris. Quo satis ostenditur, quòd illa opinio, quæ testatur unum membrum ab alio fieri, absurdâ, & commentitia est. Quamquam alias sursum, scilicet, in hoc capite, alio medio etiam hoc idem improbarerimus, & sequentibus improbatur. Nempè ut in semine protinus, ut semen est, pars aliqua animalis, aut plantæ facta contineatur, sive quæ cæteras efficere possit, sive quæ non possit, impossibile est, quando ex semine & genitura omnia generantur: ab eo enim qui semen fecerit, creatum id quod fœtum gignit proculdubio est: siquidem protinus ut semen est, vis gigandi inest: at verò semen prius fiat oportet, idque officium generantis est: nulla igitur pars condita inesse potest: ergo quod agit quòd nullam in se habeat partem qua generet, at quòd nec extra quidem, probatum esse videtur, alterutrum

autem eorum, verum sit, est necesse. Hæc ergo solvere conandum est.] Hucusque quia nihil assertivè Aristoteles dixit, sed ut dubia, quæ pullulabant de generatione viventium ostenderet, non est de quo carpi possit, nisi de curta explicatione: quem defectum nos reparavimus. Cætera, quæ sequuntur, jam asserta & placita Aristotelis sunt: quorum primum est.

*Prosequitur
contextus Aris-
totelicus.*

[Fortassis enim aliquid ex ijs, quæ diximus, non simpliciter & ab-solutè verum est: ut illud, ab extero nihil effici posse.] Nam & est, ut possit exterum efficere, & est ut non possit. Sed semen, an id, à quo semen, dicamus esse genitorem, nihilo refert: scilicet, qua motum, qui illud movebat, semen in seipsum continet, rejiciens semen motor dici potest. Fieri enim potest, ut hoc ab hoc moveatur, & hoc ab hoc. Sitque perinde motus quem recipit semen, & ille quem semen inducit in foetum, quasi quem admirabilia illa spontinia efficiunt: partes enim illorum habent vim & potentiam motricem modo quodam, etiam cum quiescent, quarum primam ubi extrinsecus aliquid moverit, statim proxima actu mota efficietur. Ut igitur in spontinis illis, quæ sunt fabricata, ut nostrorum horologiorum rotæ includentes & moventes alias, quodammodo illud movet, quod nihil nunc tangit, sed ante tetigit. Ut quoque in horologiis qui pensile reddit pondus illud funibus dependens ab eisdem: motor rotarum dici potest, cum non tangit, sed tetigit: sic id à quo semen, aut quod semen efficit, movet; cum aliquid tetigerit, quamquam non adhuc tangit. Et motus, qui inest semini à genitore, quodam efficit modo, ut ædificatio ædes. Igitur aliquid esse, quod efficiat,

sed non ita, ut hoc quicquam, nec perfectum inesse primum agens apertum jam est. Quemadmodum autem unumquodque fiat, accipiendum hinc est hoc initio. Omnia quæcumque aut natura, aut arte efficiuntur, ab eo quod actu est, fiunt, ex eo quod potentia tale est, semen igitur tale est, motumque habet, & principium tale, ut motu peracto, pars existat quæque, eademque sit animata. Non est enim facies, nisi animam habeat, neque caro, sed corrupta æquivocè dicitur facies, aut caro, perinde quasi lapidea, aut lignea facta sit. Simul autem partes similares, & instrumentales, sive officiales efficiuntur. Et quemadmodum non securim, non aliud instrumentum dixerimus factum esse ab igne solo, sic non pedem, non manum, eodemque modo ne carnem quidem: nam ejus quoque aliquid officium est. Dura igitur, mollia, lenta, rigida, & quicumque alii affectus partibus infunt animatis, à caliditate, frigiditatevè effici possunt. At ratio, qua jam caro, aut os est, non potest, sed à motu proficidente efficitur ab eo, quod genuit, quodque actu est id, quod potentia est id, ex quo gignitur, quomodo in iis quoque agitur, quæ arte efficiuntur. Ferrum enim durum, aut molle efficitur calore, vel frigore, at verò ensis à motu instrumentorum, qui artis obtinet rationem: ars enim principium, formaque ejus, quod efficitur, est, sed in alio: motus autem naturæ in ipso est, quod efficitur: ab altera profectus natura, quæ actu obtinet formam. Sed habeat ne semen animam, necne, ratio eadem atque de partibus redenda est. Nec enim anima ulla esse potest in alio, nisi in eo cuius est: neque pars ulla esse potest, quod particeps animæ non est, nisi

æqui-

æquivocè , ut mortui oculus. Semen igitur & habere animam , & esse potentia palam est. Propius autem & remotius idem à seipso potentia esse potest : ut Geometra dormiens remotius quām vigilans est , isque remotius , quām qui jam contemplatur. Sed enim hujus nulla pars causa est generationis , sed quod primum extrinsecus movit , id causa est , nihil enim seipsum generat , sed postquām generatum est , seipsum auget : quamobrem non simul omnes partes generantur , sed una primum , eamque primum otiri necesse est , quæ principium augmentandi contineat. Sive enim planta , sive animal est , quod tale alterum generet , quale ipsum est , hoc enim cujusque perfecti , tum animalis , tum stirpis secundum naturam officium est , necessitatis autem ratio est , quod cùm aliquid est , augeri idem necesse est , generat igitur , quod est univocum , ut homo hominem , sed per seipsum augetur : ergo ipsum , cùm aliquid sit , auget , quod si unum quid , idque primum sit , id primum generari necesse est. Itaque si cor primum in nonnullis oritur animalibus , aut cordis proportionale in iis , quæ corde carent , ex corde principium illud est in iis , quæ cor habent , cæteris ex proportionali. Exposui jam ad ea , quæ ante quærebantur , quid causa sit , ut principium generationis cujusque movens primum & procreans.

Auderem porrò quemcumque quantumvis nobis inimicum , modo patienter audiat , & rectè sapiat , judicem dicendorum constitutere : cui permitterem , ut hæc nostra commentaria , me alacri animo tolerante , contemneret , si non dilucidissimè Aristotelem in citato capite distinctiones inscias , & similia quædam dissimillima (ubi quām maximè oportebat servari

*Distinctiones
quædam ac similia nonnulla Arist. improbabantur.*

Tom.I.

synonymiam) adduxisse probavero. Etiam meritissimè confusæ sententiæ authorem dignum dici liquidò monstravero , ac sibi contrarium esse ostendero : tandem quibusdam commentitiis rebus lectoribus omnibus hujus capitinis hucusque imposuisse , palam docuero. Ne ergo nostra commentaria eam patiantur pœnam , cui nostris modo scriptis obligata sunt , primum ostendere aggredior.

Nempè quæ distinctio inceptor , quām illa , ubi (ut audistis) scripsit : [Fortassis enim aliquid ex iis quæ diximus , non simpliciter & absolute verum est , ut illud , ab extero nihil effici posse , nam & est ut possit , & est ut non possit , &c.] Quo enim modo verè dici potest utrumque ex his contradictoriis simul posse accidere ? Porrò si ita est , quod aliquid semini extrinsecum animam foeti confert , de quo est omnis difficultas & quæstio (nam dispositiones quæ sunt res accidentiales , potuisse esse genitas à quavis infima substantia non inconveniebat) qualiter nisi insciè dici potuit , & est ut possit , & est ut non possit , cum alterum absolutè verum esset , putà , ab extrinseco foetum gigni posse. Et si semen esset , quod generaret , distinctè dicturus erat , ab extrinseco gigni foetum non posse.

Si enim evadi objectionem hanc existimas , dicendo utrumque in generatione concurrere , putà , quod semen disponendo , & semini extrinsecum animam inducendo , foetus procreetur , hoc in genere dictum , Aristotelii contrarium esse , facile ostenditur , qui cap. 3. de Generatione Animalium 2. soli rationali animæ concedit extrinsecum genitorem , cùm dixit : [Restat igitur ut mens sola extrinsecus accedat , eaque sola divina sit .] Sed venia data distinctioni increpatæ , quis tolera-

*Improbatur
quædam inanis solutio , &
iterum ostenditur semen
non esse animatum.*

S 2

re

re poterit similitudinem relatam de spontinis, quo simili putat dici posse ab homine genitum esse hominem, quia ipse in fœminæ vulvam rejecit semen, ut qui movit aliquid, quod movet aliud, dicitur motor ultimi? Non enim tam illustrissimi Philosophi est, motus locales ubi res, quæ moventur, nihil aliud suscipiunt à motore; quād modum diversum existendi, conferre motui generationis, ubi fœtus, aut planta formam substantialem perfectiorē semine, à quo gignitur, suscipit. Neque quia ars fabrilis instrumenta ferrariorum movit, & ipsa ferrum, ex quo factus est ensis, ubi fabricatum nullam formam substantialem adeptum est, & ars auctor fabricati ensis dicitur: ideo equus genitor equi dicendus erit, quia semen procreavit, & in æquæ vulvam rejecit, à quo semine ortus est equus, animam habens, quād à semine imperfectiore suscipere non potuit, nec ab equo æquè perfecto, quod jam tunc fortassis cū animabatur fœtus in utero equæ, equus esse desierat. Et quamquam viveret, & esset, inductor animæ dici non poterat, distans ab utero equæ, ubi equus gignebatur, & minimè potens per medium aërem inferre animam fœtui, de cuius animæ genitore est omnis, ut supra dixi, difficultas. Quæ insoluta, ut cū sciscitari dubium incepit, in fine capitatis mansit, solis verbis nihil ad negotium agentibus, & similitudinibus illis cassis & futilibus Aristotele dubium solvente. Quod nos planis verbis, & non fucatis mendaciis absolvimus. Ultima enim illa similitudo Geometræ dormientis, & vigiliis, & actu contemplantis, enorimior adhuc relatis est: cū ex antedictis de animæ intellecticis actibus ostenderimus, animam non dici actu intelligentem per aliud à

se distinctum, sed tantum per diversum modum se habendi, anxiè quærentibus nobis productorem rei adeò perfectæ, ut est anima, sive quæ appellari solet sensitiva, quod æmuletur sensitivam nostram, seu vegetabilem: quarum utraque quantum distet à corpore suscipiente, quis non novit? Porro quæ contradictio apertior, quād, quæ relatam collationem geometræ in contextu sequitur, ubi expressè inquit: [Semen igitur & habere animam, & esse potentia palam est.] Si enim habet animam, esse potentia animatum, scilicet, non potest, quia potentia, & habitus, ut positivum & privativum contrariantur. Et ut non potest dici cæcus, & videns, & tenebrosum & illuminatum: ita habens animam, & esse potentia animatum dicendum non est. Neque diversis partibus seminis hoc competere verè dicere possumus, cum nulla actu animam hasbeat, quod ultra rationes retroductas, sequetur, si verum esset, semen animatum fore. Primò, quod habitibus præsentibus in materia, non cessasset motus. Consequentia est manifesta, quod post acquisitam animam, non esset, ut quid fabricaretur corpus: cum potius corpus ob animam fabricetur, quād è contra, anima acquisita, corpus formetur. Nempè cū certum sit imperfectius esse propter se perfectius, & è diverso minimè, ut Aristoteles primo Ethicorum, cap. 1. referebat, dicens, artem conficiendorum frænorum esse propter militarem, & non è contra: ergo anima post corporis fabricam inducenda erat, & non prius. Quod expressè dixit Arist. 2. de Anima, text. comment. septimi, animam definiendo, per actum corporis physici organici in potentia vitam habentis. Secundò etiam liquidò colli-

getur, si semen animam haberet, quod in equo, vel asino, aut quovis alio mare brutali essent innumerari equi, vel asini, aut alia animalia. Consequentia probatur. Equi, aut asini admissarii, aut alia bruta ejusdem munera in eadem die non numquam rejectant in diversas vulvas diversarum equarum, aut asinarum, prolificum semen, ex quo ejusdem speciei cum genitore animalia gignuntur, quorum utrumque includebatur in equo, vel asino, antequam foeminam impleret: sed post est animatum ex adversi confessis, ergo, & prius. Nullus enim potuit animam conferre semini post rejectionem, ut supra probavimus. Si ergo semen in vasis seminariis inclusum animam equinam habebat, & non quam equus (quod sequetur eandem numero animam esse in parentem, & filio) sequitur seminis animam esse diversam ab anima implentis uterum. Ac ulterius, cum plures foetus procreentur ab eodem equo in eadem die, vel saltim ab eodem ariete, tot animas arietinas esse inclusas in semine informantes semina corporis, indeque necessariò composita illa dicenda animalia intra animal inclusa, compellendi sunt testari, qui animatum esse semen fatentur. Ulterius sequetur aliud inconveniens non minus præterito, quod falsè diceretur in utero fieri generationes. Hæc consequentia etiam manifesta est. Nam si anima brutalis cum semine rejectatur in uterus: quicquid post fabricatum fuerit, non generatio appellanda erit, sed configuratio, ac in utero elaboratum in semine nihilo differret ab elaborato à Fabrocerario in cera. Ut enim hic tantum effigiem non distinctam realiter à cera effingit: sic foetus formator, quicumque fuisset ille, non nisi tantum

effigiem semini jam animato indidisset.

Si confusam, ac incertam sententiam hujus capituli esse dixero, non ero mentiens, dum non libris ejusdem Aristotelis acroamaticis appellatis (ut sunt illi de physico auditu, & sibi germani) sed non nullis exotericis nominatis (ut sunt naturalis historiæ, & alii ejusdem messis) conferantur. Quæ enim major confusio vulgaribus, ac Philosophis, quam illa. [Semen igitur, & habere animam, & esse potentia palam est.] Impropiè quippè, secundum meam sententiam, dicitur aliquid habere animam in potentia, ut hic, & cap. 3. sequenti ab Aristotele fertur, scribens: [Animam igitur vegetabilem in seminibus, conceptibus, scilicet nondum separatis, haberi potentia statuendum est, non actu, priusquam eo modo, quo conceptus, qui jam separantur, cibum trahant, & officio ejus animæ fungantur.] Nempe si illa, ex quibus alia fieri nata sunt, dicenda essent habere in potentia illud, quod gigendum est ex illis, liceret asseverare stupam in potentia habere ignem, & aquam in potentia habere aërem, & terram madidam in potentia habere omnes herbas, quæ ex eadem aluntur; & tandem quodlibet habere quodlibet. Quia per unam transmutationem, ut quæ relata sunt, aut per plures, omnia ex omnibus fieri possunt, quod non parum confusum est. Illa enim assertione nedum tyro initiatus philosophæ facultati, sed exercitatus Philosophus, opinatur semen posse producere animam, credens aliquid animæ habere, quod in potentia animam habere dicitur: non prospiciens, non plus inesse animæ sensitivæ semini equi, etsi in potentia sit ad illam, quam aëris a-

*Confusè scripta
sunt Arist. in
hoc capite pre-
batur.*

quæ,

quæ, quamquam in potentia sit ad eam. Et quod nisi ab aliquo perfectiore aqua fiat aëris, ipsa perfectior, esset impossibile, quod ab aqua imperfectiore, aëris fieret. Et per consequens à semine multo ex quo imperfectiore, equum gigni sit impossibile, nisi ab aliquo semine perfectiore, & ex quo æquè, aut plus perfecto generetur.

Confusio, vel nuga Aristot. Non etiam, quæ ex 2. de Generatione animalium, cap. 3. referuntur, putat. [Inest enim in semine omnium, quod facit, ut foecunda sint semina, &c.] Adeò perspicua sunt, ut moderatione non indigeant. Testari enim igneum calorem infœcundum esse, semen autem, & adhuc excrementorum animalium esse prolificum, quod conspiciat Aristoteles ex semine, & excrementis animalia gigni, & ex igne, minimè, & iis quasi differentiam specificam inter hos calores innuat, à vero alienum est. Differre enim specie calores, non dico corpora calida, demonstratione physica verum non esse, alibi facile ostendimus. Etiam undè accidat, pauca igneo calore generari, (falsum enim est quod nulla, ut eventus ostendunt) rationem peculiarem habet, non quidem specificam differentiam inter calores, sed aliam, quam statim exarabo, dum prius monstrum, nonnulla animalia igneo calore gigni. Salamandræ enim igne aluntur, ex eoque gignuntur. Etiam vermes isti, qui Bombyces appellantur, ignis calore fiunt, eorum semine inclusi linteis pendentibus in parietibus triclinii, ubi camini ignis ardent. Et quorumvis animalium terrestrium ova si moderato ignis calore fota sunt, etiam prolem reddere accidit. Nec ob aliud ignem non gignere sèpè animalia cernimus, nisi quia ex quatuor constent elementis, quæ re-

fractis suis summis qualitatibus, in mistione concurrunt: & à tam extremo calore, ut ignis est, abhorrent, quem modestum amant. Quippe in corde nullius animalis animal gignitur, quod viscus illud immodico calore redundet, ubi plus ille cœlestis calor animalis vigere debebat, quam alibi corporis. In intestinis tamen, ubi excrements continentur, quia temperato calore vigent, sèpè vermes, & alia gigni animalia conspicimus. Quæ manifestè ostendunt, commentitia esse illa, quæ de cœlesti calore seminum relata sunt, nisi, ut nos scripsimus, intelligentur.

Sufficere existimo, quæ scripta sunt. Quorum illa, quæ convitia in Aristotelem illata dici possunt, non ut alia à candore mei pectoris oriuntur. Tantum enim illa scripta fuere, ne adeò præcipites omnes, qui philosophantur, sint, ut statim quod ullam sententiam Aristotelis audiverint, sic fidem illi adhibeant, ut si è cœlo nuntiatum ipsis esset. Homo enim fuit, & inter Philosophos doctissimus, acerrimique ingenii vir, sed qui potuit labi. De quo quam parum miror. Plus enim mihi est molestus, quod non expressius, illustriusque scripserit, quam quod nonnumquam fuerit deceptus. Ut enim uni Alexandro morem gereret, nobis posteris tantam caliginem suis scriptis non esset relicturus. Philoponi ejusdem Aristotelis Commentatoris, & Averrois, & multò his recentioris, & qui fortassis adhuc vivit, non pauca loca super citato capite annotare possem, quæ omnia missa facio, ut inceptis finem imponam. Hisque missis, moderemur illud, quod nobis objecimus, cum diximus, dispositiones prævias induci ab agentibus potius ut passa corrumpant, quam ut formam, quam non attin-

*Non ut con-
viciemur Ar-
istot. scripta
nōnulla sunt.*

gunt, inducant. Nam illud sic ubi verum est, in alteratione facta ab elemento in elementum esse posset, & non in ea, quæ fit, cùm mixtum gignitur, ibi enim agens particula-re omne præparat materiam. Et ad-huc in elementorum illa mutua alteratio-ne, etsi priùs non natura, sed tempore intendatur corruptio patientis elementi, fortassis præcipue generatio similis vincenti est intenta.

Sufficient quæ duximus, ut id de quo obiter tractavimus, diluci-datum maneat, & ad prosequen-dum negotium de principiis natu-ralium rerum iterum redeamus.

Solutæ sunt rationes, quæ ma-teriam primam omnibus inesse en-tibus testabantur: defunct ergo illæ, quibus ipsam esse abolendam sum periusus, quarum prima hæc sit: Omnes entium generationes, ac corruptiones modo à nobis recensi-to fieri posse sine ejusdem existen-tia, antecedentibus probavimus: frustra ergo fingeret natura enti-tates diversas, valens paucioribus absolvere entia.

Secundò sic argumentor. Si ma-teria illa prima esset, necessariò ha-beret proprium esse sejunctum ab esse formæ, & totius compositi: er-go per se subsistere posset, cùm quodvis priùs à posteriori absolvi possit, ut inductione facile proba-ri potest, præsertim in materiali-bus causis, de quibus præsens ne-gotium agit. Etiam forma, putà a-nima rationalis, per se sola esse pos-set; ergo non majus miraculum es-set materiam esse sine forma, quàm è contra, maximè cùm dicantur formæ educi de potentia materiæ. Et ultra, valet ipsa sine forma esse, ut totum compositum, ergo gene-rabilis, & corruptibilis erit. Ulte-rius, generabilis, & corruptibilis es-t, ergo alteram materiam, &

subjectum supponet: & eadem ra-tione illa alteram, & sic subinde in infinitum procedendo, infinitæ materiae essent constituendæ, si una prima esse fateatur. Consequen-tiam primam, scilicet, si materia prima esset, necessariò haberet pro-prium esse ut totum compositum, probare nitor. Si enim hanc bo-nam esse probavero, reliquas bo-nas esse, certum erit, & inconve-niens illatum sequi, dubitari non poterit. Et ut illationem esse ne-cessariam probem, fingamus ali-quem ex Peripateticis respondere, illam esse malam collectionem, quòd oppositum consequentis stat cum antecedente, nam etsi ipsa materia sit, non necessarium est il-lam habere proprium esse, ut to-tum compositum, quin suum esse pendere à forma, & ipsam puram potentiam esse. Peripateticus asse-verabit, ex illa enim, & forma conflatatur totum compositum, quod verè per se esse valet, nullam par-tium essentialium ejusdem per se es-se valante, ubi forma educitur de potentia materiæ.

Hanc responsonem Aristotelem recepturum ut propriam, probat sententia ejusdem primo Physico-rum, text. comment. 69. Hanc e-nim tantum inter multas illius, lo-co huic inserere placet. [Subjecta autem natura scibilis est secundum analogiam. Sicut enim ad statuam æs, aut ad lectum lignum, aut ad aliorum aliquod habentium for-mam in materia, & informe se ha-bet, priusquam accipiat formam: sic ipsa materia se ad substantiam habet: & hoc aliquid, & quod est.] Id est ad quòd quid per se corpus est. [Unum quidem igitur prin-ci-pium est, non sicut unum existens: neque sic unum: sicut hoc aliquid, unum autem secundum quòd ra-tio.] Id est, sic una materia est, ut

*De principiis
rerum natu-
ralium iterū
agitatur.*

*Rationes qui-
bus materiam
primam non
esse tenendum
est.*

2. Ratio.

*Increpatup
quoddam mo-
dus, quo ali-
quis responde-
re posset nos-
tra interroga-
tioni de modo
effendi mate-
riae.*

ut ratio, id est, forma dicitur una esse. [Amplius autem contrarium huic.] Scilicet, formæ. [Privatio est.]

Sed quod prædicta solutio nulla sit (non enim in præsens discutere volo, an Aristoteles in sensu peripatetico expresso, vel in alio contextum citatum protulerit) validioribus quam possim rationibus probabo. Quarum prima hæc sit. Si materia nihil aliud quam mera potentia est, ergo, vel formæ potentia, vel totius compositi, vel alterius entitatis à materia, & forma, & toto composito, constituentis tamen hoc aliquid, vel nullius rei componentis ens naturale futura necessariò est. Hoc ultimum dicere, absurdum palam est. Non enim ipsa esse principium rei naturalis dici poterit, si jam quod sit mera potentia, non entis naturalis, neque ullius partis ejusdem, potentia sit. Ac aliud, esse, scilicet, potentiam alterius entis à composito, & materia, & forma, non minus delirium præterito est. Nam si ita esset, non tantum materia, & forma, & privatio, sed & illud aliud ens, cuius materia potentia esset, ingrederetur compositionem naturalis entis, quo nihil enorius. Nam substantia, vel pars substantiae illud esset, & secluso ente constituto, & materia, & forma, nulla alia pars essentialis assignari potest, intentum, ergo verum. Neque etiam totius compositi potentia dicenda est materia, quod ad corruptionem totius, ipsa corrumpenda esset. Cuius oppositum explicuit Aristoteles, qui ipsam rebus post Platonem indidit, dicens primo Physicorum, text. comment. 82. ipsam perpetuam esse, ingenerabilemque, ac incorruptibilem. Reliquum ergo est, ipsam puram potentiam formæ esse. Quod si confiteatur adversus,

quæro, an potentia formæ dicenda est, ut facultas, vel potentia videnti, aut tangendi dicuntur animalium facultates: aut potentia formæ sit, quod ipsa suscipere eam, ut subjectum prompta est, aut potentia formæ appelletur, quod ipsa nata sit transmutari in formam. Sed nullo prædictorum modorum potentia formæ nominari necesse potest, ergo vel alio modo mera potentia dicitur: vel si nullus præter relatos est, & iis, vel ullo illorum modorum ea dicta formæ potentia proprium esse, ut totum compositum, est necessariò habitura, fictam, & non veram materiam invenisse Aristotelem, & ejus sectatores dicere tenemur, cùm ipsa proprium esse habente, sequitur impossibile supra illatum.

Incipiamus ergo membra divisionis præfatae discutere, ut apparet, an ullo illorum modorum verum sit, materiam dici formæ potentiam. Et quod in primo sensu nequaquam appelletur materia potentia formæ, probat manifestè, quod illius modi potentiae posteriores sunt suis subjectis. Prior enim tempore, vel natura est homo, quam facultas, vel potentia videnti ejusdem. Et prius est animal, quam facultas tangendi ejus: ergo prior esset forma quam materia, quod eidem Aristoteli adversum est, ipsa enim est principium, ex quo alia fiunt, & in quod ipsa resolvuntur, ut primo Physicorum, text. comment. octuagesimi secundi, inquit. Ergo non posterior forma dicenda.

Item per universum primum Physicorum fermè paßim offenditur materiam primam esse subjectum formæ, implicat ergo ipsam esse facultatem formæ, quod forma esset subjectum ejusdem.

Tertiò, facultas cuiusvis entis est,

Membra di-
versa digerū-
tur increpan-
turque.

Authoritate
Arist. increpa-
tur quoque
quoddam mo-
dus ejusdi me-
teriae.

à qua velut à causa tota , vel parti-
culari producitur effectus : sed ma-
teria nullius est activitatis , ut ex-
pressè Aristot. 2. de Generatione,
& Corruptione , text. comment.
53. refert , & primo ejusdem text.
comment. 8. ergo in prædicto sen-
tu nullo modo materia dici potest
formæ potentia.

*Examinatur
secundum mē-
brum.*

Supereft ergo secundum mem-
brum examini subjicere , scilicet
dici materiam sinceram potentiam
formæ , ut quæ eam suscipere prompta , & nata est . Velut dicimus a-
quam potentiam susceptivam frigi-
ditatis , quòd ipsam est nata susci-
pere , ac quod velut frigiditas sus-
cepta efficit aquam frigidam , quæ
sine frigore frigida esse non potest:
ita forma in materia recepta , dat
esse materiæ , quæ sine forma esse
non habet . Quod membrum ut u-
niversi Peripatetici , exponunt Aris-
totelem ipsum voluisse , tam 1. &
2. Physicorum , quam in duobus
libris de Generatione , & Corrup-
tione , ac aliis diversis locis , qui
commentaria , quæ hac nostra tem-
pestate extant , legit , facile intelli-
get . Sed neque sic posse materiam
dici potentiam formæ , exarare
auspicor . Primo collationem illam ,
quam Aristotelis partes agentes in-
troducunt , examini subjiciendo .
An , scilicet , sic materia formæ
substantialis subjectum sit , & reci-
piens ab illa esse , quod habet , ut
aqua frigiditate dicitur frigida , &
homo albedine albus , sine quibus
accidentibus impossibile est aquam
esse frigidam , neque hominem esse
album . Et videor mihi statim in fo-
ribus istos delinquere , quod nemini
eventurum Aristoteles 2. Meta-
physic. text. comment. primi pro-
clamat . Nam si similitudo illa ul-
lius momenti esset , paritas esset ser-
vanda : qua servata , sic collecturi
erant , ut ex frigiditate , & aqua

aggregatum est , & dicitur frigidum ;
& ex albedine , & subjecto albo
conjectum nominatur , & est al-
bum: sic ex materia , & forma com-
positum substantiale est , & dici
debet existens . Ac ulterius collatio
processura erat . Et ut aqua sola , aut
frigiditas tantum non est frigida ,
neque homo tantum , aut albedo
tantum est albus , sed homo , & al-
bedo , & aqua , & frigiditas dicun-
tur , & sunt frigida , & alba , sic
materia non ens dicenda esset , &
forma quoque , & ex ea , & forma
aggregatum ens appellandum , qua
paritate servata , non infertur ma-
teriam suscipere esse à forma : sicut
neque aqua seclusa frigiditate , qua
afficitur , animadversa , est frigida:
neque homo seclusa albedine , qua
alteratur , est albus , sed utrum-
que .

*Solvuntur nō
nulla à nobis
dīta quam-
dam falsa af-
fertione.*

Si objicias falsum esse , quod ul-
timis illis verbis protuli , homi-
nem , seclusa per animadversionem
albedine , non esse album , & aquam
eodem modo perpensa frigiditate ,
non esse frigidam , quia si quis tan-
tum hominem albedine affectum ,
ipsa manente , considerat , non
contemplato colore albo , album
esse dicet : & aquam , eadem con-
sideratione facta , frigidam nomina-
bit , mendacium impossibile dixisse
statim probo . Quia Aristoteles di-
cebat album præcipue albedinem
significare , & sive ita sit , quòd dic-
tione connotativa connotatio præ-
cipue significetur , sive subjectum ,
tam Aristoteles , quam universi Lo-
gici pro comperto habent , termi-
nis connotativis substantiali , &
accidens simul significari , & per
consequens impossibile esse album
sine albedine verè dici posse . Et
quòd negotium præsens de deno-
minatione concretorum compellit
parum desistere ab eo de quo age-
bamus , patienter legentes tolerent ,

exoro , cum non parum intersit , hanc collationem inter concreta discutere. Ergo ut ipsa dilucidetur , ultra dicta quæro , an homo ille , qui affectus albedine absque eadem animadvertisit , & albus ab adverso appellatur , quidquam suscipiat ab albedine inhærente quo denominatur albus , aut nihil? Si nihil , nulla ratio erit , cur potius ipse dicitur albus habens albedinem conjunctam , dum illa non contemplatur à denominante , quam cùm se-junctam habet : sed si ipsa albedo sejungitur , minimè homo albus nominatur , ergo etsi conjungitur , & consideratione nulla mentio ejus sit , albus non est dicendus. Si inquis aliquid induci ab albedine in hominem album , quo dicitur talis , mox insurgam adversus te , hoc posse à Deo suppleri , cùm sit effectus albedinis , non ut informantis , nam sic tantum est inhæsio effectus formæ , sed ut efficientis , quam vicem Deum posse supplere , nullus pius ambigit : & inde inferretur seclusa albedine , & manente ejusdem effectu in re alba , dicendam rem albam , quod esse impossibile , ut indubitatum supponebas. Superest ergo verum esse , quod inter argendum prædixeram , collationemque prædictam , quam Physici , & Theologi faciunt , iniquam esse.

Inherentiam relationē distinctionam non esse à re alba ostenditur.

Alia obiectio.

Si dicas citra albedinem inhærentiam accidentis ad subjectum esse in subjecto albo , hoc nihil vitabis. Quia illo accidente (jam quod illam distinctionem falsam inter albedinem , & inhærentiam albedinis admittam) non dicetur substantia alba , cùm sit illud accidens respectivum , & albedo absolutum.

Iteratò fortassis suadere niteris , substantiam albam , frigidam , & dulcem , ac aliis accidentibus affectam sine eisdem consideratam , dici talem , & non aggregatum ex

ea , & accidente afficiente , quod Logici , & Physici hanc propositiōnem veram esse sine controversia dicunt , Sortes est albus dum ille albedine est affectus , quæ aliter vera esse non posset , cùm sit affirmativa , nisi subjecto , & prædicato supponentibus pro eodem , & cùm Sortes tantum substantiam sine albedine significet , & albus utrumque , & de subjecto , quod substantia , ut dixi , sine accidente consideratur , significatum prædicati , hoc est , album , verè dicatur , restat Sortem esse , qui seclusa albedine , albus dicitur.

Sed huic non valde difficilis est responsio , intellecta significatione termini absoluti , putà Sortis , qui non aliud dicit , quam individuum humanum , quibusvis accidentibus affectum , ut per illam dictionem , Sortes , non tantum substantia seclusis accidentibus intelligatur: quia sic potius , quod vocatur species conciperetur , quod secluderentur conditiones individuum constituentes , quam singulare. Sed substantiam illius hominis quibusvis accidentibus natis homini inesse intelligitur : & sic albedo inens Sorti ut unum de illis , per terminum , Sortes , significatur , sed præcipue ejusdem substantia.

Si contra solutionem insurgis , inquiens , duo falsa ex eadem elicē alterum , quod per terminum absolutum accidentia significantur , quod solis connotativis competit: aliud , quod si responsio vera esset , in hujusmodi propositionibus , Sortes est albus , aut calidus , aut magnus , & in consimilibus , semper nugatio committeretur : nam idem de eodem diceretur. Illa enim , Sortes est albus , huic æquivaleret , Sortes albus est albus , quod nugatio nominatur.

Huic objectioni per confessa à Bea- Responso ad
objectionem.

Objectionis
responso.

Alia obiectio.

Beato Thoma, in libello de Ente, & Essentia, prope finem, capitil tereti respondetur. Quod, ut ipse fatetur, quod animal, & qualecumque genus, significat indistinctè speciem, nam animal, non significat aliquam partem hominis, sed totum id quod est homo, ne duæ distinctæ essentiæ in homine esse dicantur, nisi quod per dictiōnem, animal, confusè, indistincteque species concipitur: quia animal ut materia est, cui homo, aut equus ut forma additur per intellectus considerationem. Sic per individuas dictiōnes Sortes, & Plato, & alias hujus messis, accidentia, quæ principium individuationis sunt, intelliguntur, confusè tamen, ut species in genere. Non ergo est nugatio prædicari Sortem implicitè, & confusè, indistincteque significantem albedinem, de albo distinctè explicante albedinem. Ut non est nugatio prædicari animal, de homine confusè significato per dictiōnem, animal. Neque etiam sequitur esse, Sortes, terminum connotativum accidentaliter, quia per eum significatur confusè albedo, sed tantum albus, qui expresse dicit accidens, quod afficit. Ut neque est terminus connotativus essentialiter animal, quia per illum confusè significatur homo, qui quasi forma animalis est, sed tantum rationale, quod expresse dicit differentiam essentialē hominis.

Relata indocta collatione, deductos usque in præsens ævum, non qualescumque viros lego, sed doctissimos, piissimos, ac acerrimi ingenii summos Theologos, ac tam levi cavillo deceptos (nescientes nexus ejusdem dissolvere) in fermè impios incidisse laqueos, qui alias sanctitate eximia comprobati scriptores sunt. Inquiunt enim prædicti, quantitatem accidens esse, &

*Doctissimos,
ac piissimos
viros seductos
esse levi ca-
villo.*

Tom. I.

Deo non licere separare eandem à re quanta: neque relationem accidens etiam à fundamento, vel termino, neque materiam à toto composito, nulla potiori ratione impietatis assertæ partes tuentes, quā supra relata, scilicet, sic illa impossibilia esse, ut hominem seclusa albedine album esse, aut aquam seclusa frigiditate frigidam dici. Hæc enim implicare existimant, & sub posse non cadere, indeque illud genericum eliciunt, Deo conditori minimè concessum esse, causam formalem supplere. Ubi, ut prædixi, seducuntur, non respiacentes dispare multò esse collationes illas, ubi potissimum omnima da similitudo futura erat, si ratio ullius valoris fuisset. Namque cùm assumunt impossibile esse, quid albus sine albedine dici, vera dicunt, & non aliud, si intellexissent, quā impossibile esse duos lapides constituentes dualitatem, esse si alterum corrumpatur. Ut enim duo lapides duæ entitates distinctæ sunt: sic albedo, & album, & frigidum, ac frigiditas, duæ entitates sunt, constituentes album, & frigidum. Et cum statim subsument, ergo neque pater sine paternitate, neque quantitas sine re quanta, neque materia sine forma esse valebunt, duplicitè peccant. Primò, petendo principium, sumunt enim ut verum, quod probare tenentur, & de quo est tota dissensio. Vel aliud deterius committunt, quod in exemplo albi, & frigidi sumunt substantiam, & accidens, quod est totum denominatum, & in exemplo quantorum, & relativorum, & materiae, sumunt partem subditam, & quæ subjectum tantum est, quo enorūmissimè labuntur. Porrò, quis non noscit, quod si nominalis verarum entitatum inquisitor, & fictarum explo-

T. 2

for,

sor, cum reali (sic dicto, quòd multas fingat, quæ non sunt res) disputans, apertè, ac ingenuè negat quantitatis à re quanta, relationum à fundamentis, & terminis distinctiones reales, sed tantum intellectus consideratione, quòd argumento realis dicenti, ut album esse, neque dici potest sine albedine, ita neque quantum esse, nec dici poterit sine quantitate, non sit in promptu ei responsio consequiæ negatio, dissimilitudinem patulam in medium ducendo, quòd vel quantum à reali appellatur, quod ex substantia, & quantitate accidente resultat, & sic peti principium à reali, illud enim negabat nominalis, quod inter disputandum ut verum supponitur à reali. Aut quantum subjectum tantum affectum quantitate, sed sine ipsa dicit, & pejus, ut dixi, delinquit, quòd collationem facit substantiæ tantum subditæ quantitati non consideratae, albo, quod aggregatum ex albedine, & substantia est, in quo latet universus error: quippe si ut tantum substantia sumitur in exemplo quanti, ita tantum substantia sumeretur in exemplo albi, non impossibile esset (immò statim eventurum, cùm album transit in nigrum) quòd album sit sine albedine.

Detectitur antiquorum error, quo distinctiones reales inter multa fingeant.

Utque palam pateat antiquorum, & neotericorum deceptio, in medium ducere volo modum, quo similitudines illæ, quibus illufi sunt, validæ essent, ubi nomine singulare utar, ut omnis cavillus deleatur. Similitudines, quibus decipiebantur, hæ sunt. Ut Petrus non potest sine albedine dici albus, sic neque idem sine paternitate dici pater, neque sine quantitate quantus: ergo ut non potest auferri albedo à Petro, ipso manente albo, sic nec paternitas, aut quantitas ab eodem,

ipso manente quanto, aut patre tolli poterit. Quæ consequentiæ, si scientiam genituræ essent, sic formandæ forent: Ut Petrus non potest sine albedine accidente à se realiter distincto dici albus, sic nec idem sine paternitate, aut quantitate accidentibus à se realiter distinctis dici poterit pater, aut quantus. Quæ consequentia bona esset, sed negaretur quod à reali sumitur ut verum, putà quantitatem, aut paternitatem distingui realiter à Petro, ut albedo. Quin paternitatem Petri nihil aliud esse, quam genuisse filium, qui vivit, & quantitatem ejusdem esse ipsum taliter se habere, ut partem extra partem habeat, nominalis verè asseverabit. Hæ ergo, quæ veræ sunt, paternitas, & quantitas minimè sejungi à Petro poterunt, ipso patre, & quanto manente: ut neque albedo ipso albo nominato. Petrus quippe minimè pater dici poterit, interempto filio, quem generat: neque idem quantus appellari valebit, universis partibus ejusdem in puncto coëuntibus. Et ut albedo accidens realiter distinctum à Petro sejungi potest naturali actione ipso manente vivo, ita ab eodem quantitas, si accidens realiter distinctum à re quanta esset, corrupti posset: & paternitas etiam si accidens differens à patre esset, sejungi ab eodem valeret, vivo filio, quod implicat, esset enim pater, quia filium, quem naturaliter genuit, habet: & non esset pater, quia deesset illi paternitas, sine qua ex confessis adversiorum pater esse non potest, vel in aliud inconveniens laberetur adversus, quòd si adhuc sejuncta paternitate, & filiatione, pater, & filius dicerentur, & essent, incassum genitas fuisse illas relationes, dicemus.

Ex quo sequitur deinceps interdi-

*Interdicitur dicendam sententiam illam, certis-
quædam sen- simam à multis creditam, quæ au-
tentia, ut que pias aures of- res pias offendit, substantiam non
fendit.*

possit per Dei potentiam sine quantitate accidente realiter à substantia distinto, distantes partes habere, quod id proveniat à causa formalis, quam ipse supplere non potest. Nam si id dixissent, ut qui significassent, quod quam maximè à natura divina distet, ac alienissimum sit, ipsam esse formam alicujus entis, certa, & vera, ac indubitate referrent. At si inquiunt à quantitate jam quod à quanto distasset oriri substantiae subjectae partium distantiam, quod quantitati ut causæ effectrici competenteret, à Deo suppleri non posse, impium esse mea ruditate censerem. Confiteor tibi pater domini cœli, & terræ, quia abscondisti hæc à prudentibus, & sapientibus, & revelasti ea parvulis. Ita pater, quoniam sic placitum est ante te.

*Quantitatem
non posse dici
distinctam à
re quanta.*

Secundò infertur, in præsens, nec in posterum minimè opinandum, quantitatem accidens esse distinctum à re quanta. Nam ratio illa adeò validissima ut vetustissima, sine quantitate substantiae partes sic distaturas, ut eadem distant, indeque superfluam esse, jam non, ut solita erat solvi, poterit. Tollebatur enim à Deo Omnipotenti potestas illa, quæ nullam contradictionem eventibus inferebat, putà, sejungendi quantitatem à te quanta, concessa, quæ singebatur, distinctione reali inter utraque, quod deinceps rerum conditori reddendum, qui dictata si vera sunt, sua potentia à veritatis æmulis tueatur: si falsa, deleat, ac dictanda suo sanctissimo spiritu illustret.

*Confutatur
quædam solu-
tio, qua cre-
ditur validi-
z nominaliū ra-*

Porrò ab admittente eventum, quod Deo liceat sejungere quantitatem à re quanta, & consitenti differre utraque, ut subjectum, &

accidens, non sufficienter solvit *tionem pro-
bantem quan-
titatē effe idē
rei quante-
solvit.*

objectio illa recensita, scilicet, partes distaturas ut prius, ergo incassum à Deo fuisse productam quantitatem, sine ipsa rebus quantis non alium modum servaturis, quam ipsa præsente, & afficiente substantiam, dicendo, qui respondit, non superfluè genitam quantitatem, quod Deus seclusa ipsa, vices ejus suppleret. Ut non dicitur incassum Sol creatus, quod ipso in nihilum redacto, potuisset Deus mundum illustrare, nam dissimillima est etiam hæc collatio, ubi si solutio ullius valoris esset, simillima futura erat, quod nominalis inquit, secluso quovis miraculo, præter corruptionem illius accidentis appellati à reali, quantitas, Deo concurrente non aliter cum creaturis, ut solitus ante corruptionem quantitatis erat, partes substantiae sic ut prius distabunt, ergo incassum genita est quantitas, qua distent. Quæ adeò exactissima collectio est, ut responsionem non patiatur, & dissimillima illi respondentи argumento, si Sol esse desuisset, & Deus miraculo illustrasset mundum, incassum esset genitus Sol, quod in hac ultima sumitur, & Deus miraculo illustrasset mundum, quod in priore non referebatur. Ideoque ista ultima solvi facillimè poterit, & non prior, reddendo rationem creationis solis, ne Deus, ut immediata & singularis causa, teneatur illustrare mundum, qui à sole solitus erat illuminari, Deo ut universali tantum causa concurrente.

Dices fortassis, quod si illud exemplum Solis non fuit sufficiens, alia multa inveniri possent, quæ sufficiant: putà, si Deo placuisset, non indigere homines oculis ad videndum, neque naribus ad olfactum exequendum, neque auditu ad audiendum, & quod sine his actus

*Alia solutio
quoque explo-
ditur.*

tus illi effici possent , partibus illis corio , & carne tantum fabricatis, ubi anima posset affici , ut nunc informando oculum afficitur , & quod nec ob id, haec organa incassum fabricata esse , est existimandum, quod sine illis operationes sensitivæ exequerentur. Ad cuius normam adversus diceret, res quantas etiam partes distantes posse habere sine quantitate , tamen quod Deo placuerit , non sine ipsa substantias corporeas , & accidentia partibus distantibus esse.

Evasio qua-
dam impro-
batur.

Quæ evasio exigui momenti est. Nam etsi fateamur , Deum , illud, quod retulimus , efficere posse , & infinita alia multò relatis difficultiora, negamus tamen frustra, ut nunc sunt facta , esse condita. Non enim immerito , sed quia scilicet , pulchriora animalia , iis , quibus ornantur, organis sensitivis incedunt, quam sine illis , quod in quantis dici non valet, non enim pulchrius, neque deformius , quantum esset, si partes sublata quantitate distassent (si ipsa , ut fingitur , esset à re quanta distincta) quam si sine illa partes diversæ diversum ubi haberent , indeque cæteris paribus pluralitas esset vitanda , ut ratio nostra probabat.

Solvitur quod
dam argumē-
tum quod ex
nostris afferio-
nibus elicetur.

Jam ex nostris assertis argumentum adversus nos fortassis elicies. Qualiter mihi visum nuper sit , nimirum tribuendum naturæ rerum, cum jam egomet fatear, ideo sensus hos exteriores sic fabricatos , quod pulchrius animal his sit , quam eisdem orbatum. Nam aut illa pulchritudo ex natura rei est, aut ad Dei libitum. Si ad Dei voluntatem entia pulchra , & deformia sunt , (dicit adversus) posset Deus fabricare hominem sentientem , & intelligentem sine organis , quæ conspi ciuntur , & ipsos quoque efficiere pulchriores , quam nunc sint , con-

ferendo pulchritudinem insigniorē quam humana est, ruditati illi, & auferendo pulchritudinem ab elegantia hac : quod cum effecisset , & hominem absque organis sensuum sentientem tamen fabricasset , pulchriorem esse illum homine , qui nunc gignitur , compellendi esse mus dicere. Indeque ratio nostra, qua frustrè esse factam quantitatē ostendebamus , diluetur , vel in aliud divisionis membrum compellendi sumus incidere , fatendo scilicet , pulchritudinem ex natura rei talem esse. De quo Plato in dialogo Hippiae majoris non pauca sub persona Socratis disserit. Et sic incidendo in ea , quæ improbabamus, capiemur. Nam pulchrius esse quantitate accidente distare partes, quam sine illo , proterviet nobis contrarius.

Hoc argumentum in præsens propositum nullius vigoris est. Quamquam , ut statim ostendam , tangit non adeò leve dubium , ut magna discussione non indigeat , prius offensa facilitate solutionis relatæ rationis, quæ hæc est. Porrò si quantitas albedinis , aut saporis , aut cūjusvis sensibilis proprii , seu ipsius corporeæ substantiæ quantitas sic nos seorsum affecisset fine sensibili bus propriis , ut cum ipsa quantitas auferretur (manentibus partibus ubi prius quam esset ablata sitæ erant) aliter immutassent relata, proterus dicere posset , sibi elegantiorem videri albedinem , accidente illo , quantitas , dicto quam sine illo : & alia accidentia plus cum quantitate , quam sine illa arridere sibi. Verum cum non aliter esset immutaturum ullum ex illis accidentibus sine quantitate , quæ esse fingitur distincta à quanto , quam cum illa , dum partes distassent , Deo jubente , nam illa seorsum numquam sensata est , certissime ostendit.

ostenditur incassum genitam esse.
His missis, accedo aliud, quod
promissi, innuere, non enim hic
locus decens est, ut dubium hoc,
de quo jam ago, omnino enucleet.
Nempè dubium ingens vide-
tur, an si (verbi causa) homines non
iis, quibus formantur effigiebus,
essent configurati, sed alterius mo-
di, putà, ut suprà dicebam, facie
spherica, & corio universam te-
gente, hiatu unico dumtaxat ad
gulam usque cavato, quo alimen-
ta in ventrem devorarentur, pul-
chriores simplicitè essent, quam
nunc, iis elegantibus instrumentis
sensuum formati. Et quod dubi-
tandi occasionem infert inter multa,
hoc est, Deum conditorem om-
nium, adeò liberum esse, quòd
sic, ut illi placet, omnia genita sint:
cui voluntati subesse quoque vide-
tur, nonnulla creata elegantia esse,
alia turpia, prout illi placuisse,
eandemque creaturam, quam affa-
brè, aut pulchrè fabricatam dici-
mus, ut sentimus, efficere Deum
posse esse turpem, appareat, ut illi
liceret terræ à prima creatione af-
cendendi vim concessisse, & igni
descendendi: etiam adeò diversam
hominum opinionem inter alias, &
alias gentes de pulchritudine huma-
na versari, ut apud Cyclopas, si
qui fortè sunt, nos foedi censemur,
& monstra nuncupemur. Et ab Indis parum ante nostrum or-
tum inventis, primi Hispani visi
fortè turpissimi censemur. Usus
enim, & consuetudo assuefendi
cum Hispanis illis imperantibus,
fortè coëgit jam eos pulchros ha-
beri nunc, qui olim foedissimi exis-
timabantur. Etiam, ne domestica
omittamus exempla, dum in alium
orbem migramus, inter unius ci-
vitatis, ac unius domus incolas non
pauca jurgia, & contentiones pas-
sim oriuntur inter disceptandum,

quæ foeminarum sit pulchior: non
nullis dicentibus Isabellam pul-
chriorem Anna esse, quin hanc de-
formem, aliis oppositum proter-
vientibus, nullis alium quām Deum
arbitrum permittentibus. Cujus re-
lati dubii exactum examen, ut præ-
dixi, alio loco differo, prædictis
sufficientibus, non tantum pro præ-
senti loco, sed & pro quodam in-
frâ tractando, cùm de eductione
formarum de potentia materiae a-
gemus ubi obiter forsitan id absolve-
mus.

Fortassis rationi ductæ respon-
debis, quòd si accidisset quantita-
tem sejungi à re quanta per Dei po-
tentiam, quamvis partes distassent
sine quantitate, ut solitæ erant cum
eadem, insignior quantitatis effec-
tus deesset, putà occupare locum,
nam secum aliud corpus toleraret,
à quo alienissima esset, res quanta
si quantitate esset affecta, & hunc
esse insigniorem effectum quantita-
tis dices, quòd probat id, quòd
sejuncta quantitate, non posset
Deus tribuere illi, à quo ablata es-
set quantitas, ut locum occuparet,
ut præfatus dominus magister (quem
ego subticui) dicebat. Sed certè
(falva reverentia tam illustris viri)
alienissimum hoc est à captu homi-
num, & rationi contrarium. Quis
enim credere poterit, si Deo pla-
cuisset, non posse ipsum, conferre
quanto, à quo ablata est quantitas,
ut nullum aliud quantum secum
toleret, re ipsa adeò factu levissi-
ma, prout intellectus concipit, ut
n'illi facilitate cedat? Quin naturæ
substantiarum habentium partes ex-
tra partes hoc proprium esse, quòd
non admittant aliam secum sub-
stantiam quis ambigit? Angeli enim,
& cæteræ substantiæ separatae secum
admittunt alia quanta, quia non
habent partes extra partes: quippè si
sine quantitate possent partes dista-
re,

re, & res alias in eodem loco admittere, aliqua entia sic creata fuissent, ut jam essent substantiae, quae nullam partium distantiam haberent, neque locum occupassent, ut Angeli, & aliæ oppositæ, quæ partium distantia, & occupatione loci differrent, ac mediae, quæ non occuparent locum, & partes distantes haberent. Dein nulla contradictione, neque repugnantia ulla ex illo eventu sequitur: ergo quod fieret, nulli dubitandum, si Deus velit. Tum maximè, quod si corpora beatorum, quæ visione divina fruuntur, ut sanctissimæ genitricis, non occupant locum, quæ prius dum vivebant, occupabant, id in gloria, non aliter habuisset, quam per ablationem quantitatis. Si iterum in mundum illorum aliquod illaberetur, non video, quod obstat, quominus Deus posset illi conferre vim occupandi locum, ut prius, nedum restituta quantitate, neque aliquod impossibile simpli- citer ex hoc sequi, assequi valeo.

Neque ejusdem doctissimi authori ratio, qua convincere nominales existimat, ullam firmitatem habet. Ea est, si quantitas non differret à re quanta, sequi materiam suam quantitatem habituram, & formam aliam, & accidentia diversa ejusdem compositi etiam alias, quæ omnia nominales fatentur. Indeque ulterius sequi, quod tam multa quanta penetrativè se haberent, cum tam materia, quam forma, quam accidentia compositi simul in eodem loco essent. Et ultra, quod si iis quantis non repugnasset simul in eodem loco esse, nec duos lapides, aut duos homines esset impossibile simul eundem locum occupare. Et consequens esse falsum, eventus probat, ergo antecedens. Facile enim nominalis solvit, inquiens substantias

quantæ, natæ per se existere, convenire, secum nullum quantum sui prædicamenti posse tolerare, quod accidentibus abnegatur, possunt enim accidentia quanta quotquot fuerint, penetrativè cùm substantia etiam quanta esse: & nulla substantia quanta nata per se existere, ullam ejusdem naturæ in sui loco patietur.

Certè si relata ratio ducta contra eos, qui testantur quantitatem à re quanta distingui, in inventorem retorqueatur, haud facillimè, ut opinor, solvetur. Inquit quippè author citatus, quod reales facillimè solvunt illam objectionem, negantes diversis quantitatibus esse quanta accidentia, & ipsam substantiam, quin unica quantitate esse quantam substantiam, & accidentia, quæ ei insunt: indeque non posse inferri adversus realium opinionem, quod penetrativè multa quanta eundem locum occupent, ut contra nominales illatum est. Nam si ad amissim ratio relata perpendatur, ac probè examinetur, in idem impossibile cogit incidere eos, qui unica quantitate substantiam, & accidentia, quæ insunt, esse quanta dicunt, ut qui diversis, nisi ut nominalis solvit, rationi responsio reddatur. Ut enim qui partes realium tuetur, infert, quod diversis accidentibus, quantis existentibus singulis propriis quantitatibus, & substantia quantitate ab his diversa, etiam quanta existente, penetratio dimensionum introducitur: sic ego, qui nominalium partibus faveo, dico, idem quantis realium eventurum. Si enim (exempli gratia) lignum bipedale quantitate bipedali quantum est, & ejusdem accidentia eadem ligni quantitate quanta sunt, & non minus quantum unumquodque illorum, ob id, quod unica quantita-

te quantum est, quām si diversis, neque minus illa unica quantitas apta efficere, quod distent loci latera, quam si diversa sint: ergo si in quanto nominalium sequitur dimensionum penetratio, etiam in realium quanto, eadem inferenda est.

Probatur non plus inconvenire, unica quantitate quā pluribus res quantas esse.

Certè nihil interest, an unica quantitate quantum sit lignum, & sua accidentia, an diversis. Quia pluribus res si illud interesset, sequeretur, quod si Deus unam numero quantitatem innumeris substantiis quantis, quas noviter creasset, indidisset, ita ut illud, idemque numero accidens in pluribus subjectis esset, quod illæ universæ substantiæ simul esse, & penetrativè possent, quod unica singulari quantitate participant, & non diversa. Non enim ob aliud realis existimat, simul esse accidentia diversa in eodem subjecto absque dimensionum penetratione, nisi ob relatam causam: sed illud impossibile videtur. Nam si quodvis illorum quantorum à Deo creatorum quantis iis, quæ nunc sunt, proximaretur, & per vim locum alterius quanti occupare niteretur, alterum quantum necessariò à proprio loco expulisset: ergo, & quodvis etiam illorum quantorum noviter genitorum etiam aliud germanum expellet, quod etiam illorum quodlibet suum proprium locum occupat, ut quæ nunc sunt. Et non est major ratio unius quām alterius: nisi cognitionem ullam credis inesse illis quantis, qua quæ participant eadem quantitate tollere volent, & simul cum eis esse, & reliqua quanta non: quod quām ingens dementia sit, omnes novere.

Sed de his non plura, ut examini subjiciamus, an verum sit aliud exemplum realium, scilicet paternitatem à patre distingui realiter, &

Tom. I.

non posse esse patrem sine paternitate per Dei potentiam: neque similem absque similitudine relatione realiter distincta à re, quæ similis est, & sic aliorum quodvis relativorum. Et verum hoc non esse, paucioribus, ac certioribus quām possumus rationibus ostendamus. Quamvis non ignoremus tām à Gregorio Ariminensi primo Sententiārum, distinct. 28. quæstione 2. quām à multis Doctoribus: & præsertim in codicibus nuper editis à citato Authore non ruditer esse hoc negotium tractatum. Sed quia, ut reor, aliqua addam, quibus certum omnibus deinceps erit, actum esse de decreto realium, ideo placuit hīc ea exarare, quæ non parum conducent ad abolitionem materiæ primæ illis, qui candido pectorē hæc legerint.

Sit prima ergo ratio ejusdem formæ, cum ducta contra testantes quantitatē distingui à re quanta. Si Deus abstulisset paternitatem à patre, manente filio, an diceretur alter pater, & alius filius ejusdem, ablata filiatione, relatione, an non? Si dicatur quod sic, incassum ergo productæ fuere illæ relationes, quæ nulli usui erant futuræ hominibus. Seclusis enim ipsis, pater appellaretur, & esset pater, ut cum illa: & filius eodem modo. Si dicatur, quod neque unus pater, nec alter filius nominaretur, & esset, sequeretur aliquem esse naturaliter genitum ab aliquo, qui non discessit à vita, & non dici filium ejusdem, nec se patrem habere, quod implicat contradictionem. Consequentia est nota, de filio illo, cui ablata esset filiatione, & à patre paternitas relationis. Si dixeris nimirum sequi hoc impossibile, quia ex impossibili sequitur quodlibet, neque hoc quicquam vitabis: quia vel impossibile naturæ auferri relationem à funda-

mento, & termino manentibus ipsis esse putas, vel etiam absolute, & Dei potentiae non subjici. Si primum scitum est impossibile naturale, impossibile etiam naturale inferre, & non quod contradictionem, ut relatum, implicat. Si secundum, ut qui has distinctiones relationum introduxerunt, opinati sunt, in foribus offendent rationem illam validissimam sibi adversantem, Dei potentiae subditum esse, ex quibuscumque duabus rebus realiter distinctis, alteram posse separare ab altera: dum una ex his Deus ipse non sit, aut alterius pars, indeque inferri, cum paternitas à patre, & filiatio à filio distinguuntur ex adversariorum confessis, posse relationes destrui, terminis manentibus. Minime enim ratio hæc inanibus verbis solveretur, quod illa, quæ contradictionem inferunt, Deo non subjiciuntur, & hujusmodi fore patrem esse sine paternitate, aut filium sine filiatione, ut album sine albedine, aut calidum sine calore: ideoque Deum facere non posse filiationis, aut paternitatis sejunctionem, manentibus patre, & filio. Nam, ut audistis, in illis, quæ mox de quantitate egimus, dissimilimæ sunt istæ collationes, verum enim est calidum significans substantiam, & calorem afficientem esse non posse, altera partium remota: ut homo corpore, aut anima sejunctis, homo manere nescit. Secus si referretur an corpus manere posset, anima seclusa, aut vitrum frigidum, ablato frigore: ubi tantum subjecta manere finguntur, formis abjectis: quod nullus quantumvis demens insciabitur. Ergo similitudine servata, Sortes manere valebit, paternitate ejus, quæ patris forma, & qua pater nominabatur, corrupta. Capere enim minimè valeo, quo furore

acti, ausi sunt nonnulli à Dei potentia auferre effectum illum, quem interitus filii assequi potest. Faten-
tur certè paternitatem amitti absque ullius ope interempto filio, Sorte patre manente: & negant eandem per Dei omnipotentiam à patre dividi posse, filio vivente: quasi effectus ille, putà paternitas orta à filio, & patre in patre, vel à solo patre, aut à solo filio in eodem patre, Deo invito ipsis viventibus, producendus sit, catholicis omnibus, qui rectè sapiunt, scientibus, Deum liberè concurrere in cuiusvis creaturæ productione, indeque attestari compulos, posse ipsum in generatione filii concurrere ad illius substantiæ creationem, & suorum accidentium præter filiationis productionem, ubi usu veniet, esse filium sine filiatione: ratioque statim dicenda, vim tantam habebit, ut solutionem non patiatur, quid scilicet, conferret relatio, cùm si-
ne ipsa homo ille sic filius, ut cùm eadem esset, & diceretur: & pater eodem modo pater etiam appellaretur.

Error universus illorum, qui relationes, & quantitates, & alia à substantia non distincta, distinguuntur, ortum traxit ex similitudine nominum concretorum, quæ accidentia realiter à substantia differentia connotant, ut album, calidum, dulce, & alia consimilia ad quantum patrem figuratum, sedentem, currentem, & alia hujus formæ. Cujus parelenchi, ac cavilli tricam explicuimus in his, quæ de quantitate mox tractavimus.

Et ne deinceps hic error antiquus inter Physiscos versetur, ut quosdam modos habendi substanciæ, quæ est primum prædicamentorum, & sine quo alia non essent, ut Aristot. in cap. Prædicamento-
rum testatur, accidens realiter dis-

tinguitur una
dē realium er-
ror ortū tra-
xit.

Dua methodi
quibus cog-
noscentur ac-
cidentia rea-
liter differen-
tia à substanci-
tia hic exarata
tur. in manu

tinctum ab eadem existiment, sed ea tantum accidentia realia esse sciant, quae talia sunt, quandam genericam methodum propono, quae hujusmodi est. Illa tantum habenda sunt accidentia realiter distincta à substantia, à quibus si homo parte sensitiva afficeretur, notionem novae rei sensisset, dum tamen talia non sint, quod in hominis potestate situm sit, ea eundem gignere. Hanc conclusionem sic probo. Ideo distinctas res esse, quae sunt, sensibus cognoscimus, quia vel diversis in locis contineri ea percipimus, & sic singulares substantias Sortis, & Platonis, & hujus lupi, & illius lapidis, & aliorum similium differre realiter sci-mus, quod non simul, ac penetrativè se habeant, sed quodvis illorum singularium sejunctum ab alio sit, vel quod res penetrativè se habentes, ac simul existentes, aliter nostros sensus afficiant. Ideo enim albedinem lactis distingui à dulcedine ejusdem, judicamus, quod oculis percipimus nitorem albi, & gustu dulzorem lactis: quae si idem in lacte essent, oporteret alterum ex judiciis deceptorium esse. Nam nullus albedinem, dulcedinem esse testatur, sed quodvis ab alio differre, vel quod altero corrupto, aliud maneat, etiam distincta esse opinamur. Quo intelligimus substantiam Sortis non esse suam albedinem, quod ipso manente, suus color variatur. Et eadem ratione cognoscimus ipsum non esse suum odorem: & alia, quae à substantia distincta sunt, hoc methodo intelligimus. Verum cum in his duobus ultimis modis cognoscendi distinctiones rerum, non raro decipiuntur, quia quod idem alteri est, sàpè per alium modum se habendi rei, cui idem est, corrumpatur modus, re ipsa manente, ut figura, & quan-

titas, & situs, & relativa omnia, quae ex praedictis resultant, ut propinquum, distans, simile, dissimile, & alia hujus generis passim variantur, substantia manente, quae idem cum illis est, ideo à nobis additum est, ea tantum differre realiter, quae cum aliter immutant, non quia ad nostrum libitum varia-ta sunt sic diversimodè afficiunt, sed per aliquam naturalem vim. Nobis enim licet ceræ, aut luti, aut aliarum rerum quantitatem, & figuram, situm, & ubi, ac alia relati-va variare, substantia eadem ma-nente. Quo intelligitur, haec, quae sic ad libitum nostrum diversa fiunt, & si aliter immutent quadrata quam rotunda, & parva quam magna, & in tali loco sita quam alibi, & talem ordinem partium habentia quam alium, & propinqua quam distantia, non propter hoc dicenda diversa à colore figu-rato immutante visum, vel à calore affiente tactum, vel à sapore dulzorante gustum. Et de aliis modis accidentium, & substantiæ per eundem modum discurrendum. Ca-lorem tamen qui senserit, certè asse-verare poterit, distingui à substanc-tia calefaciente, quod in hominis potestate non est caleficere ceram, aut lutum, aut aliud quodvis, nisi ipsa ab alio naturali vi ca-lefiant. Saporem etiam qui gusta-terit, indubitanter testari poterit, distingui à substantia, quod non licet homini rem ejus saporis effi-ce-re, cuius est, ut licuit illi eandem rem illa figura induere, quae homini placuit. Et odorem identidem alium esse à substantia odorata pro-feremus, quod nobis illicitum sit rem putidam odoratam reddere, sola nostra opera, ut licuit quan-titatem, & situm, nostro labore tantum variare. Colorem quoque differre à substantia credimus, quod

nobis permisum non sit , rem albam in nigrum vertere , sine ullius primæ qualitatis inductione , calore scilicet , aut frigore , humiditate , aut siccitate. Aliquid reale etiam induci ab objecto viso , vel gustato , vel olfacto , aut auditio , vel tacto in facultates sensitrices , etiam certè scimus , quòd nobis invitit , organis debitè dispositis , velim , nolimus , sentiamus relatorum sensuum objecta. Neque immērito , qui relatis methodis ducuntur , à vero non deviant , ut delirant , qui in nostra potestate sicutum esse credunt , gighere non solū innumera accidentia , sed & infinites infinita , ut parum infra deducam. Nam ad modorum substantiarum , vel accidentium realium distinctionem à substantia , vel accidentibus , sequuntur impossibilia , quæ ad quantitatis , quæ modus substantiarum , vel accidentium est , distinctionem realem à rebus quantis intulimus : & quæ ad paternitatis à patre differentiam colligi probavimus , & ultra inferemus : & illa , quæ ad dissimilitudinem relationum distinctam à re dissimili elicentur , quæ alienissima sunt ab aliis , qui tantum , quæ diximus distinguiri realiter crediderunt. Ipsa enim potissima ratio. Si Deus abstulisset quantitatem à re quanta , & figuram à re figurata , & relationes à fundamentis , & terminis , & alia hujusmodi , res manerent sine illis ut eisdem affectæ in rebus coloratis , aut calidis , aut dulcibus , aut odoratis , aut lucidis , vel aliis hujus formæ , quorum affectuum nos domini non sumus , minimè currit. Ablata enim à substantia alba albedine per Dei potentiam , & nullo alio colore gigni ab ipso permisso , substantia visu cognosci minimè posset , ut dulcedine à substantia dulci corrupta , & aliis savori-

bus gigni interdictis , à gustu non caperetur. Et per eandem normam quæcumque ad immutandum aliquem sensum genita fuere , si in totum à substantia abolerentur , sensum , cuius objectum talis substantia est , non immutasset , & neque iis sejunctis , substantia esse delis-
set. Hæc ergo , quæ hujus messis sunt , meritò distincta à substantia credimus , quòd iis mediis , ipsa per sensus cognoscuntur. Sed quòd cerea substantia fingatur à Fabrocero-
rio quadrata , quæ ob longa erat , vel spherica , quæ heptagona præ-
fuit , opinetur physicus distingui realiter figuræ illas diversimodè immutantes à substantia , vel accidentibus immutantibus , vanissimum est.

Præsertim quòd qui acriter res intelligit , noscet etiam alio methodo substantiam corpoream in æternum non visam sine quantitate , aut figura , aut aliis sensibilibus communibus , aut similitudine , & dissimilitudine , proprinquitate , & distantia , & multis aliis relationibus , quod testatur esse hæc idem cum ea , ut quòd non paucæ substantiarum etiam corporeæ inveniantur ab omni colore expertes , ut Sol , & Stellæ : & aliæ ab omni sapore nudæ , ut aqua , & aër : & aliæ etiam nullum odorem reddentes , ut lapides , & ignis : ac aliæ ab omnibus primis qualitatibus spoliatae , ut cælum , testantur colores , & sapores , & odores , & qualitates primas differre realiter à substantia.

Sufficient relata ad tollendas antiquas lites inter reales , & nominales. Sed ne in mendacio deprehendar , & promissa minimè complens verè dici possim , paucis etiam expono illationem illam optimam esse , si relationes distinctæ à fundamento , & terminis essent , sequi infinitas infinitas relationes in quavis

2. Methodus.

*Alia ratio ,
qua relationes
tolluntur.*

re dissimili inveniendas esse. Quia sit Sortes dissimilitudine dissimilis Platoni, necessariò quoque relatio accidens dissimile futurum est ipsi Sorti substantiæ, & alia dissimilitudine diversi generis à priore, quòd in priore fundamentum & terminus erant Sortes & Plato, & in hac Sortes & sua dissimilitudo. Et ultra hæc secunda dissimilitudo dissimilis existens priori, & etiam Sorti substantiæ duabus dissimilitudinibus afficienda erit. Et jam quatuor dissimilitudines in Sorte essent, prioris subjectum immedioatum Sortes futurus erat, sequentis illa prima Sortis dissimilitudo, tertiae & quartæ secunda dissimilitudo, & per eandem normam infinitæ simul eliciendæ essent. Nam hæc tertia & quarta dissimilitudines etiam Sorti dissimiles sunt, quia illæ accidentia, & ipsa substantia, & aliis antecedentibus dissimilitudinibus dissimiles etiam, quòd ex aliis terminis resultant, quod sine dissimilitudine accidente contingere, ut adversi autumant, non posset. Et cùm hæc relationes infinitæ, ut dixi, mutuò & inter se dissimilitudinibus dissimiles sint, & illæ ultimæ prioribus, à quibus resultant, dissimiles quoque, & tertii ordinis relationes antecedentibus etiam, superest, verum esse, infinites infinitis dissimilitudinibus affectam esse quamlibet rem dissimilem, quod erat illatum promissum. Non enim solvit, qui dicit, in primis relationibus dissimilibus sistentium esse, quia illæ seipsis dissimiles sunt, cùm nulla illarum sine alia esse possit, ut potest esse res dissimilis sine alia, cui dissimilis est. Quia illa ratione anima, quæ dissimilis est homini, sine relatione dissimilis futura erat, quia homo sine anima esse non potest, & pars qualibet etiam toti dissimilis sine

accidente futura quoque erat.

Porrò ultra ea, quæ adversus illos, qui relationes distinctas à rebus, quibus insunt, fingunt, ducta sunt, unum supereft, quod me in admirationem non exiguum intulit, quomodo non vident illi, qui paternitatem & filiationem à patre & filio distinguunt realiter, & implicare contradictionem existimant, posse manere patrem ablata paternitate, & filium séjuncta filiatione: quòd in divinis pater & filius tales sunt absque accidentibus paternitate & filiatione? Si enim contradictione inferretur ex existentia patris sine paternitate, & filii sine filiatione, sub posse non caderet id Deo contigere. Et ne decipiatur qui opinaretur, multa Deo convenire, quæ minimè homini, neque ulli creaturæ citra implicitam contradictionem licent: ut ipsum esse creatorem infinitum, sapientissimum, & justissimum, sine termino, trinum persona, ac unicum essentia, & alia hujusmodi, ac per hoc putasset realis ipsi Deo convenire esse patrem sine paternitate, & creaturis sine contradictione concessa minimè, sciendum ut error hic à sic respondente tollatur, illa tantum ex his, quæ Deo tribuimus, implicare hominibus competere, quæ vel aliquod illorum si ipsi homini, vel alteri creaturæ convenienter, necessariò inferrent, illum, cui convenienter, Deum esse. Ut si aliquis fateretur creaturam aliquam posse sua facultate independente ab alio creare, ut Deus creat, necessariò colligendum esset, hujusmodi creatorem etiam Deum futurum, & suum mundum, cuius ipse creator & Deus esset, sub proprio imperio gubernaturum. Etiam cùm infinitè sapientem esse contigisset, necessariò conveniret arcaña Dei & hominum revelata sibi fo-

*Alia ratione
probatur re-
lationes non
distingui à fü-
damen-
tis
terminis.*

fore: nam creaturarum finitarum scientia finita futura erat, ergo expediebat etiam, quæ in Deo erant occulta, sciri ab illo, aliàs non infinitè sapiens dicendus esset, & infinitas vires intellectrices, & servatrices ipsum identidem habiturum, & hæc omnia ipsi à nullo dependentia eventura, ut Deo sapientissimo conveniunt. Etiam qui trinum persona, ac unicum essentia, esse aliquod ens præter Deum fatetur, necessariò quoque diceret id tale Deum esse, solius enim infinitæ virtutis est gignere aliam personam à se distinctam, & essentia eandem. Nam si gignere sibi similem infert aliquam perfectiōnem, quamvis genitum à generante essentia distinctum sit; & gignere sibi similius majorem perfectiōnem testetur, & multò similius majorem, & ulterius procedendo majorem: ergo gignere distinctum persona tantùm & non essentia, infinitam perfectionem, & infinitam vim genitoris inferet. Quia cùm necessariò genitum distaturum à generante futurum sit, (implicat enim aliquem seipsum gignere) & similitudinem servari inter genitorem & genitum vim genitoris testetur, & tantò majorem, quanto similitudo major est, necessariò ergo sequitur, qui generatione hac æterna poscente vim infinitam, adeò infinitæ virtutis genitus fuerit, futurus idem essentia ipsi genitori, quòd identitas maxima similitudinem est, & distinctus persona, quòd genitus distinctus à genitore necessariò futurus est. Tandem horum, quæ soli Deo conveniunt, quia solus ipse infinitus, & à nullo pendens est, nullum creaturis convenire potest: quia implicatio contradictionis ex eventu illo sequetur, esse scilicet, plures Deos, quod fide, & adhuc ratione impossibile

esse probari potest. Et fortassis id demonstrare nonnumquam molierimur: scibilis enim hæc est, Deus est, & unicus est. Et si fortassis hucusque, et si fide creditum sit, scientia assequutum non est. Multa autem alia, quibus Deo similes sumus, et si non omnimoda similitudine, ut esse patres, esse benevolos, esse pacificos, existere, esse, durare, & similia, convenire Deo & nobis implicat minimè. Ergo cùm Deus esse pater sine paternitate sine contradictione possit, inconveniet, ne aquam, & hominem posse sine paternitate etiam patrem dici.

Aberravit quippè quidam eximiū judicij vir, qui creditit relationes distingui à fundamentis & terminis, quadam leviuscula ratione convictus, cum idem primus alias distinctiones realium explorerit. Ratio talis erat: Impossibile est contradictorias successivè verificari de eodem, nisi propter motum localem alicujus rei, vel propter transmutationem temporis, vel propter productionem, vel destrucionem alicujus entitatis: ergo impossibile erit hanc animam dici nunc corpori unitam, cùm ipsa corpus informasset, & postea non unitam, cum eadem inibi, ubi prius, existens, Deo imperante, corpus non informasset. Nisi per corruptionem alicujus entitatis relativæ, appellatae unio, quia temporis variatio non sufficeret, ergo ut illam relationem esse compellimur dicere, ita & alias asseverare esse quoque tenebimus. Quæ ratio, ut ego reor, bino errore labat. Primo, quia illud, quod ultimò ut verum profertur, minimè verum est, putata, transitionem temporis non sufficere ad verificandas illas duas contradictorias, cùm ipse oppositum in majore supposuerit. Et ut possumus verè dicere, hodie sumus

Error cuiusdam acris ingenii authoris ostenditur.

in anno millesimo quingentesimo
quinquagesimo quarto, quarta die
Maii, & cras negatione præposita
toti propositioni, qua contradic̄
formaretur, verè dicemus nos non
esse in illa die sine ulla in nobis
variatione : ita cùm informasset
anima, verum esset eam dici tunc
informantem, & post minimè, sine
variatione ulla. Delinquit etiam in
alio, cuius, ut præteriti, neque Gre-
gorius Ariminensis distinctione 28.
primi Sententiarum, quæstione 2.
meminit. Neque alius, quòd sciam,
post eum recordatus est, quòd li-
ceat scilicet, corpore, cum omni-
bus suis accidentibus invariato, ac
anima etiam immota existente, di-
ci nunc informantem, & postea non
informantem. Non intelligens qui
hæc fatetur, implicate patulam
contradictionem. Nam si animam
informare aliud non est, quàm ip-
sam simul cum corpore sic affecto
existere, semper quòd ipsa præsens
fuerit corpori affecto, ut decet il-
lud, ut animam informantem sus-
cipiat, necessariò informare dice-
tur, aliàs relata non esset bona de-
finitio, & queratur ipsa sufficiens,
& tunc cùm corpori & animæ con-
veniant omnia, quæ in definitione
explicantur, necessariò dicetur ani-
ma informans, & corpus informa-
tum: & nisi horum aliquid defe-
cerit, corpus informari desinere
non potest.

*Improbatur
solatio que-
dam.*

Si dixeris in definitione infor-
mationis addendum esse, ut bona
definitio sit, dummodo Deus non
imperet animæ non informare. Di-
cam similiter ego, quòd in hac:
Homo est animal rationale, idem
addendum est, & quòd possit esse
homo, qui animal rationale non
sit, quia Deus noluit: quod quàm
absurdum sit, quis non videat? Scio
unde error ille admittentium even-
tum illum de anima corpori præ-
sente.

sente, & non informante corpus
benè dispositum, ortum traxit,
quòd orthodoxi confitemur omni-
potentem Deum, quem in quovis
homine, ac quavis creatura per es-
sentiā, & potentiam, & præsen-
tiā esse scimus, ipso invariato,
alium peculiarem modum essendi
habere in Christo mediatore, quam
in hominibus. Sed hæc non in con-
sequentiā ducenda sunt, cùm ta-
lia sint, quòd beatus Joannes Chri-
sti Precursor, se ea non intelligere
non tantum fateatur, sed neque
dignum concipere eadem se esse
existimet: cum profert, cuius non
sum dignus solvere corrigiam cal-
ceamenti. Sed de his non plura,
metas enim physicae transgredi-
mur. Sed orationis discursus nos
compulit adeò longè ab instituto
discedere.

Tandem ut omnes deinceps in-
telligant, nullas distinctiones inter
substantiam & relativa, & quanta,
aliaque multa appellata accidentia
versari, ut non pauci opinantur,
authorem illatum distinctionum
Aristotelem esse credentes, tam in
libro prædicamentorum, quàm in
multis locis Metaphysics, ideò
ejusdem authoris sententiam quan-
dam sat doctis & indoctis manifes-
tam in medium propono, qua nul-
lus non intelliget, eundem voluisse
complura ex prædicamentis reali-
ter commisceri, quamvis per intel-
lectus considerationem formaliter
distent, quæ in fine prædicamenti
qualitatis ab eo Argyropilo inter-
prete traditur, cuius series est:
[Non autem perturbari oportet,
si quispiam nos duxerit de qualita-
te tractantes complura eorum, quæ
sunt ad aliquid, cum qualitatibus
ipsis enumerasse. Habitus enim &
dispositiones ad aliquid esse dici-
mus. Etenim in omnibus ferè talibus
genera quidem ad aliquid esse di-

*Citatur Arist.
ut quod pa-
lam voluerit,
non distinguat
omnia prædi-
camenta rea-
liter ut hu-
cunque opina-
tum est.*

dicimus, singularium verò nihil. Scientia namque quæquidem est genus, hoc ipsum quod est alicujus dicitur esse, cujusdam enim scientia dicitur. Singularum verò scientiarum nulla id ipsum quod est alicujus dicitur esse, ut Grammatica non dicitur alicujus Grammatica, neque Musica cujuspam Musica, nisi generatione ad aliquid esse dicantur. Grammatica enim alicujus scientia dicitur, non alicujus Grammatica: & Musica cujusdam scientia, non cujuspam Musica, quare singulæ non sunt, ut patet, ad aliquid, at quales singulis his dicimur, quippè cùm & has ipsas habeamus. Scientes enim ex eo dicimur, quia singularum aliquas scientiarum habemus: quare singulæ erunt qualitates quibus & quales, qui eas habent, dicuntur, at hæc non sunt ad aliquid, uti diximus. Præterea si quid idem, & quale, & ad aliquid sit, in utrisque ipsum generibus collocari, enumerarique haud absurdum erit.] Quibus ultimis verbis expressè inquit Aristoteles, non esse absurdum, neque inconvenire aliquid simul in duobus prædicamentis esse collocandum, diversis animadversionibus: & ut scientiæ hoc usu venire asseverat Aristoteles. Ipsa enim in prædicamento ad aliquid ponitur, pro quanto relativè dicitur, id est, alicujus scientia, putà illius, cui inest. Et in prædicamento qualitatis, quia eadem scientes & quales appellamur. Minimè mirum erit quantitati, & figuræ, & aliis rebus idem contingere aliquo respectu in prædicamento qualitatis, vel quantitatis collocari, & alio in prædicamento substantiæ. Certè de contextu Aristotelico citato insurgit dubium, qua ratione Aristoteli vi sum sit, scientiam alicujus scientiam dici, & Grammaticam, aut Musi-

cam, aut Physicam, seu quamvis aliarum scientiarum non dici Grammatici Grammaticam, & Musici Musicam, & Physici Physicam relativè & ad aliquid, ut ipsa scientia in genere. Et mihi hucusque nihil satisfacit, sed merè ad placitum ejusdem dictum illud existimarem ego: ideoque aliam ultimam solutionem, quæ per me notata est, ad fatendum identitatem non formalem, sed identicam, inter nonnulla prædicamenta convictus Aristoteles fassus est.

Adeò multa interjeci, postquam abolere materiam primam à Physicorum opinione molitus sum, ut necessarium existimem, in memoriam legentium revocare rationem illam, qua eam delendam esse credo, hæc erat. Si materia prima pura potentia esse dicitur, vel formæ potentia, vel totius compositi, vel alterius entitatis à forma & toto composito, vel nullius rei componentis ens naturale mera potentia dicenda erit. Et cùm omnibus membris hujus divisionis præter unum discussis, nullum ex his dicere puram potentiam ostenderim, inibi inter probandum illud, coactus distinctiones reales quantitatis, & rei quantæ, ac relativorum, & aliorum omnium, quæ à corporeæ substantia non distant, factas esse ostendi, supereft ergo examini subjicere, quod supererat membrum, putà, an potentia totius compositi materia prima dicatur. Et neque sic dici posse, vel ex hoc probo, quod vel intelligunt illi ipsam in toto composito nullum esse habere, quam id, quod est totius, vel quid aliud. Sed nihil nisi primum dici poterit, omnia enim alia improba sunt, & illud minimè etiam verum est, ut ostendam, ergo nihil. Quomodo enim aliquid intelligi potest componere aliud, quod idem esse

*Iterum profer
quitur auctor
agere de ma-
teria prima.*

esse cum re composita habet: nisi illam rem compositam esse idem numero cum re componente intelligat, & sic partem componentem esse idem toti composito fatebuntur. Et formam non minùs quām materiam idem esse toti dicent, quod implicat. Nisi exprimere vellint materiam nullum esse per se subsistens habere, quòd tantum compositum subsistat, & solum per se esse possit, & nulla partium per se esse valeat: in quo sensu si materia esse concederetur, possibilia dicent. Et non plus de materia quām de forma præter rationalem hoc dicendum existimare debent. Fingere enim materiam ex se nullum esse habere, sed suum esse à forma illi conferri, & ex utriusque unicum ens resultare, à capti hominum, qui rectè sapiunt, alienissimum judicatur. Primo, quòd si forma dat esse materiæ, vel suum esse datura erat, vel aliud. Si suum esse, jam duæ entitates idem essent, non dico aliquod unum comparent, quia hoc omnibus partibus convenit, sed idem numero essent. Si enim meum esse dare alicui dicarem, quanquam videam id propriè dici non posse, non aliter tolerari existimo, quām si ego in pluribus locis per Dei potentiam simul essem: ergo si mea forma dans esse materiæ in relato sensu proferretur, materia esse forma diceretur, quia suum esse reciperet, quod implicat, ut etiam concipi non potest reputare aliquam entitatem creatam non habere esse. Benè enim sequitur, creata est, ergo est, quod si habet, ergo à forma non suscipit illud. Solvere enim, dicendo non sequi nisi est per essentiam, vel existentiam, & quòd materiæ essentia sit, & ejusdem existentia minimè, retrò id improbabimus, ostendentes tales distinctiones re-

les in rebus non inveniri. Si illud, putà materiam proprium esse habere, concedunt, eadem quæ nos de elementis fatemur, sine fictione rerum, quæ non sentiuntur, ab adversis proferuntur.

Ac alio medio ostenditur, vanissima fingere, qui (ut retuli) inquiunt, materiam à forma susciperre esse. Quia forma præter animam rationalem passim corruptibilis est, manente materia perpetua, ergo ab illa variabili, ipsa invariabilis in esfendo, perdere non posset: quod si à forma susciperet esse, statim ut servatrix forma corrumperetur, & materia corrumpenda esset. Potius ergo, qui materiam fingunt, eam tribuere esse formæ dicere debent, quām è contra, cum Aristoteles ipse 3. Metaphysic. text. comment. 12. proferat: [Si nullum æternum esset, generatio esse non posset.] Et nono Metaphysic. text. comment. 17. [Corruptilibus multò priora esse æterna.] Transmutationis enim principium potius futurum est, quod æternum fuerit, quām corruptibile, quin necessarium est perpetuarum transmutationum æternum principium esse, alias non esset, qui corrupta restitueret.

Fortassis opinaberis materiam primò dare esse formæ, cum à potentia ejusdem eliciatur, ac postea ex ea, & forma educta, resultare totum essentiale, quod non minùs delirium est. Primo. Quia, vel dare materiam esse formæ intelligitur aliquam portionem materiæ intrare compositionem formæ, & hoc esse non posset: quia sola forma talis posset sine materia subsistere, cùm ibi esset illa materia, quæ intravit formæ compositionem, & forma ipsa: ergo composita forma illa, ex materia, & ex seipsa ens actu efficeret. Ac aliud impossibile quoque

*Alia ratio-
ne improbat
ur esse materia
prima.*

*Improbatur
alia solutio,
que nostræ ra-
tioni impro-
banti fictione
prima mate-
ria exhiberi
posset.*

eliceretur, quod quodlibet corpus naturale ex forma, & dupli materia constaret: altera, ex qua ut ex potentia cuius educitur forma: alia, portio illa, quæ intrasset compositionem formæ. Aut creditur cum forma elici dicitur de potentia materiae: quod materia ipsa formam generet, ut calor calorem, & neque hoc esse potest. Primò, quod impossibile est perfectius ab imperfectiori gigni. Secundò, quod omnino contrarium hoc Aristoteli ipsi est, qui potius è contra accidere existimat. Tandem fieri non potest, ut intelligatur materia non habens esse. Quia si simplicitè non ens esset, non intraret compositionem entis, aut Chimæra, & Antichristus etiam intrassent entis compositionem. Vel si in alio sensu, in nullo, quam quod ipsa non possit naturaliter reperiri se juncta à forma, & unum per se constituens. Sed quod ipsa sit, & forma etiam sit, & neutra earum sine altera esse naturaliter possit, in formis, quæ educi dicuntur de potentia materiae: quod si daretur, jam in hoc sensu non peculiarius diceretur materia esse potentia formæ, quam forma materiae, neque forma dare esse materiae, quam materia formæ. Ac cum sic fingendo entia subsistentia corporea se habere, duo de prædicamento substantiæ, putà, materia, & forma, in quantumvis simplicissima elementari substantia coniungerentur, quæ compositio nullo sensu percipi valet, neque ulla intellectus ratione eam esse asseverare compellamur, ut in antecedentibus ostendimus, supereft acu rem attingere, qui ea figura abstulit, quæ nullæ rationi innituntur.

Veroque similius dixerit, qui principia corporeæ substantiæ mistæ esse elementa quatuor testaretur, ac illorum quodlibet corrupti om-

nino posse existimasset, corruptaque succedere elementum ejusdem speciei cum corruptente, ut retrò diximus, fateretur, hac enim assertione non singitur entitas, quæ nec scipiam ostendit, neque ullum sui ipsius effectum sentimus, ut cum materia prima facta machinatur.

Porrò capere nequeo, quæ à summis Theologis referuntur. Ipsi enim fatentur, elementa minime misorum compositionem ingredi, sed hominem tantum ex prima materia, & anima rationali, ut partibus essentialibus (qui unicam tantum esse credunt in homine animam) constitui: quod impossibile patulum, secundum meam sententiam, est. Si enim materia ex eorundem assertis nullum aliud esse habet, quam à forma, quam recipit: cum tantum animam intellectivam indivisibilem, non quantam, suscipiat humana materia, ut ii autem, undè homini quantitas, loci occupatio, corpus, & aliæ corporum passiones originantur? Nempe ab animæ intelligibilis, incorporeaque naturæ id materiae communicari impossibile videtur. Vero enim similius esset, eam materiae, quam informasset, collaturam spiritualitatem, si capax esset, quam corporeitatem. Si materiam primam corpus esse dixerint, & minime ab intellectrice anima illud suscipere testati fuerint, quin materiam corpoream esse causam, quod homo sit corpus, statim quæro, cum sub genere corporum materia prima contineatur, quale esse est illud, quod ab anima rationali ipsa recipit? Nam si corporeum recipere id, quod habeat. Si aliud, duo, esse, essent in quavis humana materia: primum corporeum, sibi nativum, & aliud incorporeum, ab anima collatum: quæ quantam impossibilitatem includant, nullus est, qui

qui non videat. Suspicor ego summos Theologos tot divinis rebus intentos, ac adeò deditos saluti humanarum animarum, contemptissime non raro naturalia ad unguem rimari, indeque nonnumquam lapsos fuisse.

Ratio quoque illa, qua sanctus Doctor, & quidam acris ingenii ejusdem expositor probare credit, ex modo productionis sequi ab infinita tantum virtute gigni posse substantiam citra ullius materiae ex qua suppositionem (salva tantorum virorum autoritate) exigui momenti est.

Ratio Doctoris sancti, qua opinatur probare non nisi agens infinitae virtutis posse generare formam non supposita materia.

Acilla haec erat. Perfectio facultatis productricis non solum pensculatur ex perfectione effectus generati, sed ex modo producendi, putata, quod citius alio, aut facilitiori modo producat, ergo quanto agens educit formam de potentia, magis ab actu remota, tanto majoris virtutis erit: & iterum si educit illa de nulla potentia, erit virtutis infinitae. Exemplum ponit, si ignis educat ignem de potentia materiae stupae, quæ est ligata sub contraria forma, & dispositionibus, arguit aliquam virtutem: sed si eduxerit illam de potentia materiae ferri, quæ sub dispositionibus remotioribus ab igne magis ligatur materiae, majorem testatur, ideoque parvus ignis non inflammaret ferrum: ergo producere ignem, nulla praesupposita materia, arguet infinitam virtutem.

Porrò ostenditur in multis deficere relatam rationem ab optima collectione. Nam prima consequentia eti bona sit in aliquo sensu sumpto consequente, secunda in eodem sensu bona erit. Sed minimè probat quod magister intendit. Et si consequens primæ alium sensum fecerit, prima consequentia neque secunda ullius valoris erit. Quippe

Solvitur superior ratio.

si consequens primum hoc significet, ergo quanto agens educit formam in eodem tempore cum alio in subjecto magis resistente, majoris virtutis erit, verum consequens est, & bona illatio, ac ex illo sequitur, illud agens infinitæ virtutis futurum, quod in instanti in passum resistens produixerit suum effectum. At si consequens illud primum, quod quanto magis resistit passum, tanto potentia materiae est magis ab actu remota, hoc dicat, quod quanto magis resistit passum, tanto minor entitas, vel perfectio, vel potentia materiae erit, quæ est collatura, aut adjutura aliquid ad productionem formæ, falsum erit. Quia neque confert materia illa prima facta quicquam ad formæ productionem, si enim conferret, ubi plus de materia esset, ibi citius forma inducenda erat, indeque elicetur, in ferrum inducendam prius formam ignis, quam in stupam, quod major multitudo materiae sit in ferro quam in stupa. Si enim materiae defectus, & abesse illam, esset causa, ut nisi ab agente infinitæ facultatis forma non induceretur, adesse materiam erit causa ut facilius inducatur, & quod eo facilius, quatenus plus materiae etiam fuerit. Neque ullo modo materia adjuvat agens inducens ex Aristotelis confessis, neque sequitur illam proportionem potentia materiae, quod ubi major resistentia, ibi minus de potentia materiae sit. Nam non major, nec minor potentia materiae esse in uno ente, quam in alio legitur apud Aristotalem, & Platonem inventores ejusdem, neque apud alium Authorem gravem. Quo enim modo ipsa materia, quæ nullius activitatis fingitur, cum tantum sit pure passiva, ut ab adversis confitetur, conferre a liquid agenti poterit? Etiam conse-

quens illud nequaquam sequitur ex antecedente, quia agens in materiam, quæ plus resistit, non magis educit de potentia ejus, quam in ea, quæ minus. Et jam quòd ita esset, quod verum non est, ut ex dictis, & dicendis constat, & patet, potius inferendum esset, illud agens futurum infinitæ activitatis, quod in materiam infinitè rebellem formam induxit, quam quod in eam, quæ finita resistentia dotatur, quod non negamus. Sed quid ad rem?

*Quæ formæ
dicatur educ-
tae de potentia
materiæ hic
affenditur.*

Cùm toties de eductione formæ ex potentia materiæ loquutus fuerim, compellor nonnulla de hoc negotio tractata discutere, paucioribusque verbis quam possim veritatem rei exprimere. Neminem enim hucusque legi, qui scopum attingerit. Et ne tot sententias referam, quot à diversis Doctoribus scribuntur (hoc enim facile intelligitur veritas nèdum assequuta) tantum recentioris, ac doctioris magistri sententiam proponam, quam improbablo, ac dein nostram omnibus notam faciam. Inquit ergo ille insignis vir post improbatas à se omnes formarum inchoationes, scrutandam esse rem hanc ex nominis significatione, quæ magnam habet energiam ad explicandam naturam entis. Igitur cùm educi idem sit, quod extra duci, idest, indè extra hi ubi prius erat, educi aliquid de potentia materiæ, est actu id fieri, quod prius in potentia materiæ erat. Doctoremque sanctum Authorum hujus expositionis citat. Et dein dicit, quia omnes formæ tām substantiales, quam accidentales generabilium, & corruptibilium, præter animam rationalem, antequam actu sint, præerant in potentia materiæ, vel subjecti, ubi recipiuntur, sit, ut quando producuntur, educantur de potentia materiæ. Sed

quia anima rationalis non præfuit in potentia materiæ, non educitur de potentia materiæ. At verò declarare restat, quid est formam præesse in potentia materiæ, hinc enim res ista pendet. Respondetur ab eodem, quòd formam esse in potentia materiæ, nihil aliud est, quam dependere in fieri, & esse à materia in genere causæ receptivæ, & passivæ. Quod per causas efficientes explicari posse autumat idem author, dicens modum essendi, in, ut in causa, ex Aristotele 4. Physicorum, quo modo dicimus mundum esse in Deo. Et alia hujus generis exempla ponit. Ac post quasi resolutoriè inquit eodem fermè modo aliquid esse in potentia materiæ, nihil aliud esse, quam dependere à materia in fieri, & esse, non quidem in genere causæ efficientis, sed in genere causæ materialis, quod est genus causandi passivæ. Et quia omnes formæ præter animal rationalem fiunt, & sunt dependenter à materia, optimè dicuntur esse in potentia materiæ, atque adeò inde educi. Sed quæret quispiam, cùm anima rationalis producatur positis dispositionibus in materia, & non aliter, veluti producitur forma equi, undè arguitur non dependere à materia? Respondet ipse, quòd quicquid Aristoteles de hoc senserit, lumen fidei id nobis revelavit. Credimus enim animam per se subsistere, quod est dicere, suapte natura in suo esse non dependere à corpore. Enim vero non est dicendum, animam esse perpetuam eo solum, quòd à Deo conservatur, sicuti posset formam equi perpetuò conservare, esset enim hoc rerum negare naturas. Si enim equum, aut ejus formam perpetuò Deus conservaret, miraculum esset, & supra naturam rerum. Quòd autem anima rationalis duret sine

sine corpore , sua natura est , velut est natura angeli , eo quod est immortalis. Sed formae aliae universae cum sine miraculo esse non possint nisi in corpore , sit , ut naturaliter dependeant à materia. Et cum eodem modo se habeat res ad produci sicut ad esse , sit , ut formae aliae dependeant in fieri à materia. Anima vero rationalis minimè. Et hoc est formas alias ante earum productionem præesse in potentia materiae , rationalem vero non. Et inde sequitur , quod aliae producuntur à materia dependenter. Quod est dicere , materia suo modo concurrente ad esse formae. Anima vero rationalis producitur non concurrente materia ad ejus productionem. Hæc omnia præfatus magister.

Relata omnia duobus tandem includuntur decretis. Alterum est , quod aliquid esse in potentia materiae , quod idem est cum educi de potentia illius , nihil aliud sit , quam dependere à materia in fieri , & esse , non in genere causæ efficientis , sed in genere causæ materialis , quod est genus causandi passivè. Aliud est , animam rationalem non ob id dici non dependere à materia , quia perpetua sit , quia etiam equi anima perpetua fieri à Deo posset , & non ob id diceretur non dependens à materia , cum naturaliter in corpore conservanda esset , sed quod animæ rationali accidat sine miraculo absque corpore conservari , ideo dicitur non educta de potentia materiae. Et sicut se habent res in modo essendi , ita in modo propriæ productionis.

Improbatur opinio cuiusdam doctissimi viri de educatione formarum de potentia materie. Quorum primum nulla alia impugnatione indiget , quam quæ verba relata includunt. Certè , meo iudicio , contradictione manifesta non tantum latet , sed , & patet in verbis illis : [Quod est genus causandi

passivè.] Implicat enim idem respectu ejusdem dici agens & passum. Etsi enim verè dicamus activitatem ignis agere in aquam resistentem , & eundem ignem repati ab aqua frigefaciens , non actione repatiens dicitur , sed resistentia talis appellatur. Sed hic actionis & repulsionis modus ignis quam maximè alienus est à materia prima , quod ipsa cum patitur , non reagat , quod nullius activitatis sit , ex adversorum concessis. Ideoque patientiam in quantum tales , activitatem esse dicere adversus compellitur , quod est patula contradictione , ut prædictimus. Et quamquam hoc suffecisset ad repellendum citatum decretum , ut veritas plus elucescat , aliis rationibus improbetur sententia præfata.

Alia secunda contradictione in prædictis verbis includitur , ergo placitum illud falsum est. Antecedens probo. Materia prima esse recipit à forma , ut adversus testatur , ergo formæ , quæ gignitur , ex qua educitur ipsa , nullum esse tribuere poterit. Consequentia est facta. Nisi negantes illam , contradictioni assentiri velint. Simile enim est confiteri formam ullo modo seu activè , sive passivè educi de potentia materiae , si materia suum esse ab eadem forma recipit , sicut dicere , à lumine medii pendente à Sole inesse & conservari , Solem ipsum educi velut à potentia , quod implicaret. Quippe nihil prodest , quod à relato doctore in citata quæstione dicitur , puta : [Quocirca materia sustinet quidem , conservatque formam , at non propriè dando illi esse , sed tamquam potentia ad esse per formam .] Hoc enim est contradictionem contradictione solvere. Adeò enim hoc contradictionem includit , ut reliquum. Quo enim modo concipi po-

*Alia ratio rōa
borans præcedentem.*

potest, id, quod recipit esse ab ullo, conservare illud : cum recipiens esse, posterius necessariò futurum est, conferente illud, et si non tempore, saltim natura? Ergo in illa prioritate naturae minimè sustinens neque conservans formam materia dicenda est potius, quam lumen medii conservator Solis dici poterit, et si simul tempore cum Sole genitum sit, & exinde neque formæ materia conservatrix dici poterit.

*Annotatio
quadam in
malam inter-
pretationem
dictionis, ma-
teria.*

Sed quòd in proposito Aristoteles citatur à relato domino magistro in primo de Generatione, text. commenti 83. ut qui fateatur materiam non misceri formæ, sed effici ut sit in actu per formam, placet obiter exprimere errorem expositionis sententiae citatæ. Contextus ille primi de Generatione, text. comment. 83. Boëtio interprete hic erat : [At verò neque materiam igni misceri dicimus: neque misceri cum exardet, neque ipsam ipsius particulis, neque igni, sed ignem quidem generari, hanc autem corrupti.] Ubi nequaquam recordatur Aristoteles primæ materiæ, cùm tantum de materia lignea illic loquatur, dicens materiam ardentem, quæ ab igne depascitur, non dici igni misceri. Et quòd de præfata lignorum materia loquatur Aristoteles, patet ex ultinis verbis dicentibus, ignem generari, hanc, id est, materiam ligneam corrupti: nam prima materia ingenerabilis & incorruptibilis ab Aristotele singitur, ut supra retulimus. Error iste originem duxit, ut reor, à monacho illo, qui per alphabeti literas Aristotelis sententias digessit. Sed hoc mittamus, ut finem imponamus improbationi incoepæ.

*Ostenditur
quod imbecil-
la sit ratio tes-
tamen ma-*

Item videtur Physicos non ob aliud opinasse omnes formas præter animam rationalem dici educ-

tas de potentia materiæ, nisi quòd oppositum testetur infinitam vim inesse genitori formæ. Sed hoc minimè verum est, ut ultra relata de hoc negotio ostendam statim : ergo illud commentum interdicendum deinceps est. Minorem probbo (quòd major ab adversis passim fatetur.) Jam quòd materia prima facta aliquid contulisset ad generationem formæ, quod impossibile esse probavimus, querere licet,

teriam pri-
mam inesse
rebus ne indu-
cens formam
infinitæ atti-
vitatis esse di-
catur.

an illud sit fiaitum, an infinitum. Si infinitum, ergo materia prima infinitæ virtutis foret, quod corporeæ substantiæ minimè convenire posse probat Aristoteles 3. Phisicorum, in variis locis. Si finitum est illud, quod materia prima confert formæ genitæ, ab alio finito agente suppleri illud poterit, & forma tunc educi sine materia supposita, absque sequela infinitæ virtutis productricis junctis illis duobus agentibus valebit: ergo ob relatum inconveniens materia prima non est generationibus inferenda. Certè nullus intelligere non poterit, quòd si ab igne (verbi gratia) pedali in materiam stupæ semipedalis magnitudinis inducitur forma ignis, materia stupæ, ex cuius potentia educitur, adjuvante uno gradu actionis: quòd si ignis ille dupletur, reddaturque duarum pedalitatum, quòd virtus activa augebitur: & cùm auctio illa non sit infinitæ parvitatis, sit exempli gratia octavæ gradus activitatis, ergo si ignis ille in quadruplo creverit, & postea in octuplo, & sic consequenter, non tantum poterit supplere vim materiæ, sed & supergredi illam, ac tunc eti ipsa omnino aboleretur, & ignis gigneretur, nullam virtutem infinitam effectricem testaretur talis generatio.

Nempè antiquorum Philosophorum

Ostenditur quo decepti fuere physici quod materia pri-
mam entibus induxerunt. rum decretum, opinantium ex nihilo nihil fieri, in hunc sensum, quod novum genitum fieri non possit, nisi materia aliqua supposita, ex qua intrante compositionem novi misti, ipsum fieret, falsum est. Decepti enim fuere tam illi, quam Aristoteles, qui etiam eodem cavillo delinquit, & lapsus est, quod non animadverterunt, has mutuas generationes & corruptiones non ortum traxisse, quia necessum sit aliquid corrupti ingredi compositionem novi geniti, sed ne entia per continuas corruptiones, si subinde non contigissent generationes, paulatim deficerent, ac vacuum successisset, corporibus mistis omnibus consumptis, & jam elementis mutuo dimicantibus, & altero alia vincente & nequeunte superstite tantam locorum capacitatem replere, quia ad unius corruptionem nullius generatio succedebat. Porro superarum causarum corporearum non parum intererat hoc vacuum vitare, si ipsae à mutuis influxibus conservantur, qui necessariò cessassent, medio, per quod deferendi illi erant, deficiente. Cum enim influxus sint accidentia, citra substantiam diffundi non valerent, unde corruptio cœlestium corporum succederet, servatoribus deficientibus, vacuo fieri permisso. Ac etiam si generationes fierent nullo ente corrupto, non minora, ut supra retulimus, incommoda acciderent, quam præterita dimensionum certe penetrationes, multis rebus genitis, & nullis præcorruptis. Ii ergo fuerunt scopi, in quos tendebat sagax natura, vitans generationes citra corruptiones fieri, & non materiae indigentia ad novam problem formandam. Cujus rei non exiguum testimonium est, stupas valde compresas, inclusas intra vas

arctum, nullo orificio patens, nequam flagrare, et si ignibus ingentibus iniciatur continens vas, dum non sit adeò fragile, ut scindi à flamma possit. Quamvis enim in carbones stupæ redigi possint, non in flammarum verti, ne penetratio dimensionum sequatur, flamma capacitatem non capiente. Ac etiam tormenta ænea, quæ ad diruendos civitatum muros nostra ætate inventa sunt, nequam ignem intra sui cavitatem admittunt, cum exiguo pulvere concipere ignem aptissimo, confecto ex nitro, sulphure, & carbone levigato repellent, si lapide gravissimo cavitatem bellici instrumenti quam maximè obturante obstruantur. Vidi mus enim non raro in hujusmodi casu ignem admoveri foraminis tormenti, per quod ignis dilabi intra solet, & præfatum pulverem obturantem osculum instrumenti flagrare, & interiorem pulverem conjunctum ardenti immotum manere: non alia de causa, quam ne penetrationum dimensione contingat, igne multo genito, & lapidem graviorem obturantem pellere, ut cedat locum sibi, non valente. Quid enim est quod miremur hos eventus? cum ne vacuus locus ullus linquatur, passim videamus gravia non descendere, ut clepsydrarum aqua ostendit, ac eandem ascendere, ut festucæ suæ probant? Sat improbatum relatis opinamur manere primum decretum ex illis duobus, quæ citavimus, superest secundum improbare, quod ordini incipio.

Decretum secundum erat, quod anima rationalis non ob id existimat dicta non educta de potentia materiæ, quia æterna sit, & citra corpus perpetuò possit conservari, sed quia ex sua natura sine materia nata sit esse, quod nullis aliis

*Improbatur
secundum de-
cretum relati-
onis.*

aliis formis convenit, omnes enim aliæ ex sua natura nequeunt conservari sine materia, adeò, ut et si in æternum anima equi à Deo servaretur, etiam educta de potentia materiæ esset dicenda, quia nata sit educi & corrumphi citra miraculum ab agente naturali. Tandem aliquid conferendum esse naturæ rerum dicit ipse. Quæ placita sic absolute prolata, non minora parciunt inconvenientia, quam præterita. Primo, quod nullus videt (solum relati authoris verbis innexus) cur si à Deo crearetur anima equi, & corpori equi infunderetur, & præcipuas operationes absque corpore efficeret ipsa, ac post equi obitum æternè durasset, minus dicceretur non educta de potentia materiæ, quam rationalis nostra mens. Naturæ enim rerum in his, quæ contradic̄tio non includitur, non tales sunt, nisi ex divino nutu, & non quia et si Deo displicueret, tales essent, quales sunt. Quis enim qui ad unguem perpendit atque examinat id, quod natura seu facultas rerum naturalium appellatur, ut natura gravium descendendi, & levium ascendendi, & ignis calefaciendi, & aquæ infrigidandi, & animæ rationalis perenniter essendi, & brutorum ad totius corruptionem obeundi non videt, non aliud hoc esse, quam Deo creatori placuisse talia entia talibus dotibus ornari, & alia diversis, & nonnulla contrariis? Si enim à mundi exordio gratum Deo fuisset terram sursum petere, flammarum deorsum ferrari, igneam hanc substantiam frigiditye servari, aqueam calore bene habere, rationalem animam obire, brutalem perennem fore, nullus esset, qui has facultates nativas, & naturales non dixisset. Et si oppositis viribus præfata dotari vidisset, non miraculo vel vi factum illud

existiniasset: non enim est natura, quid Deo prius, aut superius, cum ipse naturæ conditor & moderator sit. Ethnici namque nonnulli illud machinati sunt, ut Galenus hujus sectæ hæresiarcha manifestè in de usu partium, lib. i. cap. 14. ostendit, dicens: fig.
 Num igitur nostri opifex solis his pilis æqualem semper servare magnitudinem præscripsit: hi autem sive imperium præscribentis metuentes, sive Deum ipsum præcipientem reveriti, sive faciendum id esse persuasi, observant id, ut mandatum sibi fuerat? Certè Moses quidem ita de natura ratiocinabatur: cujus ratio, quam Epicuri mihi videtur probabilior: optimum tamen est, neutrius rationem sequi, sed potius generationis principium, quod à creatore ducitur, quomodo Moses, in omnibus generabilibus servantes, quod ad materiam attinet, ei adjicere. Ob eam namque causam conditor nostri æqualem semper magnitudinem servandi necessitatem ipsis imposuit: quod id ad rem pertinere magis videbatur. Postea verò quam ejusmodi efficere pilos constituit, his quidem durum corpus, instar cartilaginis cuiusdam subiectum: aliis autem cutem duram cartilagini per supercilia connexam non enim sat erat, eos dumtaxat velle tales esse. Neque enim si lapidem repente velit facere hominem, efficere id poterit. Atque id est, in quo ratio nostra ac Platonis, tum aliorum, qui apud Græcos de rerum natura recte conscripserunt, à Mose dissident. Satis enim habet is, si Deus materiam exornare velit, ea autem repente paret, atque est exornata, omnia enim Deum facere posse arbitratur, etiam si ex cineribus eorum, aut bovem facere velit. Nos autem non ita sentimus, sed con-

firmamus quædam naturam facere non posse, eaque Deum ne aggredi quidem omnino, sed iis, quæ facere potest, quod melius est eligere. Jam verò cum pilos in palpebris satius esset æquales semper esse magnitudine ac numero, non ipsum quidem id voluisse affirmamus, illos autem mox factos fuisse: neque enim id facere potuisset, affirmamusque eos, etiam si millies voluisset, numquam tamē tales futuros, si ex cute molli producti fuissent. Nam, ut alia omittamus, recti stare omnino non potuissent, nisi in duro fixi fuissent: utraque sanè Deo attribuimus, tum ejus quod est melius in ipsis opificiis electiōnem. Tum etiam materiae delectum. Cum enim simul rectos stare in palpebris pilos oporteret, simul autem æquales magnitudine semper conservari ac numero, corpori cartilaginoso eos affixit. Quos si substantię cuiquam molli ac carnosa infixisset, non Mose modo, verum etiam malo imperatore esset inertior, qui murum in palude, aut vallum jaceret.]

Et quoniam superiū pag. 151. promisi de rerum natura differere, ac ostendere, an aliqua naturaliter sint pulchra, alia deformia, an sic ex usu vel Dei imperio talia sint, paucioribus quam possim verbis, ac talibus, ut ad præsens propositum attineant, quod nobis videatur, exprimemus. Quippè nullus, qui non sit insanæ mentis, negare potest, quæcumque genita sunt, & gigni possunt (cū si specie differant, non æquè perfecta esse posint) excelli ab aliquibus, & excellere alia in perfectione essentiali, nisi tantum illa, quæ suprema & infima fuerint. Et quod hæc ab intellectu divino & angelico intelliguntur, talia, qualia sunt: quod non tantum in perfectione essen-

tiali entium satendum est, sed quoque in accidentalī pulchritudinis & deformitatis negari non valet. Apud enim Deum aliqua aliis pulchriora, & alia aliis magis deformia sunt, & habentur simpliciter, quia talia sunt. Quod aliis verbis ex natura rerum appellatur. Quæ quamquam ita sint, & se habeant, ut à me sunt relata, negari quoque non potest, si Deo conditori placuisset, humanis mentibus indidisset opinionem, qua, quæ eleganter formata sunt, turpia censerentur, & quæ turpia, elegantia judicarentur. Et non tantum in præsenti ævo hoc hominibus indere posset, sed à mundi origine idem connatum secum esse, si velit, potuisset. Etiam si Deus vellet, à primo mundi ortu gravibus ascendendi facultatem conferre valeret, & levibus descendendi. Et rationalibus animabus, si sibi beneplacitum fuisse, præcipere potuisset interire statim, ut corpus non esset aptum informari ab eisdem, & brutorum animis oppositam vim indere, ut scilicet, tamdiu durarent, prout rationales duraturas esse scimus. Quæ omnia si, ut finxi, fierent, naturalia à nobis appellarentur, quod illud naturale nominamus, quod frequenter accidere conspicimus: & opposita contra naturam, & miraculosa dicerentur, in opposito sensu, scilicet, quia numquam talia conspecta sunt.

Quæ omnia, et si vera sint, aliam assertionem veram patiuntur, melius multò conditas esse res, ut sunt, quam aliter, propriusque dici naturale gravi descendere, quam ascendere, et si à primo ortu ascendendi vi frueretur. Etiam multò naturæ conformius esse, rationales animas, quæ intelligere possunt, absque corporibus posse durare, homine corrupto, quam brutales:

quæ si manerent, otiosæ essent, cum intelligere non possent, & defectu corporeorum organorum, munia naturalia non exerceantur. Aliisque de causis singula, ut condita sunt, melius habent, quam si aliter considerentur. Quod Geneseos cap. 1. sacra Scriptura dicebat: [Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.]

Tandem quod in præfata sententia illius docti authoris carpebamus, illud erat, non quod non sit plus naturale, animæ humanæ permanere post hominis obitum, quam equinæ, sed hoc tantum, putà dicere, quod esset miraculosum animam equinam durare sine corpore, cum, ut supra ostendi, si à primo mundi ortu illud sic accidisset, naturale appellaretur, & oppositum miraculosum. Quæ in præsentiarum sufficere de hac re existimo.

Tantum contradictionem subterfugere Dei potentia ostendatur.

Nempè tantum contradic̄io, quæ potentiam subterfugit, fieri nequit, cætera omnia à Deo æqua facilitate fiunt. Ob id enim omnes partes simul sumptæ necessariò æquales suo toti sunt, quod si oppositum afferatur, non omnes partes essent, cum aliquid deesset, vel plusquam partes assumptum fuisset, si aliquid supergrederetur, quorum utrumque contradicit hypothesi supponenti tantum omnes partes suo toti æquas dictas fuisse. Et exinde omnes, quæ probantur mathematicæ conclusiones aliter esse non possunt, quod innituntur hujusmodi principiis mediatae, vel immediatæ, quæ necessaria sunt, nisi contradic̄io admittatur.

Cum antecedentibus impugnaverim modum hucusque opinatum eductionis formarum ex potentia materiae, teneor ipsæ hujus famatæ assertionis omnes formas præter rationalem educi de potentia ma-

teriæ, verum sensum exprimere. Quod si omnino & ad amissim explicandum esset, unde animæ rationali æternitas à nonnullis Philosophis quibusdam discursibus collecta sit, argumenta omnia, quæ infra, Deo dante, in probatione ejusdem rei trahentur, præsenti lectioni inserere tenebar. Sed ne immaturè & minimè opportunè agressum fuisse adeò grave negotium dicar, ideo tantum supponendo probationem scribendam sufficientem futuram, conclusiō nem necessariò illatam ex discursibus faciendis circa mentis perpetuitatem propono; hec est: Formas omnes præter rationalem in operationibus tam interioribus, quam exterioribus ut dispositiōnibus totius ut instrumentis, sine quibus opus nullum fieri ab eisdem posset, anima tantum rationali in præcipuis ejusdem operibus, sentiendi scilicet, & intelligendi, instrumentis propriis non utente, ut quibus opera fiant, sed per quæ ut media exequantur: hoc est dictu, brutorum formas uti ad alendum, ac servandum totum, cuius ipsæ partes essentialis sunt, calore, frigore, humiditate, ac siccitate dictis qualitatibus primis, quæ priorum corporum instrumenta sunt, & sine quibus nutritio fieri ab eisdem non valeret, easdem etiam in eundem usum, ut quoque facultatibus concostricibus, attrac- tricibus, expultricibus, retentrici- bus, resultantibus ex relatis primis qualitatibus, sine quibus ut instru- mentis, quibus ipsæ formæ indi- gent, ad relata opera efficienda, nullo modo effectus fierent, ut exactæ sectiones lignorum sine ferra, aut ascia, vel alio consimili instru- mento fieri non possent à quantumvis perito Fabrolignario. Eo- rundem etiam brutorum operatio- nes

Opinio autho- ris de eductio- ne forma de potentia ma- teriae.

nes æmulantes nostras sensitrices, nullatenus sine aliis consimilibus fiunt. Nequit enim oculus recipere speciem alimenti sufficientem movere musculos bruti versus pastum, nisi ipsius tunicae perspicuae sint, ac humores eorumdem diaphani, neque non meatus in cerebrum originem nervorum, & muscularum pervii, ac patuli quoque reddantur. Motrices etiam facultates sine certis temperamentis prærequisitis, ut instrumentis, quibus exequuntur operationes, decenter fieri nequaquam visuntur. Plantarum etiam alitus suis quoque dispositiōnibus in modum præfatum utuntur. Quid quòd, & mistorum quorumvis, quæ vegetatione carere censemur, nullum à natura genitum reperiatur absque nonnullo incremento, & sine nutricionis occultæ actibus, ubi etiam formæ propriis facultatibus in modum relatum utuntur, ut supra pag. 136. scripsimus. Quid enim magis alienum à nutritionis operibus lapidibus censetur, qui tamen neque tantæ magnitudinis, ut ex lapidicina exciduntur, oriri creduntur, sed paulatim alitos suspicamur: quòd eorundem insecta cavitatibus quibusdam amplectentia arborum radices, vel alterius generis lapides, non raro nobis ostendunt; hoc accidere nequeunte, nisi lapidum incremento extranea amplexa fuisserent. Montium etiam cacumina imbribus, ac nivibus assiduis exposita, per frequentem imminutionem dilapsa in planitiem redacta forent, nisi etiam alerentur, ac quæ dilabuntur, restituerentur. Utrum autem hujusmodi mistorum deperditæ restitutions dicendæ sint nutritiones veræ, an quædam juxta positio- nes, non est hujus loci decens examinatio: neque ob id ducta præfata sunt, sed tantum, ut omnes in-

telligent, relatas omnes formas suis dispositionibus uti, velut quibus præcipuas operationes exerceant, ut Fabriferramentis, & sine quibus esse non possint, cùm nullum eas genitum sit, quod peculiari modo conservationis non muniatur. Frustra enim natura conderet entia, quæ statim essent defutura, indeque nonnulla ad esse illorum, & alia, vel eadem ad conservationem genuit, ac utraque ad esse necessaria merito dicenda, producta sunt.

Anima tamen rationalis cum his exterioribus sensibus aliquid cognoscit, quod munus ex duobus præcipuis ejus inferius est, non utitur organicis dispositionibus, ut instrumentis quibus immanentes illas operationes sentiendi eliciat, cum ipse tantum sint quidam modi habendi ipsius animæ, sed organa decenter disposita deserviunt illici, ut per ea sincerè immutata anima ipsa, quæ penetrative cum organo est, & idem informat, suo modo ad organi affectionem immutetur, ac cum intelligit, quod summum munus animæ est, organo quoque indiget, si necesse est intelligentem phantasma speculari, neque eventus aliud ostendunt. Cum enim pars cerebri anterior, quæ afficitur à phantasmatis in objectorum absentia distemperiem patitur, nonnumquam in delirium, si ingens est distemperies illa, incidit homo, nequeunte mente nostra ob defec- tum instrumenti non quo, sed per quod, ut decet, munus proprium obire. Non aliter quām cognoscendi perfectè colorem cohibemur, quòd medium, putà vitrea fenestra colore ullo illita, intersit inter objectam rem, & visum. Et ut tunc ab errans cognitio minimè fieri dicatur à vitrea fenestra concurrente, ut instrumento, quo visio fiat, sed per quod: ergo neque cum optimè

Rationalis anima in operationibus sentiendi, & intelligendi non utitur instrumento corporeo, ut quo opus exerceat, sed per quod.

etiam visio sit, medium ullum dicendum est instrumentum quo, sed per quod. Et organa humana, sive quæ deserviunt sensationi, seu quæ intellectioni, nequaquam aliter nominanda sunt, quam per quæ immanentes illæ operationes, quæ modi habendi animæ rationalis sunt, exequuntur. Namque cùm, ut retrò probatum linquimus, operationes ipsæ, sensationes scilicet, aut intellectiones, accidentia non sint in extrinseca passa, aut in hominem producta, minimè generandæ erunt, mediis aliis humanis accidentibus ut instrumentis Fabrorum concurrentibus ad tuam productionem.

Quid sit educti aliquæ formæ de potentia materie.

Hæ ergo assertiones palam ostendunt, quid sit aliquam formam educi de potentia materiæ, aliam non. Nam illa educta dicitur, quæ gigni non potest, nisi præcedant in materia elementari, ubi inducenda est ipsa misti forma, eorundem elementorum primæ qualitates refractæ, ac ex eisdem aliud accidens, appellatum temperies, seu complexio misti signatur, quam statim formæ sequitur generatio, & in elementa inductio, cum peculiaribus facultatibus illius misti, sine quibus ut instrumentis esse, neque operari insimas, vel supremas operationes mistum non valet. Neque abs re extracta forma dicitur, cùm quoquo modo illa dici potest extracta ex materia, sine qua esse neque servari potest: qui educationis modus ex illa prima materia facta, ut probavimus, fieri non poterat. Illa autem non educta meritò dicitur, cuius præcipuæ operationes sine elementari materia, quam informat, effici valent. Nam hujusmodi forma posse esse sine propria materia censenda est, cuius insigniores operationes, organo proprio, ut instrumento, non indigent, ut præcipuum, & proprium munus obeatur.

Nempè si corpus deservit in muneribus sentiendi, & intelligendi, non nisi ut medium per quod, & non quo, ut instrumento, afficitur anima. Ut aër, per quod defertur species coloris, aut soni, & ut hic non dicitur instrumentum, quo anima sentit, sic neque corpus. Ac ut esse valemus sine medio, et si extrinseca objecta sine eodem sentire non possimus, ita anima rationalis et si sine corpore sentire, neque intelligere (eo modo, quo alligata corpori) valeat, ob defectum medi, esse tamen sine corpore poterit. Nullus enim adeò demens est, qui non noscat, illud sine altero esse posse, quod obire aliquod munus sine illo valet. Cum operis exequutio posterior existentia sit, & ab existentia pendeat, ergo si posterius esse sine corpore potest, à fortiori existentia, quæ prior est. Certè si lumen medi, quod dependet in esse, & conservari à Sole luminoso, esse possit sine opaco prohibente diffusionem sui, à fortiori Sol ipse. Ergo à simili, si operatio sensitiva, aut intellectiva esse valeret sine corpore, quod simile quandoque opaco prohibente est, cùm male affecta instrumenta sensuum sunt, ergo à fortiori anima ipsa, à qua operationes sensitrices pendent.

Etiam si exactè probatum superest, ut est, sensations, & intellectiones non distingui ab anima sentiente, & intelligente, sed esse modos ejusdem: si ipsæ corpore serviente ut instrumento non egent, neque anima, quæ idem illis est corpore, ut sit, egebit. Ut si humanam fessionem sciverimus esse posse sine Sole, etiam hominem esse sine Sole dicemus. Humana enim sessio ab homine sedente non differt, ut neque sensatio, aut intellectio humana ab anima intelligente, aut sentiente non distat. De quibus in frâ,

*Alia ratio,
qua probatur
animam dici
non eductam
de potentia
materie.*

frā, ubi citatum restat, plura, Deo concedente, adducemus, ut animam à mortalitate vindicemus.

Et ne quædam sententia à me sacerdotiis limitata, putà in præcipuis muneribus animæ rationalis ipsam non corpore, neque corporis dispositionibus uti, ut instrumentis quibus, sed per quæ, indecisa, ac caliginosa maneat, notandum animæ rationali à quam multis non tantum sentiendi, & intelligendi facultates concedi, hæc enim ab eadem se junctæ à peritis Physicis nequaquam fuere, sed, & nutriendi vires eidem collatæ sunt, quas exequi sine corporeis dispositionibus ut instrumentis quibus, non vallet. Ideò cum de illis affectibus corporum, qui media sensationis, & intellectionis sunt, loquebamur, addidimus semper in præcipuis animæ muneribus non deservire, ut instrumenta, sed velut media, quod principaliores sensationis, & intellectionis operationes, quam nutritionis multò sint.

An elementa de potentia materie educata dicantur.

De elementis autem supereft difcutere, an de potentia materiæ dicantur educta, an minimè. Primò videntur de potentia materiæ necessariò educta fuisse, cum passim corrupti, & gigni cernamus, quod proprium est formarum sic eductarum. Sed aliàs videtur, hoc eisdem minimè convenire, cùm ex nostris assertionibus probatum supersit, ex nulla materia elementa constare, sed esse entia corporea simplicissima, indeque in genere substantiæ corporeæ imperfectissima, ut è diverso in tribubus incorporearum substantiarum illæ habentur perfectiores, quæ simplicitati proximiores sunt, indeque Deus ipse infinitè perfectus, summè simplex est, & appellatur. Qui autem modus simplicitatis harum substantiarum separatarum sit, diçendis innuam.

Illæ certè videntur plus compositionis habere, quarum essentiæ verè intelligi possunt absque pluribus perfectionibus essentialibus: illæ simplicitati summæ propinquiores, quarum essentiæ verè intelligi nequeunt absque tot perfectionibus essentialibus: & quanto plures perfectiones simul, & idem existentes cum angeli essentia intelliguntur, tanto perfectior intelligentia, & simplicitati propinquior habetur. Ob id enim angeli infimiores plus compositionis habere cæteris dicuntur: non quod eorundem substantia constet ex aliquibus partibus essentialibus distinctis, sed quia esse intelliguntur (verbi gratia) per se existentes, absque corpore, & cum quovis corpore, & quavis substantia valentes penetrativè se habere, atque intelligentes quandoque quedam nonnumquam alia. Etiam ut libet eisdem aliis, vel aliis locis assistentes, ubi non paucæ ab intellectu verè fingi possunt compositiones. Nam relata substantia angelica sic, ut dixi, intellecta, cum non semper omnia intelligat, potest intelligi, nunc terram intelligens, post aërem contemplans, olim cælos, in futurum homines: quæ omnia non nisi quædam fictæ compositiones additæ illi substantiæ priùs intellectæ sunt. Ut cum intelligit nunc huic loco præsens, modo illi, in posterum alteri: etiam omnes illæ loci mutationes, compositiones, & additiones per actum humani intellectus substantiæ angelicæ dicuntur. Qui autem perfectiores angelii, esse, intelliguntur, plura semper contemplantur, & majoribus locis semper assistunt. Ferari enim nequeunt ab (exempli gratia) totius infimi mundi hujus perenni cognitione, ita, ut hujusmodi cognitio non valeat componi cum angeli substantia, cum sine ipfa

*Qua propter
Angeli, cetera
re que separa-
te substantie
dicantur sim-
pliciores, &
minus simpli-
cer.*

sa non plus intelligi valeat angelus ille, quam homo sine rationalitate, quod illi adeo intrinseca praefata contemplatio sit, ut rationale homini, etiam si adesse exempli gratia orbi solari, vel tantæ loci distantia, ut orbis solaris occupat, intrinsecum illi angelo foret, hoc etiam in causa esset, ut simplicior hic sit, & dicatur, cum non tot illi, ut priori angelo conveniret, nunc cognoscere, & postea non. Nam hujus inferioris mundi, & quarumvis suarum partium perennis contemplator ille necessario futurus erat, & hac contemplatione componi cessaret, quia intrinseca illi erat, quod priori minimè conveniebat. Adesse quoque semper tantæ loci distantia in causa foret, ut non tot loci mutationibus componi valeret, ut prior etiam intelligentia. Quæ omnia perfectioni attinerent, cum summè perfectus Deus, semper universa intelligens, & ubique praesens necessario intelligatur: cui quantò substantia creata similius fit, tanto perfectior censetur. Neque decipiatur, qui opinatus fuerit, posse fieri inferiorem intelligentiam à nonnulla cognitione, perfectioni suæ attinere: quin imperfectionis esse autem, quod in cognitionibus angeli non laborant ut homines, & privantur fruitione, quæ ex cognitione infertur.

Solvitur quæ-
sum de ele-
mentis an de
potentia ma-
teria educan-
tur, an non.

His missis, & ad exolvendum pensum redeentes, dicamus, elementa, ut prædixi, imperfectissima inter omnes substantias corporreas fore, quia minus compositionis habent, quod imperfectioni in substantiis corporeis tribuendum est. Cum corpus compositionem includat, longitudinem, latitudinem, & profunditatem, atque ob id eandem optet. Qua de causa perfectiora mista simplicibus appellamus, quod elementa contineant, & ultra

misti formam. Et eadem entia, quæ pluribus facultatibus dotata sunt, (quæ sine majore compositione fieri nequit) tanto perfectiora habentur, quanto majorem miscellam habent. Et cum, ut retulimus, imperfectissimæ substantiarum elementa sint, non eductæ de potentia materiæ verè dici possunt, quia ea carent. Neque aliam appellationem aliarum formarum sortiuntur, ut digna sint appellari creata, & minimè de potentia materiæ educta, ideoque ut non contenta intra genus, quod dividitur, neque unam, neque alteram appellationem merentur, ceu lapis neque rationalis, neque irrationalis nominatur, quia non continetur sub animali, quod in rationalem, & irrationalem secatur: formæ enim tantum sunt, quæ in eductas de potentia materiæ, & non eductas de ejusdem potentia dividuntur. Si ergo formarum nomine carent elementa, neque educta de potentia, neque non educta nominanda sunt: sed inferioris perfectionis gradum generatio eorundem obtinebit: dicentur enim subsistentia corpora citra materiam ex qua genita. Quamvis enim nullum eorum fieri possit sine alicujus corporeæ substantiæ priori corruptione, non ob id corpus, quod corruptitur, nominatur materia ex qua, sed materia supposita appellatur, in generatione mistorum ex mistis, vel elementis, opposito eventu contingente.

Nam elementa immediatè constituentia mistum, materia ex qua misti sunt, & in eodem formaliter permanent, ut in sequenti libro demonstrabimus, ut etiam cum immediatè spoliata elementa unius misti forma, aliæ novæ subjiciuntur, non minus ex præcorrupto misto fieri novum dicitur, quod elementa cor-

corrupti constituant compositionem novae proli.

Hæc quæ tracta sunt de eductione formarum in præsens sufficient: & postquam solvero quandam objectam rationem supra à nobis ipsis adversus testantes materiae primæ existentiam, quæ etiam contra nos militare videtur, finem exemplo de principiis rerum naturalium impo-

*Solvitur ob-
jectio, quæ vi-
detur, pro-
cedere contra
nos, qui ma-
teriam primā
esse negavi-
mus.*

niam. Ratio hæc erat: Si materia prima esset, cum ipsa posset per se existere, quia proprium esse habeat, & prior tempore, & natura forma, & toto composito fuisset, ens corruptibile foret, nullum enim incorruptibile sub hac infima lunæ cavitate conspicitur: & illo concessu, ad corruptionem illius materiae alterius entis generatio successura erat, & novum genitum materiam habiturum erat, & non illam primam, quia supponimus ipsam corruptendam esse, ergo aliam, quæ includebatur in priore, & illa prior etiam corruptibilis foret: & ad ejusdem corruptionem idem, quod ad prioris subsequutur erat, & sic in infinitum procedendo, infinitæ materiae præcessuræ erant illam materiam primam, quod implicabat. Indeque suadere incepimus, abolendam esse illam fictam materiam primam, præsertim, quod relatæ rationis majorem, in qua tota vis argumenti consistit, inductione probari ultra rationem poterat. Nam cuiusvis entis materia ex qua ipsum fit, absolvit toto posse, ratio, ut dixi, ostendebat, quia prius toto esset. Et inducțio incipiendo à quorunvis artificum materia, & usque in omnium Fabrorum materias, quæ priores formis inductis sunt, procedendo, non minorem fidem exhibebat, ergo major illa vera erat. Minime enim instabatur inducțio, monstrando materiam primam, ac dicendo, hanc non pos-

se sine toto esse, quia instabatur cum re, de qua agebamus, & de qua tota controversia erat: quod quam parum profit, ii, qui modum, quo decenter rationes sunt solvenda, sciunt, noverint.

Procedere videbatur hæc ratio adversus nostrum decretum, quo asseruimus, elementa habentia propriam existentiam, primam materiam omnium mistorum esse, & nullam his priorem, sic colligendo. Elementa corrumpuntur, ut ex illis alia fiant, sed genita etiam materiam sunt habitura, & non nisi quæ præfuit in elementis, ergo elementis aliquid est prius. Et dein omnes aliæ ductæ rationes transcribi possent adversus nostra elementa, sed minimè vera minor est. Nam nos cum elementa corrumpuntur, non dicimus ex illis ut ex materia ex qua quicquam gigni, sed ea præcorrumpi ob rationem retro relatam. Quia sententia tota argumenti vis deletur, Aristotelicis sic solvere prohibitis, quia in elementorum corruptione, materiam, ex qua nova entia fiant, supponi, credebant.

Non parum dilucide iis, quæ audistis, notum supereft, scientiam, quam de principiis rerum naturalium habemus per intellectus operationes, non immediate cognitis per sensum aliquibus accidentibus, adeptam esse: sed quia ex cognitione ulla in veram notionem principiorum rerum incidimus, quod probare nisi sumus, idèo enim hæc de principiis duximus, ut constaret, quo scientia à sensu differat. Sensu enim tantum ea, quæ inferunt in nos aliquam speciem, vel quod specierum vicem obtinet, cognoscimus: intellectu tamen per illationem scimus diversa multò à sensatis rebus. Redeamus ergo undè digressi sumus.

Que retrò promissa sunt scribi, ac quot scripta jam supersint, ex- eliantur, ut dici ab exposito- ribus librorum de Anima Aristote- lis solitum erat. Secundò, utrum intellectio accidens ullum sit inens ipsi animæ intellectrici, quale singitur. Tertiò, si nihil eorum, quæ machinata hucusque de modo intelligendi pro veris à me recipiuntur, quo modo intellectus intelligat, dilucidare. Quartò.

An cùm Aristotelis sententia, tertio de Anima, distinguētis intellectum in agentem, & possiblēm, nostra placita convenienter, ad amissim pertractare. Et objectioribus illorum, qui animam credidere intellectione accidente distincto realiter ab anima, ipsam intelligere, respondere. Ultimoque de ipsius animæ rationalis æternitate agere. Quorum tria priora per me hucusque discussa sunt, & duo tantum ultima super sunt. Primum quorum explicare ordior, Aristotelis ipsius contextum, ubi de intellectu possibili, & agente tractat, in medium proponendo. Illud erat 3. de Anima textus, comment. 17.

*Text. comm.
17. 3. de Ani-
ma.*

Quoniam autem sicut in omni natura est aliquid, hoc quidem materia unicuique generi; hoc autem est potentia omnia illa; alterum autem est causa, & factivum, quod in faciendo omnia ut ars ad materiam sustinuit. Necesse & in anima has esse differentias, & intellectus hic quidem talis in omnia fieri, ille vero in omnia facere, sicut habitus quidem, & sicut lumen: quodam enim modo, & lumen facit potentia existentes colores actu colores. Et hic intellectus separabilis & impassibilis & immixtus substantia actuens. Semper enim honorabilius est agens patien-

te, & principium materia, idem autem est secundum actum scientia rei: (quæ verò secundum potentiam tempore prior in uno est: omnino autem neque tempore) sed non aliquando quidem intelligit: aliquando autem non intelligit: separatus autem est solum hoc, quod verè est. Et hoc solum immortale & perpetuum est: non reminiscitur autem, quia hoc quidem impassibile. Passivus verò intellectus corruptibilis: & sine hoc nihil intelligit anima.

Horrore porrò quodam corripior, contemplans contextum hunc, cùm memoror quotquot errorum origo Aristotelis sententia relata innumeris Philosophis fuerit: ex eadem nonnulli unicum intellectum omnibus hominibus inesse elicentes: quo delirio nullum majus. Nam si intellectus indivisibilis numero & entitate idem in me & aliis hominibus esset, novissem ego omnia, quæ universi homines intellectu noscunt, ac ipsi, quæ ego eodem intelligo. Implicit enim idem numero & indivisibile scire & nescire aliquid: ergo si Joannis physici intellectus novissem mathematicam demonstrationem, necessariò Petri rusticī intellectus, ac etiam quodrumyis hominum eandem nosceret, cùm rusticī intellectus & Joannis physici idem essent, ut ego mihi ipsi. Si enim vellet dicere, qui hanc entitatem intellectus assignaret, non ipsum tantum intellectu, sed esse quamdam facultatem, qua anima intelligit, & quod ipsa numero eadem, diversis animalibus humanis insit, ut accidens quoddam, jam primum contrarium Arist. proferunt, qui textu commenti decimi noni supra citato, oppositum afferit, vocans illum substantiam actu entem. Et etiam vana singunt. Si enim anima illo-

ac-

accidente nominato , intellectus, est intellectura, nulla ratione ullius apparentiae compelluntur machinari hanc unitatem accidentis illius , cùm sine illa intellec^tionis munera, ut decent, fieret. Si autem fatentur esse hominum intellectus unum quoddam specie , nihil novi dixissent , nec plusquam, quòd equus Bucephalus alteri equo sit idem, quod ejusdem speciei sit , de quibus postea fusi agemus , cùm commentatoris sententias discutiemus. Alii verò expositores citati loci , diversas facultates ipsius intellectus autumant esse passibilitatem & activitatem ejusdem : alii longè alia sentiunt , ut fermè sint tot modi expositionum Aristotelicorum verborum , quot commentatores: cùm verba Aristotelis , ut decet, intellecta , non multis scriptis explicari egeant , quod agere auspicor.

Novis tis nempè , qui præterita attentè legistis, animam intelligentem dici tunc , cùm aliquid intuitivè , vel abstractivè sentiens , aliud à re sensatione cognita , intelligit. Quo manifestè didicistis , nullum hominem quicquam posse intelligere, nisi prius ejusdem organum interius, aut exteriùs anima intellectrice animatum afficiatur. Et cùm tot modis affici possit , quot sensibilium differentiæ sunt , & ad has diversas affectiones necessum sit, animam suo modo affici , ut in antecedentibus diximus, supereft, animam intellectricem dici intellectum possibilem , in quantum nata est omnia fieri ad affectionem proprii organi , ab omnibus sensibilibus rebus nati affici : hoc enim infra in eodem tertio de Anima, text. commenti trigesimi septimi. Aristoteles palam testatur , inquiens: [Nunc autem de anima dicta recapitulantes , dicamus iterum , quo-

niam omnia ea quæ sunt: quodammodo est anima : aut enim sensibilia quæ sunt , aut intelligibilia.] Quo exprimit intellectus possibilis naturam : cùm dicat ipsum fieri omnia, quòd non aliter, quāmodo à nobis explanato accidere posse , certum est. Intellectus enim, vel anima intellectiva , ad affectionem organi exterioris affecta , colores visi , & odores olfacti , & calores sensati , & sapores gustati , & soni audit , certo modo vertitur: Quia organa affecta ab objectis rebus: quæ peculiaria quædam inducunt in ipsa , putà sui species , afficiuntur ab ipsis , & inde anima penetrativè cum corpore organi existens , ut millies retuli , suo modo etiam afficitur.

Intellectus autem agens , eadem anima dicitur , non in quantum sic affecta, quia centies sibi accedit sic affici , & nihil sentire, aut intelligere: cùm diversis rebus intenta, illa, quæ afficiunt, contemnit, sed quòd se contemplans taliter affectam , in sensu supra relato , cùm de modo, quo sentimus, discussimus : vel tunc sufficientem rem cognoscit , & sic intuitivè sentiens appellatur: vel rem olim sufficientem , & tunc per imaginem asservatam in cognitionem rei quondam cognitæ ducentem percipit , & abstractivè cognoscens dicitur. Aut neutro horum modorum cognoscit , nam neque eum, qui afficit , neque illum, qui affecit, sed aliud distinctum ab his duobus , natum tamen ducere in cognitionem alterius rei distinctæ , quam intelligit: & hoc modo intelligere , seu scire aliquid , dicimur , cùm quis noscens albedinem & consistentiam gypsi , ac alia accidentia ipsi inhærentia , gypsi substantiam subjici illis accidentibus intelligit: & qui hominis accidentia cognoscit , animal rationale sub-

jici illis concipit. Et qui circuli totam circumferentiam in viginti & duas partes divisam videt, scit ex octo partibus harum constitui diametrum ejusdem circuli: quæ omnia scita distincta sunt à rebus sensatis. Agens ergo tunc intellectus meritò nominatur, quia noscit quid distinctum ab afficiente, quasi illam scientiam suis viribus assequens, quam affectio objecti non induxit.

Quod manifestè docet, cur sensum in agentem & possibilem Aristoteles non diviserit, & intellectum ita. Nam nulla alia de causa, quam quod sensatio intuitiva notio sit rei præsentis immutantis, ut retulimus, quam effici certo modo ab accidente sensato dicere possumus, ut abstractivam ab imagine rei quondam sensatae, intellectioni hoc minimè conveniente, quod res intellecta sèpè absens est, & numquam adeò præfens, ut ulla specie à se genita noscatur, sed, ut centies dixi, per alterius rei notionem intelligatur: in quo opere, ut prædixi, ipsa anima quasi laborans, & quid efficiens, meritò agens nominatur.

Et ne ullus decipiatur, opinans me retro assertam sententiam mutasse, quod dixi, cum anima fungitur intellectionis munere, agentem intellectum nominari, quasi concedam aliquod accidens realiter distinctum ab anima, ab ipsa in se produci, ut intelligat, certos omnes facio, non esse illam scientiam, nisi quemdam modum habendi animæ, ut plures in antecedentibus legitis: dicitur tamen ipsa agens in se illam scientiam, non ut aqua calida dicitur agere in se frigiditatem, cum in nativam frigiditatem se restituit, sed ut animal stans si sedisset, diceretur author suæ sessionis: aut ut Faber cerarius dicitur factor figuræ impressæ in ceram, quæ non distinguuntur ab animali sedenti, neque à cera figurata.

Ils præictis fundamentis, ad planiorem cognitionem Aristotelis sententiæ, contextum supra à me ductum ex tertio de Anima, textu commenti decimi septimi, in Paraphrasim redigo, quod hic expositionis modus succinctus magis aliis est. Ordo, & totus contextus, qui sequitur, est.



PAR-

PARAPHRASIS
IN TERTIUM LIBRUM
DE ANIMA,
ARISTOTELIS LONGE AB OMNIUM
aliorum Authorum expositione
dissidens.



Uoniam universę substantiarum naturae hoc participant, ac commune habent, ut earum aliquae, materia ex qua alia fiant, sint, & quodammodo in potentia illa, quae futura sunt, dicantur, ut cera certo modo homo, & equus, & planta ex ipsa singenda nominatur, & elementa commista, ut misti formam decet, mistum etiam appellantur, & in omnibus naturis causa efficiens, non materia, quae jam existit, sed formae, quae induci debet, genitrix dicatur, ut ars nomen efficientis cause figuratarum rerum sortitur, necesse est in animae natura proportionales assignare differentias, non distinguendo has re, ut efficientem causam à forma facta, & à materia in qua sit, sejungimus, sed tantum ipsam certo modo contemplando appellemus materiam, & alio efficientem. Ac ut corporea materia noscitur prout suum esse ab efficiente in se formam non recipit, sic ipsa anima ab intellectu agente mini-

mè fieri possibilis censeatur: quin ipsa effecta possibilis intellectus, & materiam in hoc referens, cum intellectionem elicit, agens nominetur. Ut habitus causa eorum, quae Texta commun. fiunt, ab habente illum solet dici, & lumen colorum quodammodo effector: nam citra lumen colores, et si certo modo sint, non cernebuntur: ipsi enim sine lumine minimè indacerent speciem sufficientem immutare visum, quod in medium illustratum inducunt eam. Quam enim in ullis tenebris gigunt (ut sunt illae, quibus vespertilioes & noctuae conspiciunt) adeò remissae sunt, quod si tenebrosius & omnino lumine expers medium reddetur, nequaquam producent. Quo similatur lumen intellectui agenti, ac per hoc, quod ut ea, quae minimè nosci poterant ob tenebram, lumen detegit, & nota facit, sic intellectus agens, quae ignota erant intellectui possibili, ipse manifesta reddit, quantumvis enim anima afficiatur phantasmatis quibusvis, non poterit aliam notiōnem assequi, quam eorum, quae genuere phantasma si ipsa anima tantum possibilis intellectus nomen sortiretur: quae tamen cum

vim agentis exercet, quæ incognita erant, cognita reddit, sola affectione intellectus possibilis præcedente. Nam postquam anima intellectus possibilis effecta est, per affectionem factam ab objecto vel phantasmate in organum animatum, ipsa dicta intellectus agens, affectionem in se factam in sensu supra relato contemplans, & illustrans, ut lumen colores, notionem scientificam elicit, ceu lumen species visivas. Interest tamen, quod species distinctum quid realiter à coloribus sit. Scientifica autem notio à possibili intellectu elicita, vi intellectus agentis, tantum formaliter distinguatur ab utroque, putat intellectu agente & possibili, etsi realiter distincta sit à re, quæ scitur, si ipsa anima non noscitur. Actus intellectus à nobis agens dictus, separabilis est à corpore, quod informat: & tunc cùm separatus fuerit, impassibilis futurus est, quod immixtus corpori passibili, se jungentur ab invicem, ac per se subsistens, & actu & non potentia existens facultate passibilis privabitur. Neque mirum, quod semper est honorabilius agens patientem, & principium materia.

¶ Verum decet solvere, quomodo verum hoc esse possit, cùm ego assererim, animam ipsam identice esse agentem, & possibilem intellectum, & tantum per considerationem humanam distingui, & non re: unde sequi videbatur, si alterum separari à corpore posset, & aliud quoque simul separari necessarium esse, cùm uterque anima ipsa intellectiva sint. Sed hoc dubium non magni momenti est: neque aliud, quam præterita contemplari, ut decenter solvatur exposcit. Si enim illa ratione colligeretur sufficienter, in inumeros errores nos pelicerent similes collectiones. Liceret enim inferre, quod cùm homo sit idem suæ sessioni, & suæ elevationi, quod si sesio ablata esset, elatio auferenda foret.

Et cùm similitudo Sortis in Platonem auferretur, quia Plato languit, etiam similitudo Sortis in Titium auferenda foret, quia Sortes utræque suæ similitudines erat: quod quantam falsitatem includat, qui logicam novere sciunt. Ut ergo Sortes potest amittere situm illum appellatum sessionem, manente ipso simili Joanni, similitudine, & sessione non distinctis à Petro, sed idem cum eo existentibus, sic anima potest perdere denominationem intellectus possibilis, cùm à corpore se junget, manente appellatione intellectus agentis. Post obitum enim anima non poterit à sensibilibus rebus affici, quia corpus, ad cajus affectionem afficitur, deerit: & ita non omnia fieri vere dicetur, per modum quo possibilis appellabatur. Superstes tamen ipsa nomen intellectus agentis eidem restabit: qua aliter, quam cùm corpori inhærebat, intellectiones in se formabit anima.

Ex qua sententia non tantum elicatur, Aristoteli opinatum, animam post hominis interitum mansuram, verum, & ipsam post etiam intellectoram: cùm testetur relatis verbis agentem intellectum mansurum: qui si non intelligeret, sic nominari non posset.

Idem porro intellectus efficiens, cùm actualiter intelligit, est scientia rei scitæ. Actu enim intelligens anima substantiam subditam, accidensibus Sortis, scientia substantia Sortis est. Quia ille modus habendi animæ actualiter animadvertisse se affectam ad affectiōnem proprii organi sensitivi in sensu prius dicto (indeque elicientis substantiam aliquam subdi illis accidentibus) scipsum immutantibus, quod nonnumquam accidens unum, alias diversum, & quandoque contrarium omnino ab eadem sentiantur) scientia substantia Sortis est. Et nihil præter hoc fingenendum est, esse scientiam actualem substantia Sortis: & hæc scientia cùm actualis sit, non aliquando intelligens, alias non intelligens est, quin

Textu comm. 20. quin quamdiu actualis appellatur, actu intelligens necessariò est. (Quo palam roboratur nostrum decre-
tum, quod intellectio non sit acci-
dens ullum distinctum ab anima
intellectiva, ut hucusque creditum
erat, sed ipsam animam certo mo-
do se habentem dici intellectio-
nem: nam scientia actualis & in-
tellectio non differunt, cum idem
priorum significant.)

Textu comm. 20. Secus habitualis, qua dormiens,
aut nihil cogitans dicitur homo
sciens Dialecticam, aut Physicam,
aut Mathesin, nam hæc potius qui-
dam habitus corporis informati
anima rationali, quam solius ani-
mæ dispositio est. Organa enim
interiora humani cerebri, quibus
absentia cognoscimus, & ubi phan-
tasmata asservantur, & cætera, quæ
mediant, ad assiduas meditationes
requisita in quovis actu scientifico,
quandam promptitudinem, si sæ-
pius diversa meditamus, acquirunt,
ac quemdam habitum in se gig-
nunt, quo prompti ad iterum me-
ditandum meditata vel similia redi-
dimur: qui habitus scientia habi-
tualis & in potentia nominatur. Et
hujusmodi habitualis scientia cer-
to modo prior actuali est. Nam qui
hac sciens dicitur, promptissimè in
actualem considerationem actuum
illius facultatis devenit, quo ante-
cedens actus illos executos promp-
te & expeditè ob habitum, prior
tempore illis est. Omnipotens autem
non prior. Nam si ad universos
actus scientificos illius scientiæ con-
feratur habitus ille, appellatus ha-
bitualis scientia, aliquibus poste-
rior erit, putà illis, qui habitum
eundem genuerunt, habitus enim
scientificus ex pluribus actibus, ut
Textu comm. 20. prædixi, genitus est. Tandem in-
tellectus agens separatus à corpo-
re, est solum id, quod infra concavum
orbis Lunæ verè est: nam aliæ

corporæ substantiæ corruptioni
& interitui sunt obnoxiae, hic so-
lus immortalis & perpetuus. Non
reminiscitur autem rerum à se,
dum corpus informabat, cognitu-
rum: quia separatus impassibilis
est, ut supra diximus, deficiente
corpore, ad cuius affectionem erat
afficiendus, & passibilis vocitan-
dus, sine qua passibilitate anima in-
telligere reminiscendo non valet:
ablato enim corpore, phantasmatum
ab objectis rebus fingi nequibunt.
Et quamvis fieri ea concedamus,
ubi asservarentur, asservataque
quod cerebri ventriculum affident,
sine quibus reminisci, ut nunc so-
lemus, nequimus. Neque ob hoc
privamus animam ab alio intellec-
tionis & reminiscientiæ modo, quo
utitur post obitum, sed tantum
eam dicimus non intelligere neque
reminisci, ut solita, cum corpus in-
formabat, erat.

¶ Clara, & pellucida versa Aristotelica sententia, quæ hucusque op-
pressa erroribus Simplicii Themistii, Alexandri, Averrois, &c., quod magis
miror, Theophrasti Aristotelis disci-
puli, & post hos, ac alios omnium re-
centiorum expositorum rubiginabat-
tur. Superest decernere, an paraphra-
sis hæc cum subsequentibus, ac præ-
cedentibus contextibus Aristotelis, ac
cum dogmatibus nostris de anima ag-
gentibus conveniat, an minimè. Quod
non aliter melius, quam tam anteceden-
tem expositum contextum, quam
subsequentia eundem etiam in para-
phrasin vertendo, assequemur, ves-
trumque quilibet arbitrum consti-
tuam, non tantum de re hac, verum
de collatione nostræ expositionis cum
cæteris vetustis, quas facillimè cassas,
ac nullas, multoque à litera, & mente
Aristotelis alienas monstrare indissolu-
bilis rationibus possem, nisi fasti-
diendos vos tam enormibus erroribus,
qui lectione præterita veritate imbuti
estis, vereret. Ut ergo noscatis verum
vero consonare, universos locos ejus-
dem tertii de Anima idem expressè pro-
fe-

ferentes, quod à nobis doctum est, attentè audite, exordium quippè faciam, ut dixi, ab initio tertii de Anima, usque in textum decimum septimum jam explicitum, hos, & subsequentes omnes usque in finem 3. de Anima in Paraphrasin vertendo.

Textus comm.
1.

De ea parte animæ, qua ipsa anima cognoscit, & sapit, considerare opportunum est, non discutientes in præsentiarum, quod posse explicabitur, an actu separabilis ipsa intellectiva anima sit à corpore divisibili, an solum per intellectus animadversionem seorsum & sine corpore intelligi valeat, quæ tamen re sine ipso esse non possit, ac quomodo etiam intelligamus, scribere decens erit. Nam non ex infirmioribus dubiis est, si intelligere sit sicut sentire, aut alio quovis modo pati, qualiter possibile sit, hoc fieri ab intelligibili, aut alio vicem intelligibilis supplente, cum nullum tale intelligibile actionem ullam in nos efficerre experiamur. Sensibilia enim jam quod non sibi similibus nos afficiunt, aliquo illis in repræsentando æquipollente id faciunt, putà specie sensibili. Ergo si vera relata sunt, impassibilis intellectus erit, deficiente qui afficiat. Et cum consciī simus nos intelligere, susceptivus intellectus speciei rei intelligendæ, & potentia hujusmodi species, sed non hanc suscipiens, necessariò est fatendus. Et similiter se habens ad intelligibilia, ut sensitivum ad sensibilia. Quæ sententiæ mutuò, & inter se dimicare, ac contrariae esse videntur.

Textus comm.

4.

Verum solvimus, asseverantes, necesse esse quoniam omnia corpora in quovis tempore intelligit, immixtum illis esse. Sicut dixit Anaxagoras, ut imperet, hoc autem est, ut cognoscat omnia: quippe si intellectui inhæsisset aliquod

corporeum, vel nonnullo corpore uteretur, ut instrumento, quo indiguisset, ad opus intellectionis exequendum, ut faber ferræ, aut malico, vel ut facultas sensitiva calore, aut frigore utitur in sentiendo: nequaquam calorem, aut frigus ejus gradus, cuius esset illud, quod intellectui inesset, intelligere posset: ut neque tactiva vis calorem aut frigus paris gradus cum organo tactus minimè percipit: illa enim accidentia, quæ afficerent intellectum, vel ejusdem organum, si corporeo indiguisset instrumento, ut quo utatur ad intelligendum, prohiberent extrinsecum intelligendum afficere intellectum, quia habitibus præsentibus in materia, cessat motus, ac inde intellectio illorum cessasset, & ad illa noscenda obstructus intellectus esset. Cujus contrarium omnes scimus, quin consciī oppositi sumus. Quare neque ipsius intellectus esse, est possibile, quod sit aliqua singularis & unica natura, qua aptus sit fieri in repræsentando aliqua intellectuenda, & non alia, ut sensus peculiares certa fieri possunt, & non alia. Visus enim colores & luces in repræsentando fit, & non odores, nec sapores, ut olfactus odores, & non colores, & sic singuli singula, & nullus omnia, ut intellectus, qui universaliter in omnia intelligibilia verti dicitur, non verè & realiter, sed in repræsentando illa (supplet enim intellectus vicem intelligibilium, cum post affectionem factam à phantasmatæ in potentiam interiore noscentem abstractivè, intelligit anima intelligibilia, affecta ipsa, ad affectionem phantasmatum, ut supra diximus.) Esse ergo illius in quantum omnia efficitur, vocatur animæ intellectus possibilis. De eo autem intellectu me nunc agere scitote, quo opis

Textus comm.
6.

Textus comm.
5.

Textus comm.

opinatur, & intelligit anima, & non de divino, de quo duodecimo Metaphys. aut de aliis, de quibus in eisdem Metaphysicorum libris egimus. Et hic animæ intellectus actu nihil est eorum, quæ sunt, antequam intelligat anima: potentia verò certo modo esse illa, quæ ab eo intelliguntur, dicitur. Unde colligitur, vera dicere, qui testantur, animam esse locum specierum, si id limitaverint de anima intellectiva in quantum intellectiva: nam ut sensitivæ, vel vegetativæ, aut secundum locum motivæ, minimè hoc convenit. Ac etiam dum non actu animam esse semper locum specierum asseverent, sed potentia speciem esse crediderint. Porro anima intellectiva non est semper subiectum specierum, quod alio nomine locum specierum nominamus, sed tantum tunc, cum actu intelligit, & ad affectionem organi informati ab ipsa anima intellectiva afficitur illa, ut saepius diximus, alijs autem dicitur in potentia ad formas intellectas esse. Qui modus affectionis diversus multò est ab eo, qui accidit, cum sentimus. Nam ab accidente sensato necesse est produci aliquid, quod inducatur in organum sentiendi: quod non contingit rei intellectæ: quapropter post excellens sensitivum fermè dissipans organi harmoniam immodica qualitate genita à se in instrumentum sentiendi, infimiora minus bene percipimus, ut sonum exilem post magnos auditos sonos minimè audiimus: neque odoratis rebus valde redolentibus: aut visis coloribus, aut luce splendidissimis, videre, aut odorare remissiora conceditur, nempè cum intelligimus opposito semper accidente. Post enim ardua, ac per quam difficilia intellecta, non hebetius intelliguntur infi-

*Textu comm.
6.*

miora, quin exactius, ac magis dilucide cognoscuntur. Sensitiva enim vis non sine corpore recipiente affectionem accidentis sentendi fit: intellectiva autem non ab accidente, quod sentitur, afficitur, sed à phantasmate, & si minimè sine corpore, per quod, ut medium, ipse animæ intellectus possibilis afficitur, dum rationalis anima humanum corpus informat: post tamen à corpore separata, intelligere alio modo quam nunc valet. Ergo ad dubium, quod seiscitabatur, an intellectus patiatur aliquid ab intelligibili, expeditè respondendo dicimus, quod nequaquam: sed quod tantum imaginibus sensibilium sufficientibus organa interiora in absentia vel præsentia objectorum devenit anima, tunc effecta intellectus possibilis, in cognitionem intelligibilis rei, ex quadam facultate sibi à sua origine indita, ut in antecedentibus docuimus. Intelligere enim colorem, non est illum intuitivè sive abstractivè sentire, sed naturam ejus, hoc est, quod natus sit substantiæ inesse, & visum, & nullum alium sensum afficere, percipere. Quæ coloris facultates intellectum non afficiunt, sed ipsæ certo modo aliter se habens cum intelligit, quam ante intelligere (non per ullum accidens à se realiter distinctum, sed per alium modum se habendi) dicitur sciens, qui prius, quam taliter se haberet, ignarus appellabatur. Ac illam accidentis scientiam, vel aliam quamvis postquam semel adeptus est intellectus, sine ullo doctore iterum & saepè seipso adipiscitur. Aliorumque scitorum eadem norma servatur. Et habitualis scientia hujusmodi promptitudo appellatur: nam vacans homo ab intellectus actu, sciens per illam nominatur. Nempè quamquam sine illo habitu ho-

*Textu comm.
7.*

homo in potentia sit ad eliciendum intellectus actum, & post illum quoque, non æqua promptitudo utraque est. Prior enim valde remota ab actu, & magna cum difficultate exercetur: posterior vero jam habitu acquisito, propinquissima actui existit: quoties enim animæ libet, in actum intellectus promptissimè exit. Aliudque etiam adipiscitur intellectus ex relato habitu, vel actu scientifico, videlicet, seipsum jam tunc posse intelligere, conferendo sensationis operationes intellectus actibus, quibus carebat ante exercitum intellectum. Hanc collationem faciendo, quæ sciuntur, diversa vel re, aut animadversione sunt, ab iis, quæ sentiuntur, ergo vel diverso, vel si uno eodemque utraque cognoscuntur, aliter se habens cum sentit, quam cum intelligit, illud quocumque sit, fingendum est. Quod ergo sentit, non omnino idem esse cum intelligentे, inferre licebit, ubi intellectus intelligitur. Antecedens probo, esse scilicet, diversa sensata ab intellectis. Quia consequentiæ congruentia nota est. Aliud est magnitudo à magnitudinis esse, id est, ab existentia ejusdem. Lineæ enim, quæ magnitudo quedam est, intellectio, non aliter fit, quam mente concipiendo longum sine latitudine & profunditate, idque natura lineæ, vel magnitudo ejus nominatur, quam visu sentiendo, nequaquam assequimur: quia superficiem, cuius ipsa est pars, & simul corpus sensibus percipimus. Etiam aliud est aquæ esse, hoc est, aquæ substantia, & accidentia inhærentia illi, quæ sensibus percipiuntur, à natura ejusdem, scilicet, à substantia quadam nata frigiditate & humiditate asservari, cuius accidentia si refrangantur, sit apta, esse elementum, ex quo

mista fiunt: & non quodvis, sed frigidum, & humidum, ac grave, & diaphanum, &c. Sed attentè considerandum, quod non omnia sic, ut magnitudo, & aqua, diverso modo cognosci possunt à sensu & intellectu. Si mitas enim, quæ quidem nasi curvitas est, minimè potest intelligi, si à subjecto, cui inest, sejuncta curvitas illa intelligatur: nam non quævis curvitas, sed tantum cartilagineæ carnis nasi curvitas similitas appellatur, & est. Quod intelligendo aquam, non accidebat. Frigiditas enim, & humitas, etiam diaphaneitas, ac gravitas, quæ in aqua sentiuntur, sejuncta à substantia aquæ, considerari & intelligi valent. Hæc ergo *Textu comm.* aquæ accidentia, & consimilia, ut ^{10.} quæ carni inessent, vel aliis substantiis corporeis sensitivo cognosci possunt: alio autem distincto re, aut consideratione tantum (ut filum in globum redactum distinctum à seipso extenso dicitur) natura aquæ & carnis intelliguntur. Item cum noscimus rectum aut *Textu comm.* curvum, quæ quantis continuis & ^{11.} non discretis convenient, etiam sensu rectum & curvum sentiuntur: natura vero recti aut curvi per quandam abstractionem intellectus intelliguntur. Finge ergo, quod natura recti, putà medium, & extrema brevissima linea esse contenta, in recto à recto, & natura curvi, quæ opposita recto est, à curvo sejungantur, ergo altero vel aliter se habente, hæc distinctæ dualitates cognoscendæ sunt. Indeque ulti- rius procedendo inferes, ergo sensitivum realiter, vel per alium modum habendi distat ab intellectivo. Tandem ut res separabiles sunt à materia, hoc est dictu, à conditio- nibus individuis provenientibus ab accidentibus rebus inhærentibus, illis, sic intelliguntur separatæ per

actum intellectus : quod probare cupiebam.

¶ Visum mihi est, nonnulla commenticula huic nostræ Paraphrasi 3. de Anima inferere. Primo, ut Paraphrasis clarior reddatur. Secundo, ut rationem reddam, quorundam observatorum à me inter exponendum hunc Aristotelis librum. Tertio, ut tam rationes Aristotelis hujus tertii de Anima, quibus animæ immortalitas probari eo censetur, dissolvam, quām ut monstram, alia argumenta, quibus nūs est suadere, bestiis omnibus vim sentiendi, ad minus tactivam, inesse, nullius esse valoris: quin ex ejusdem Aristotelis assertis in hoc tertio de Anima inferendum contrarium illius, quod ipse probare, conatus est.

Et quod in hoc primo commenticulo omnes non ignoretis volo, id est, non me immerito præpostero ordine textu Aristotelico usum fuisse in hac Paraphrasi: cum aliquando textum commenti (verbi gratia) quarti, connecto textui commenti sexti, ut per me nuper factum est: & post, cum etiam alios contextus Aristot. aliis præter ordinem commentatoris adjunxero. Id enim factum est, quod mihi non ex quo labore cupienti veritatem sententia Aristot. adipisci, visum est, textum sequentem annexendum esse antecedenti: quia nonnumquam intermedius contextus ut parenthesis quædam insertus esset ab Aristotele: vel quod, quandoque videbatur ineptè interpretatus antiquus contextus, servato ordine literæ vetustæ: qui si contemnatur, & alio ordine eadem fermè litera legeretur, pellucida, & vera evaderet, quæ prius obscura, & potius mendax, quam verax, interpretis imperitia, erat. Aut fortassis citra interpretis culpam patratum hoc fuit erroribus Librariorum, vel aliquorum Philosophorum, quibus licere videbatur transferre verba Aristotelica, cum sententiam assequi non valebant.

Etiā scire expedit, quod nec ob id, quod dixerim text. comment. sext. sensum uti qualitatibus primis in sentiendo, credendum esse, sensum uti illis, ut instrumento quo, nam id minime verum est, ut retulimus. Dictum en-

Tom.I,

nim illud tantum est, ut omnes sciant, quod cum intellectus intelligit, non afficitur à re scita, ut sensus à re sensit, alteratur, sed à phantasmate rei ducentis in cognitionem rei sciendæ.

Ulterius notandum, nonnullam difficultatem habere illud, quod text. commenti septimi legitur, putat post ardua intellecta, promptiores reperiri intelligentes ad hebetiora, & adversum contingere sentientibus: quo aliquo modo sejungi posse intellectum à corpore, Aristoteles probare videtur. Nam eventus ostendunt, accidere, ex arduis rebus conatis intelligi, aliquos in delirium ingens incidisse: alios mortis periculisssimis correptos fuisse, pluresque immaturè animam egisse, quæ omnia, ac singula multò deteriora esse, quām visum, vel aliquem ex sensibus exterioribus vitiari, certum est: indeque non ex illis expertis posse plus dici intellectum abjungibilem à corpore, quām sensum, rationi consonum esse censem, & existimandum erat. Quod nempè illatum verum esse ratione prædicta patet. Ex his enim quæ antecedunt, omnibus constat, vim sentiendi conferri non posse, nisi animæ indivisibili: quam esse separabilem à corpore, post agentes de animæ rationalis immortalitate ostendemus. Tamen et si hoc verum sit, inficiari non potest, multò aliter male affici intelligentem, quām sentientem. Sentientis enim organum vi proprii objecti sensati dissipatur: intelligens autem homo non à phantasmate (cujus affectio in facultatem interiore noscentem abstractivè præcedit intellectionem) in delirium, aut mortem ducitur. Sed per accidens relatos malos affectus patitur, cerebro ex assidua meditatione immodec exiccato, propter continuam præsentiam spirituum calidorum exiccatum, sine quibus phantasma elici à parte posteriori non queunt: & extracta coram parte interiore cognoscente abstractivè diutinè persistere non valent. Nam utraque ex relatis operationibus à quibusdam partibus cerebri fit, compressis occipitis partibus, ut ex se in synciput phantasma pellant, & à syncipitis retinentibus phantasma coram alia parte ejusdem syncipitis, quæ per illa cognoscit abstractivè.

Aa

trac-

tractivè : quæ corporeæ operationes expellendi , & retinendi sine spiritibus animalibus fieri non valent , quibus , ut dixi , diutissimè calefacientibus cerebrum , id exiccat . Ac hoc est in causa , cur diu nullus potest attente aliquid meditari , quin in diversa distrahatur , quod partes cerebri mollissimæ cum sint , nequeunt diu durare in eodem situ : quibus variantibus modum persistendi , statim phantasma , quod retinebant , dilabitur , & in posteriorem cellam trahitur , à partibus cerebri vim trahendi ipsum habentibus , vel propria vi , qua natum est in illam partem ire potius , quam in aliam , ita occiput adducitur . Ex quo etiam manifesta evadit causa , cur multo libenter diversa , quam eadem meditamus . Nulla enim alia est , quam quod ex diversorum meditatione , diversos situs acquirunt partes , quæ deserviunt delationi phantasmatum in partem anteriorem , & retentioni eorundem coram parte syncipitis noscente abstractivè . Quod magis multo gratum est , quam semper eundem sicut servare , ut brachium , vel crus , unicum locum diu occupare multo magis molestum est , quam diversos variare .

Textu comm.

12.

Dubitabit fortassis aliquis , si intellectus simplex est & impassibilis , & nulli nihil habet commune , sicut dicebat Anaxagoras , quomodo intelliget , si ut intelligat , passibilis futurus est : maximè quod si detur , ipsum pati , cum aliquid commune inter agens & passum semper versari debeat , quando corpora intelliguntur , corpore & magnitudine participatus intellectus esset . Ac aliud non minus præteritis dubium insurgit , an ipse intellectus intelligibilis sit à seipso , an ab aliis intellectibus tantum . Primum enim si verum est , putà quod Anaxagoras de simplicitate intellectus dixit , intelligibilis ipse erit , jam quod non alia de causa in quantum aliquid unum est , quia qui intelligit universa , quæ unitate

Textu comm.

13.

sunt participia , intellectum necessariò est intellecturus , cum de numero vel specie unitatis sit ille . Verùm si non simplex , sed mixtus sit , quia commune aliquid habet cum afficiente se aliquid habebit , quod faciat ipsum intelligibilem , sicut alia mixta intellecta etiam habent . Primum dubium facile dissolvitur , distinguendo passionem in propriam & communem . Pati propriè est corruptivè à contrario affici , ut cum calidum à frigido , vel humidum à sicco , vel nigrum ab albificante , aut album à nigritacente , vel dulce ab amaro faciente , aut amarum à dulzorante afficiuntur , vel aliud simile patiuntur alia , quæ contrarium immediatum , ut primæ qualitates , aut mediatum , ut secundæ habent . Communis autem passio est tam relata , quam ea , quæ cum plus perficitur aliqua res jam integra , ac in totum perfecta , sine ullius rei propriæ corruptione ulteriore perfectionem acquirit , ut infra commento vigesimo octavo iterum dicemus . Intellectus ergo non priorē passione , propria & corruptiva , sed posteriore , quæ passio in communi , & non propriè dicitur , afficitur ipse , habet enim se intellectus priusquam aliquid intelligit , ad ea , quæ à se post intelliguntur , ut potentia quædam susceptiva intelligibilis , velut diaphanum antequam à luce illustretur , ac ut tabula , in qua nihil est scriptum actu postea autem cum aliter se habens intelligit , quod nesciebat , perfectior accidentaliter redditur , ut diaphanum luce , aut tabula scriptura .

Secundi autem dubii solutio , hæc est . Fatemur nempè , quod ipse intelligibilis sit , ut cætera intelligibilia , à se enim ipso intelligitur intellectus noster , ut omnia , quæ per se sine materia existunt , id est ,

Textu comm.

14.

Textu comm.

15.

simplicissima, ac citra ullam quantitatem & miscellam constant, eadem dote participant, quorum Icientia speculativa & scibile dum se noscunt, idem est, ut nostri intellectus se noscentis scientia, idem est cum eodem noto. Cur autem hic non semper se intelligat, ratio, sive causa consideranda supereft. Si enim verum est, ut fassi sumus, intellectus quovis se intelligentes esse tuam scientiam, ita ut triplex, cum hoc accidit, conveniat illis denominatio, putà intelligentis, & intellecti, & scientiæ, qua se intellectus noscit, cur non semper se noscunt ii intellectus, cum in æternum non absit idem à seipso, neque quid quod obster, possit intervicare, cuius oppositum experimur: nam nisi cum volumus, nos ipsos non noscimus, ac intelligimus. Porro, quanta entia quæ ex conditionibus singularibus constant, intelligibilia in potentia dicuntur, quibus nequaquam inest intellectus, hoc est, hæc vim intelligendi minimè habere possunt. Nam vis quæ ipsa potest intelligere, sine miscella res est: & illa quæ res intelligibilis à seipsa erit.

T Exposita manet universa sententia ab exordio tertii de Anima, usque in retro explicitum caput de distinctione intellectus in agentem, & possibilem. Supereft ergo, & quæ post caput expositum ab Aristotele tradita sunt, usque in finem tertii hujus plenioribus sententiis quam possumus, ex primere. Prius annotatis duobus erroribus insignibus interpretis contextuum relatorum. Et ultimum primò monstrabo, ac postea quod antecedit.

Illud erat, quod cum Aristoteles in commento secundo, & tertio, & quarto, ac quinto hujus tertii libri proponat, ut qui probaturus infra sit intellectum esse immistum, interpres conscius Græcanicæ Linguae, & eam non ignorans, ut reor, hylen Græcis esse non tantum materiam Latinis, sed, &

Textu commun.
16.

quod nos Sylvam dicimus, unde illud Trojanum Ilium, quasi ex multis sylvis cæsis constitutum fortassis appellatum fuit, in multis locis, ubi Aristoteles loquens de intellectu, vult per quandam metaphoram dicendo ipsum esse immistum, id est, sine sylva corporum, & accidentium corporeorum. Tot enim hæc sunt, ut non inconcinnè dici possit, quodlibet corpus affectum accidentibus, sylva quadam affici, loco illorum verborum sine sylva, & misura, interpretatur sine materia. Primus ex his erroribus est, qui textu commenti undecimi refertur. [Omnino ergo sicut res separabiles sunt à materia, sic, & quæ circa intellectum sunt.] Ubi non sic, sed: Omnidè ergo ut res separabiles sunt à sylva sive miscella, sic, & intelliguntur. Probat hoc ita esse, quod infra commento decimo tertio dicat de ipso intellectu. [Si autem mistus sit, aliquid habebit, quod faciat intelligibile ipsum, sicut alia.] Ubi sylvam seu materiam supra traditam in textu undecimo à nobis citato hic misionem appellat. Idem roboret textus commenti decimi quinti, quæ sic habet. [In his quidem enim quæ sunt sine materia, idem est intellectus, & quod intelligitur.] Et consimilis sententia duodecimi Metaphysic. textus commenti quinquagesimi primi. [Non altero igitur existente eo quod intelligitur, & intellectu, quæcumque non materiam habent, idem erunt, & intellectiva ejus, & quod intelligitur una.] Ubi si loco materiæ misionem, seu sylvam multarum rerum legeris, quanto planior sententia restabit, omnibus comprehenditum est. Committitur, & idem error textu commenti decimi sexti. [In habentibus autem materiam potentia unumquodque intelligibilium est. Quare quidem illis non inheret intellectus. Sine materia enim potentia est intellectus talium.] Quæ ultima materia in sylvam, & misionem interpretanda erat, ut sensus esset. Sine miscella enim facultas intellectiva talium futura est. Multa alia sunt loca in hoc tertio, ubi, nisi ego fallor, ut qui non valde peritus Græci sermonis sim, melius quadrasset interpretatio materia in sylvam metaphoricam, quam in materiam, ex qua res fiunt. Non enim

video, quo modo impedit materia intellectio, nisi per quendam circumlocutum, quod forma, quae materia insunt, & ab ea educuntur in sensu à nobis explicito, sine qualitatibus primis neque esse neque operari possint: quae qualitatum miscella, seu sylva, impedimento intellectio per modum à me relatum erunt.

Si enim prædictam ambagem auferas, quae ratio reddi potest, ut propter materiam presentiam non insit intellectus rebus, nobis ipsis experientibus, nostris intellectus, qui non differant ab animabus nostris intelligentibus, materiam informare, & alios complures, si Deus vellet, posset ipse producere, materiam informantes, & intelligentes. Omnia enim entia naturallia vitia in materiam ipsam, ut in causam, inferunt Philosophi, hanc enim individuationis principium esse quoque dicunt, Aristotelem testem ducentes, primò Cæli, & Mundi, textu commenti 92. & 7. Metaphysic. textu commenti 28. immemores sententiae ejusdem primò de Generat. text. comm. 54. ubi refert. [Quæcumque igitur activorum non in materia habent formam, hæc quidem impassibilia.] Unde talia agentia, ut sunt substantiae separatae, singulares sunt, & non diversarum specierum (si enim ita credidisset Aristoteles, explicuisse) & citra materiam. Idem illo testante 8. Metaphysic. textu commenti 12. cum inquit: [De naturalibus autem, sed perpetuis substantiis alia ratio est, fortassis etenim quædam non habent materiam, aut non tam.] Sed hæ quoque singulares substantiae sunt, & sine materia. Et 8. Metaphysic. textu commenti 16. non solum materiam non esse causam, ut entia sint singularia, videtur dicere, sed oppositum, cum refert. [Quæcumque vero neque intelligibilem, neque sensibilem materiam habent, statim unum quoddam esse unumquodque est.]

Certe ultra relatas sententias cùm nos dilucide probaverimus, nullam materiam primam in entibus repertiri (quod etiam idem Aristoteles non paucis locis, ubi sibi non constare censeri potest, sentire videtur, ut 9. Metaphysic. text. comment. 16. & multis aliis

in locis. Et satis expresse 10. Metaphysic. text. comment. 24. [Materia namque negatione ostenditur.] Quod etiam privationibus omnibus convenit, quæ nihil esse certum est) clementia, quæ materia prima non tantum continent, sed, & elementari sunt privata, qua fruuntur mixta, individua sunt, & sine materia talia dicuntur. Ergo falsa est assertio attestans, materiam esse principium individuationis. Vero enim similius esset, dicere formam esse hoc principium, quam materiam, quæ suscipit esse à forma, ut isti autem. Etiam non est, ut qui potius dicere debeamus equum Bucephalum esse singularem equum, quia habeat hanc materiam, quam quia habet hanc formam, aut has dispositiones. Tam enim forma Bucephali seipsa est singularis numero, quam dispositiones ejus seipso, quam materia illius seipsa est una numero. Neque est ulla ratio, cur potius Bucephalus hic singularis sit, & non diversus, nisi quia talis est, ut Aristotelis expressè prope finem octavi Metaphysic. text. commenti 16. refert. [Quare simile est querere, quidnam unius causa sit, & ut unum sit, unum enim quiddam unumquodque, & quod potentia, & quod actu unum quodammodo est, quare nulla alia causa est.] Multa alia possem trahere argumenta, & decreta Aristotelis in hunc usum, sed quod videntur relata sufficere, ad explodendam hanc quasi communem animalis conceptionem Physicorum, ideo non ulterius progrediar. Nec intelligatis, quod illa ut verè communis animalis conceptio, sed quod discipuli à magistris, & magistri ab expositore Aristotelis usurpantes illam, quasi per canales usque in hac tempora, ut verissima assertio credita est. Tandem ex omnibus præcedentibus constat, quod meritò à nobis increpatus interpres est, cum in locis decentibus hylen non vertit in sylvam, seu miscellam, sed in materiam.

Secundus error est text. comment. undecimi, qui sic in contextu antiquo habebat. [Iterum autem in his, quæ in abstractione sunt rectum sicut simum.] Ubi nos loco simi, curvum verimus, nam de simo prius loquutus fuerat Aristoteles, & sententia relata,

& quæ illam sequitur, de simo non agit, nec agere potest, cùm ibi agat de his, quæ abstrahi possunt à materia, cui insunt: & text. commenti 9. simum à materia non potuisse sejungi dixerat, nisi de recto opposito curvo, ut patulum legentibus est.

Mitis erroribus, omnes legentes, quæ antecedunt, advertant, precor, quibus planioribus verbis potuit Aristoteles ostendere nobis, animam ipsam esse saos actus, quām præcedentibus, textu commenti 15. ubi expressè ait: [In his enim quæ sunt sine materia, idem est intellectus, & quod intelligitur, scientia namque speculativa sicut scibile idem est.] Animam enim intellectivam prædixerat text. comment. sext. non esse rationabile misceri corpori. Itaque sejungibilem à materia, eam esse, credebat, & in talibus scientiam speculativam, qua se noscebant, non distinctam esse à noto, seu scito, qui idem cum scientie erat opinebatur. Ergo manifestè de primo ad ultimum infertur, animam esse suos actus. Nam scientia actualis, ut omnibus constat, non est aliud, quam intellectio quædam. Et quamvis sint alia loca, quæ infra notabuntur, ubi hoc idem testatus est Aristoteles, præser-tim text. comment. 19. & aliis sequentibus, de illis mentionem hic agere non placet, sed tantum sententiam noni Metaphysic. text. comment. 16. du-cere visum est, qua apertissimè testatur, tām sensationes, quām intellectiones, non distingui à sentiente, neque intelligentie. Verba hæc sunt: [Quo-rum verò non est aliud quoddam opus præter actionem, in ipsiusmet actio est, ut visio in vidente, & speculatio in speculante, & vita in anima.] Sed vi-ta non est quid distinctum ab anima, quæ vivit, ergo nec visio à vidente, neque speculatio ab speculante. De his non plus, cùm parum post operis prin-cipium ita esse, ut nunc testamur, de-monstrationibus probaverimus.

Ulterius notandum hucusque in omnibus contextibus expositis, nul-lam rationem ductam esse ab Aristotele, qua separabilem esse à corpore intellexum ostenderit: neque qua con-set, intellexum non uti corpore ad intelligendum: quamquam utraque

asseveret, & supponat, ut vera. De quibus est omnis ambiguitas, & contentio.

Ultimò animadvertisendum, dubium illud, quod Aristoteles textu commen-ti 16. movit, & non solvit, Cur, sci-licet, intellectus ipse non se semper intelligat, esse (secundum meam sen-tentiam) difficillimum. Nam cùm i-dem sit intelligens, & intellectum, & intellectio, impossibile apparet, animam intellectivam non semper se intellexuram. Non enim est libera ad non noscendum, quod præsens sibi est, ut visibilia ostendunt, quæ coram oculis præsentata, necessario videntur ab oculis apertis, & debite dispositis, quam promptitudinem intellectus sem-per habiturus erat in se noscendo. Ni-hil enim inter se intelligentem, & se intellectum interponi potest, quod vi-tet intellectuonem. Sed hoc quamquam, ut dixi, difficillimum est, dilucide solvemus, cùm de Anima immortali-tate infra agemus, ibi unde hoc con-tingat, explanabimus.

Hactenus hæc: Redeamus ergo pro-sequi explanationem tertii de Ani-ma auspicantes à fine textus commen-ti vigesimi jam à nobis expositi, & ini-tio textus comment. vigesimi primi, ubi desivit sententia textus vigesimi, docendo animam, post obitum non reminisci cognitarum rerum à se, dum corpus informabat, ita ut dum vivi-mus, dicentes, qualiter homines sim-plicia, sive immista, seu indivisibilia intellegant, ac quomodo composita etiam concipient: priorque sententia hæc sit.

Indivisibilium intelligentia talis Textu comm. 21.
est, quod cùm intelliguntur, ne-que verum, neque falsum intellexisse asseverare possumus. Sejun-gat enim in animo, qui velit, ab homine animalis naturam, seu fa-cultatem, contemplando in illo aliud nihil, quām ejusdem homini-nis animalitatem, si licet dicere, non affirmando, hujusmodi natu-ram esse vel non esse, neque con-cipiendo, quod in homine quæ-dam entitas distincta ab alia ap-pel-

pellata, rationalitas, sibi superaddita sit, indivisibile hic cognoscet, & neque verum aut falsum intellectus dicetur: quia sic intelligens, non testatur illud esse, aut non esse, vel taliter aut aliter, cum alia entitate se habere. Etiam sessionem intelligens, ut quoddam peculiare, ubi, partium hominis est, non affirmando rem inherenterem homini esse, ut calor, aut color, minimè mendax neque verus intellectus ille appellandus erit. Nam ubi falsum, aut verum concipitur, non indivisibile, sed indivisibilia intellecta, ac unum componentia intelligenda sunt. Et ne discedamus ab exemplis relatis, si qui concipit animalitatem, testaretur eam esse, & entitatem quandam distinctam à rationalitate credidisset, jam falsum intellectus finxit, ut qui sessionem inesse homini, ut accidentis distinctum à sedente, non minus deciperetur, & falsum intelligeret. Ac præfata intellectus compositio similis est illi, quam Empedocles finxit, cum retulit, quævis membra sejunctim fuisse genita, sic, ut quamplura capita, & cervices multæ, & alia etiam membra innumera seorsum durante lite facta fuisse: post transactam verò litem, accidente concordia, composita fuisse: & quæ casu, seu fortuna quadam aptè componi acciderant, ut caput humanum cum humana cervice, & equinum cum equino collo, duraverent. Et alia similia genitoribus produxere. Quæ autem ineptè, ut asininum caput humano collo, aut asininus pes humano capiti, perierunt, quod neque esse, neque similia gignere valuerunt. Priora enim sic connexa fuere, ut asymmetrum, sive incommensurabile diametro. Quippè impossibile est, esse diametrum, qui lateri ulli fit in certa proportione geometrica major, aut

minor. Tandem qui facta fuisse, aut futura eventura conceperit, componit certè res intellectas cum tempore cointellecto, & ex hujusmodi compositione falsum aut verum necessariò etiam elicit. Porro si album non albo, aut si non album albo concipis, componis non album cum albo. Nam si divisoris, quæ composueras, necessariò mentaliter dices & intelliges utraque, tam non album, quam album, quæ prius simul composita, & unum facientia conceperas. A qua compositione minimè abhorret alia, quæ ex tempore intellecto cum re intellecta constat, ut cum concipitur Cleon albus, cum tempore praesente cointellecto, intelligendo hanc, Cleon est albus. Vel idem concipitur cum tempore futuro cointellecto, ut hanc concipientes, Cleon futurus est albus, vel cum præterito, ut intelligendo illam, Cleon fuit albus. Simul utraque tam Cleon albus, quam tempora relata unum componentia intelliguntur. Certè intelligens Cleontem existentem, non duo expressè intelligit etsi implicitè duo concipiatur, ut etiam qui Cleontem album intelligebat, explicitè minimè duo intelligit, sed unum. Ac ut hæc diversa intellecta unum sunt, sic quæcumque alia intelliguntur, quantumvis composita sint, ut unum intelliguntur.

Sed redeamus loqui de indivisibilibus, de quibus agere auspicati fuimus. Dicitur autem indivisibile dupliciter. Et quod actu est non divisum, potest tamen dividii. Aut quod neque actu divisum est, neque dividi potest, quæ utraque intelligi valent. Nihil enim prohibet cum linea intelligitur, vere dixisse, indivisibile intellectum est, indivisa enim actu est. At etiam quod in tempore indivisibili con-

Texta comm.

23.

cep-

cepta sit, non minus verum, quam præcedens est: quamvis enim tempus divisibile potentia sit, cùm actu non dividitur, indivisibile, ut longitudo actu non divisa appellatur, & est. Decipietur certè, qui utrumque tam tempus quam lineam intellecta esse, ut indivisibilia existimaverit, non intelligendo eadem, sed ejus medium, quod indivisible est. Nam medium lineæ, & cuiusvis alterius magnitudinis minimè intelligi valet, nisi res illa divisa fingatur. Fiat ergo sic, quòd quis intelligat illius, quod divisibile erat potentia, quamlibet medietatem seorsum, necessariò etiam tempus, in quo illæ medietates intelliguntur, divisum erit: accidetque idem tempori, quod longitudini. Nam ipsa, quæ non actu, sed consideratione divisibilis indivisibilis intelligebatur, postquam divisa animadversione fuit, dividuè intellecta est, sic tempus, quod indivisible concipiebatur, cùm quædam duratio indivisa intelligebatur, jam necessariò dividitur, cùm magnitudinis diversæ partes concipiuntur, in diversis nempè temporis partibus utræque intelliguntur. Si enim ut partes cognoscendæ erant, totum intelligendum erat, cuius ipsæ partes sunt: & medietatum qualibet concipienda, quæ considerationes non simul fiunt, ergo in tempore diviso: ut linea divisa intelligebatur, quod ostendere nisi sumus. Verum cùm magnitudo ut ex utrisque suis partibus constans indivisibilis cognoscitur, ut tempus, cùm ex utrisque suis partibus constitutum indivisible intelligitur, reverè non secundum quantitatem indivisibilis magnitudo & tempus, sed specie indivisibili intelligentur. Anima enim ipsa intellectiva affecta, ut diximus, à phantasmate magnitudinis,

Textu comm.
25.

vicem speciei indivisibilis agit, ut magnitudo intelligatur indivisibili tempore, & indivisibili animæ conceptu. Per accidens ergo relata dicuntur indivisibilia, in quantum indivisibiliter intelliguntur, alias certè divisibilia sunt. Fortassis enim inest his aliquid indivisibile, quod constituit tempus unum, & longitudinem unam, & continuum unum: proportionabiliter penè hoc se habentibus, continuo tempore, & longitudine. Punctum autem & omne, quod intelligitur mediare inter partes conjunctas, ut instans temporis, quod præteritum præsenti connectit, & mutatum esse motus, quod ejusdem partes agglutinat, ut privationes quædam intelliguntur, putà, in linea cognoscendo quod ejus dividi secundum longitudinem non potest, punctum intelligitur, & in motu intelligendo, quod est proportionale instanti temporis mutatum esse concipitur, in utroque nempè motu & tempore illud quod eorum partes connectere singitur, diversum denominatione ab illis est, divisioneque priyatūm concipitur, ut lineæ punctus. Oportet autem indivisible cui insunt relata cùm talia intelliguntur qualia sunt, esse potentiam, seu facultatem cognoscendem, & hujusmodi intellecta dici existere in ipso indivisibili intelligenti per modum à nobis expositum. Nempè si alicui ex his indivisibilibus facultatem cognoscendi habentibus contraria ex his, quæ se mutuò corrupunt, non inhæsisset, ipsum semper cognosceret seipsum, & actu separatum foret. Quod de intelligentiis, & de anima post obitum verè dicitur: ipsæ enim non informant corpus natum contrariis affici, & hic contextus, etiam de anima vivente intelligi quoque poterit: quia verè corpori,

ri, & non intellectivæ animæ contrariae qualitates insunt, de qua verum est dicere, quod ipsa seipsum sit nata semper intelligere, et si pro statu isto non valeat propter rationem dicendam infra de animæ immortalitate agentes.

Explicito modo, quo divisibilia indivisibiliter intelliguntur, restat explanare, quomodo, quæ nec actu divisa sunt, neque dividi possunt, ut punctum, & omnia, quæ quodvis continuum dividere intelliguntur, concipiuntur, ut mutatum esse temporis, quod prius à posteriore sejungit, & superficie linea, quæ dextrum à sinistro, vel anteà retro secernit, ac corporis superficies, quæ altum ab infimo, vel anterius à posteriore sejungit. Omnia enim hæc in quantum alia dividunt indivisa sunt. Linea certè ut superficiem constituens, & dividens eam secundum latitudinem, vel longitudinem, indivisibilis noscitur: ut superficies, prout dividit corporis altum, etiam indivisibilis censetur: & punctum in quantum dividens lineam, ut relata, indivisibile habetur. Hæc ergo non aliter monstrantur & intelliguntur, quam nt privationes, ut supra diximus. Lineam enim qui noscit, ut tantum longam, intelligit: & punctum, ut privatum illa longitudine, & tamen connectens illius longitudinis partes. Ac per eandem normam cætera indivisibilia non simpliciter cognoscuntur. Tandem ut plusculum, quam hucusque dictum fuit, de his, quæ ab intellectu noscuntur, tractemus. Scendum, quod omnis dictio, in qua aliquid de aliquo assertivè dicitur, vera est, aut falsa omnis verum tamen non omnis intellectus sic habet, sed quærens quod est aliquid, vel quod esse & principium habet, verus semper est, in quan-

tum noscens esse hoc, de quo est quæstum. In quantum autem illud dicitur & prædicatur de aliquo, non semper verus est, ut videre aliquid ex propriis objectis visus, verum & certum semper est, cum quæcumque res videtur: utrum autem res visa alba, aut nigra, seu alio accidente affecta sit, non semper est verum. Tandem quæ sine materia, idest, mistione sunt, & intelligunt: eadem quod scientia rei sunt, cum actu intelligunt, intellectiva nempe anima sic se habens, ut eam decet, cum actu scit, scientia rei est, & dicitur. Illa autem, quæ nominatur habitualis scientia, seu facultas habitualis scientifica, tempore prior uno modo nominatur, quia nonnullos antecedit actus, putè, illos, qui fiunt, postquam ipsa genita est. Omnipotens autem & in universum non tempore prior est, nam subsequitur actus, qui ipsam habitum dictam generunt, nempe ex rebus, quæ actu sunt, omnia fieri sunt apta, ergo habitus ab actu genitus necessariò fuit. De quibus jam supra.

Quippe videntur sensibilia reddere sensitivam facultatem, quæ in potentia ad sentiendum est, actu sentientem. sed minimè patiendo, neque dolorem, neque alterationem ullam sustinente facultate sensitrice, sed alia specie motus illam sufficientibus sensibilibus. Illi enim motus, qui passionem, vel dolorem inferunt, ut calefactio, aut infriugatio, vel qui alterant, ut qui album, aut nigrum reddunt: aut quilatione movent, actus imperfecti cum incipiunt, sunt, qui tempore perficiuntur. Certè calere incipiunt subjecta caloris, & augeri, & consistere didicere, ut cætera. Sentire autem in quantum sentire, nihil horum novit: sed quām primum color objectus sensui est, tam-

citò omnino sensatus & notus ab oculo est, facultate syncera existente. Neque huic rei dissimile contingit aliis facultatibus sensitricibus: quia cum simul ad aures pervenit sonus, auditur, & sapor gustatur, &c. Quod si actus non tendunt perficere & consummare aliquid, quod fieri incipiebat, ut reliqui, sed perfectum, & omnino consummatum ens, sensitivum scilicet, multò perfectius notione reddere. Sentire quidem, simile est addiscere, vel intelligere. Ut enim addiscendo, vel intelligendo assequimur, quæ ignorabamus: ita sentiendo sensibilia, cognoscimus, quæ minimè noveramus. Nam cum delectabile aut triste prosequitur, aut fugit sensitiva vis, affirmans, aut negans aliquid, hoc efficit. Est enim delectari, aut tristari, noscere mediante sensu bonum, aut malum, inquantum talia sunt, & non inquantum colorata, aut frigida, aut odorata, vel aliter se habentia dicuntur. Et fuga, ac appetitus prosequutivus actualiter differunt, nam fuga, à re, & versus oppositum situm ire suadet: appetitus ad rem tendit. Sed non alterum appetitiva facultas, & alia fugam suadens. Neque ipsa ab invicem re differunt à sensitivo, sed esse alterum eis est, hoc est dictu, distant tantum in consideratione per alium modum essendi, ut enim tactus noscit calorem, sensitiva vis dicitur: ut dolore afficitur, suadens fugendum ipsum calorem, fugitiva facultas appellatur: & ut frigus delectans percipit, appetitivæ nomen sortitur: sed horum neutrum distincta entitas ab alia est, sed unum & idem diversis appellationibus nominatum. Quo enim modo qui non noscit, posset cognoscere dolorem? Si ergo sentiens futurum est, qui dolorosum novit, idem de-

Textu comm.
29.

fuga suadere debet. Nec enim intelligi potest, qualiter suadet semel fugam, cum quid triste est, & postea prosequutionem imperabit, cum delectabile offertur, cui illa incognita fuerint: necessario ergo omnia munia recensita idem numero ens exequuturum est. Verum cum anima in quantum intellectiva noscit, numquam dolorem, aut delitiam percipit, quod passiones sensus sunt, ut retulimus: intelligit tamen bonum aut malum, quæ proportionalia sunt tristi, aut delectabili, & phantasmatibus utitur in hujusmodi operibus vice sensibilium, affirmando, vel negando cognitum bonum, aut malum esse, & prout alterum, vel aliud est, prosequitur, vel fugit illud: ideo nequam sinephantasmate intelligit anima.

Textu comm.
30.

Tam longa contextuum spatia, unico tantum commento explico, quod Paraphrasis ipsa satis vices commenti suppleat, & quod antecedentia etiam non parum explicuerint praesentium sententiam. Contextus ergo ille vigesimus primus, qui prior explanandus sese offert, & fermè omnes tequentes usque in hunc trigesimum, de diversis indivisibilibus, & de modo, quo ipsa intelliguntur, agunt. Multipliciter enim dici indivisible contextus praesentes testantur. Quæcumque enim entia singulare inquantum unum sunt, indivisibilia dicuntur, quod unitas indivisibilis inquantum talis consideratur. Nominantur quoque indivisibilia illa, quæ quanta ipsa mutuo connectunt, ut punctus linea partes agglutinans, & linea ipsa latitudine indivisibilis existimata, quæ superficiei partes connectit. Et superficies profunditate non divisa dicitur, quæ corporis partes conjungit. Est & tertium indivisibili genus, eorum, quæ Metaphysica consideratione abstrahuntur, ut genera, & species seorsum, & ab individuis sejuncta considerata, ut ens, substantia, corpus, animal, & homo. Eodemque indivisibilitatis modo para-

Bb

ti

ticipare dicuntur, horum differentiae, entitas, existentia, corporeitas (si dicere licet) animalitas, & humanitas. Quartum, quod propriè indivisibilitatis nomen meretur, est, quævis substantia, quæ locum nullum circumscribendo occupat, & in quavis parte loci, ubi definitivè esse dicitur, est tota in toto, & toto in qualibet parte. Quos modos indivisibilitatis, ut dixi, intellectum intelligete, explicuit Aristoteles contextibus antecedentibus.

Ulterius animadvertisendum, textum commenti vigesimi septimi exprese etiam robore, quod nos supra docueramus, animam intellectivam non distingui realiter à suis intellectio[n]is actibus.

Est quoque quæm maximè notandum, non dubitari ab Aristotele, bruta non affirmare, esse quæ ab eis sentiuntur, qualia sunt, ut aliqui, quos in principio hujus operis impugnavi, insanè opinati sunt. Quod ita esse, pallam docent verba contextus vigesimi noni. [Est enim delectari, aut tristari, noscere mediante sensu bonum, aut malum.] Et cum tam Aristoteles, quæm cæteri Physici, contra quos ego, ut dixi, argumentor, credebant bruta sentiendo, & delectari, ac tristari, necessariò cogendi sunt universi, ipsa affirmare, aut negare bonum, aut malum, ut verba expressa Aristotelis proferunt.

*Ratio alia
qua probatur
bruta minimè
sentire.*

Non minore diligentia quæm præterita consideranda est textus commenti vigesimi quinti sententia, qua affirmatur, puncta, & cætera indivisibilia ut privationes intelligi. Ex illa enim assertione colligitur, si bruta noscerent, ut hucusque opinatum est, ipsa privationes cognitura, quod opus intellectus esse ab Aristotele affirmatur. Consequentia probatur. Bruta prærupta timent, & cum ad præcipitia accedunt, ulterius nisi vi progressi nequeunt. Sed præcipitum quodvis nisi privatio soli, cui inniti sit possibile, dicitur, & est: ergo si cognoscendo bruta, illud verentur, & non naturaliter illius speciebus fugantur, ut nos opinamur, sequitur illatum, putata brutis inesse vim cognoscendem privativa, quod opus intellectus esse, auctore Aristotele, ostentum est.

Ulterius, si bruta noscendo abrupta, timerent, non id efficere aliter potuissent, quæm illationes ex antecedentibus inferendo. Homines enim cum timemus præcipitia, & ad ea expositi retrocedimus, non id aliter efficimus, quæm noscendo, si gressum ultra præruptum porrigemus, cum deesset solùm, cui pes inniti posset, statim præcipites ituros. Ubi antecedens, & consequens, et si non explicitè, implicite tamen formamus. In relato nempe eventu antecedentis major hæc eset: Omne præruptum nullum grave ultra se tolerat, quod aër tantum post præcipitia sit. Minor illa: Sed homines graves sumus. Consequens istud. Ergo qui ultra prærupta ingredi vent, præcipites ibunt.

*Idem quod
supra roboratur.*

Neque valeret dicere, bruta noscere præruptum, & naturaliter sine illatione ulla fugere ab illo. Quod enim non sit veritati consonum hoc, primò probat, præruptum, ut supra dixi, non esse, nisi privationem soli, quam bruta percipere nequit. Quod privationis dignotio intellectus opus sit ex assertis ab Aristotele. Secundò, quod si naturaliter timeretur à bruto præruptum, sive ut privatio, seu aliter, nescio, quid compulit Physicos, attestari, bruta cognoscere. Nam si cognitio non deseruit brucis, nisi ut illa fugiant, aut prosequantur naturaliter inimica, vel amica, cum de cognitione brutali incertisimus, & de fuga, & prosequitione certissimi, non rationi, & veritati conformius erit, affirmare specie rei timendæ naturaliter fugari animal, quæm notione: & specie rei amandæ etiam naturaliter prosequi ipsum, quæm cognitione. Si enim physici hucusque opinati sunt, sensationibus diversis diversos motus brutorum naturaliter fieri, quæ sensations non sine speciebus fiunt: cur mihi verisimiliora dicenti, speciebus tantum non inducentibus sensationem bruta moveri non assentuntur? In physicis enim negotiis, cæteris paribus, naturam vitare ambages, & pluralitatem, eadem nos docet. Ergo cum prædecessores nostri universi crediderint, duo præcedere motum brutorum, specierum scilicet, inductionem, & cognitionem objecti, ad quæ naturaliter (ex eorum con-

confessis) sequitur motus exequutio: cur causam alteram, certam, scilicet, & sine qua motus fieri nequit, putat specierum inductio, pro causa non assignant, & aliam, cognitionem scilicet, ut superfluentem non explodunt?

Nos enim homines consciit sumus, nos ipsos sentire, & cognitionem non naturaliter nos cogere in alterutram partium ire. Neque solum ad motus exequendos ipsam nobis deservire, sed nonnullam, ad sciendum tantum, conferre, quo quam maximè distamus à brutis: ob quam causam nobis collatam esse vim sentiendi, existimamus, & à brutis propter contrariam ablatam. Non adeò invalida sunt hæc, quæ duximus, quod hoīinēm sanx mentis non convincant. Quibus non egere, ad roborandum nostrum decretum de brutorum insensibilitate existimo, cum in operis hujus exordio demonstrativis rationibus id ostensum sit, & in fine hujus de Immortalitate animæ agentes, iterum demonstrabimus, Deo concedente prius in ultimo commenticulo hujus hac ratione ampliata.

*Textu eomm.
31.*

Explicemus exactius modum, quo afficitur in sentiendo anima. Nempè, ut mox referam, aër ab objecto colore afficitur, qualiter non ab aliis rebus: ipseque hoc modo affectus, pupillæ eandem affectionem imparitur: ipsa autem alterum, scilicet, animam se informantem afficit: quia potius ipsa ad organi animati informationem afficitur. Idem quoque auditui contingit putat ab aëre affecto affici, & inde animam informantem audiendi organum eodem modo affici: & cum tam anima informans pupillam, quæ auditus organum, unum numero sit, quia ipsa non est divisibilis, supereft ultimum & præcipuum sentiens esse unum indivisible. Certè non aliter posset decernere dulce à calido, aut sonum à nigro, quæ idem numero quod sentit essendo. Si enim alterum esset, quod dulce, aliud quod calidum, & aliud, quod sonum, &

Tom.I.

aliud quod nigrum sentiret, minime ullam differentiam utrorumque quodvis illorum nosceret. Necesse ergo est, esse aliquod unum, universa relata sentiens, cum ejus actus in nobis experiamur, ut prædiximus. Quod quia trino modo percipit, & trinus appellari non abhorret. In quantum enim dulce & calidum distinguit à colore & sono, duplex nominatur, aliter enim duo priora, quæ posteriora sentit. Nam prima, gustu, & tactu: ultima, visu, & auditu. Prout tamen utraque tam priora quæ posteriora percipit, & inter ea distinguit, trinus dicendus est. Seryat que illud unum & idem judex, ac censor dictorum, quod in proportionalibus numeris observari noscimus. Porro ut dicere solemus sex se habere ad tria, ut quatuor ad duo, inter enim utraque collata dupla accedit proportio: & proportionabiliter sex se habere ad quatuor, ut tria ad duo, quia utriusque numeri in proportione sesqui altera infima excellunt: sic percipiens dulce ad sentiens calidum, se habet, ut sentiens sonum ad sentiens album, & dulce ad calidum, ut sonus ad album. Nihil enim nostra interest, an relata, quæ diversi generis sunt, conferamus, an alia, quæ ejusdem generis existunt, quia contraria sunt, ut album & nigrum: ex quibus si collatio recensita fieret, idem per ipsam probabimus, quod antecedenti probare inceperamus. Finge enim, quod sit a. album, & b. nigrum, & g. dulce, & d. calidum, & ratio statim procedet: Sicut a. album ad b. nigrum, & g. ad d. sic illa ad invicem, omnia enim mutuo differunt, & non uno modo sensus afficiunt. Ergo permutatim sicut a. b. ab uno noscuntur, putat à visu, ita g. d. ab uno noscenda sunt. Et ultra distingue

Bb 2

guens

*Textu eomm.
32.*

guens inter a. b. juncta & g. d. unita, necessariò idem erit. Differet tamen in modo essendi, quod aliam vel aliam partem organicam illud informabit, & ob hoc à diversis rebus sensatis aliter & aliter afficitur.

Textu comm. Interjectis, quæ audistis de sensibus, ulterius procedamus discutere ea, quæ de intellectu dicere orsi fuimus. Illud erat, quod species in phantasmatis ab intellectu intelliguntur. Et quod sicut res cognitæ mediante phantasmate decernuntur appetendæ, aut fugiendæ, quamquam sensum non immutent, ita prosequuntur, aut vitantur, ut sentiens ignem contrarium sibi, & ob hoc dignum vitari, ab igne se movetur, quia impugnans ipsi: ita phantasmatis ab sufficientibus animam, ut quæ videntur, afficiunt sensum, ratiocinatur anima, & deliberat futura, ut si essent præsentia:

Textu comm. ut cùm intellexerit id illatum laetitiam, prosequatur, & fugiat, quod tristitiam inferet. Et in omnibus actionibus, quod retulimus, servat intellectus. Similia enim sunt verum & falsum, quæ non in usum actionis ullius noscuntur bono & malo. Differunt tamen penes hoc, quod simpliciter intelliguntur verum & falsum, bono & malo non ita, intellectis, sed ad quoddam opus semper conceptis.

Textu comm. Quæ quippè abstractione intelligi dicuntur, ut simum in quantum simum, non noscuntur separando curvitatem à carne, nam talis curvitas similitas non esset, quod similitas sit nasi curvitas: in quantum autem curvum, rectè porrò curvitas sine carne, cui ipsa inhæret, concipitur: sicut & universa mathematica, quæ inhærente dicuntur substantiis, sine subjecto, cui insunt, intellectus intelligit, ut si se juncta essent. Tandem intellectus

secundum actum hoc est intellectio horum mathematicorum & quorumvis, res ipsa intelligens est, putà, anima ipsa intellectiva. Utrum autem accidat hanc animam intellectivam intelligi ab aliqua ex intelligentiis separatis à corpore, dum ipsa magnitudinem corporis informat, aut non, considerandum posterius est.

Nunc autem de anima dicta re- *Textu comm.* capitulantes, dicamus iterum, quod omnia quæ sunt, quodammodo est anima. Nam sensibilia quæ sunt, & intelligibilia. Est enim cùm redditur ipsa scientia alicujus rei actu à se scitæ, quæ sciuntur quodammodo. Cum autem sensus objectorum sensibilium sensibilia. Si autem quæritur, quomodo hoc verum sit, at-

Textu comm. tendite. Dividitur nempè scientia ad proportionem rei scitæ: & cùm dupliciter dicatur res scita, quedam actu, alia potentia scibilis: ita scientia alia actu, reliqua potentia sciens appellatur. Sensus quoque eodem modo distinguitur. Quæ certè facultas in potentia scientia est, non dicitur scibilia, ut neque sensitiva vis in potentia dicitur sensibilia. Quo autem modo actu utraque ex relatis facultatibus sit suum objectum, patet, non confitendo verè & realiter animam scientem esse rem exteriorem scitam, neque sentientem esse objectum extrinsecum sensatum. Nam lapis exterior scitus, aut intellectus, minimè potest esse in anima, quanto magis esse animam, sed affirmando species rerum inesse animæ, pro quanto ipse hærent organo corporeo animato anima rationali, & animam sic affectam, esse species specierum,

hoc est, certo modo se habentem, dici sentientem, & aliter intelligentem: non aliquibus accidentibus realiter distinctis à se, ut sæpius audistis, sed ipsa sibi ipsi ad-

Textu comm. 36.

38.

Textus comm. notionem vicem specierum omnium supplente. Quo simillima est manui. Nam ut fabrilia instrumenta mediante fabrica manus artificis exercent propria munia: ita intellectus est species specierum phantasmatum, & sensus species sensibilium specierum productarum à sensibilibus. Quoniam autem apparet nihil sub lunari circulo, quod quantum non sit, sensibilia hæc universa se juncta animadversa à formis sensibilibus, hoc est, ab accidentibus affidentibus illa, intelligibilia sunt, & eadem, quæ abstrahuntur, non minus, ut quicunque sensibilem habitus & passiones etiam intelligibles modo relato fiunt: quapropter qui non sentit, nihil addiscere aut intelligere potest. Nam qui intelligit, phantasma aliquid speculatorus est: quo careret, si non sentiret, mediantibus tenebris sensibus phantasmatum in nobis gignuntur, quæ vicem sensibilem supplent. Nisi quod sine materia, quam representant, sunt. Phantasma certè albi hominis non album est, neque quadrati quadratum, sed vim habent hæc, taliter afficiendi partem cerebri anteriorem abstractivè noscentem, ut illa cerebri pars ab eis affecta, abstractivè noscat, quod olim intuitivè anima sensit. Neque opinemini phantasiam vim habere affirmandi, aut negandi aliquid. Affirmatio enim aut negatio, in qua verum, aut falsum consistit, compositio intellectum est, id est, intellectus diversa cognoscentis: qui non immerito in plurali nominatur, quod idem diversus à seipso censetur, cum diversa intelligit, sic ut cum aliquid simplex noscit, ipse intellectus illius rei dicatur, & cum aliud, etiam alterius intellectus nominetur: & cum ambo intellecta conjungit, affirmando al-

Textu comm. 39.

terum alteri inesse, verus aut falsus hujusmodi intellectus, seu intellectio sit. Sæpè enim, si animadvertis, Aristoteles in hoc tertio de Anima, intellectum vocat, quam nos intellectuē appellamus, de quibus post antecedentem contextum Philosophus inquit primos intellectus, id est, simplicium intellectiones, non esse phantasma, ceu neque alii intellectus, hoc est, aliæ intellectiones compositæ ex primis. Sed non sine phantasmatibus fiunt. Tandem quoniam *Textu comm.* anima definita est, in quantum animalibus inest, id est, sensum exercens, & prout discrezione (quod est intelligendi mūrus) utitur. Et ut sentiens motus secundum locum causa existit, de sensu & intellectu determinata sint tanta.

De movente autem animali, quæ pars, hoc est, species animæ sit, speculandum est, utrum aliqua ex tot animæ differentiis, quæ seorsum & extra corpus & omnem magnitudinem possit existere, aut tantum ratione ab aliis differre, an omni animæ & cuvis ejus facultati concessum sit movere corpus. Et si species animæ aliqua, utrum peculiaris quædam præter consuetas dici, an una aliqua ex jam recensitis. Offertque se statim, cum de *Textu comm.* hisce rebus sciscitamur, dubitatio: ^{41.} Quomodo oporteat partes animæ nominare, & quot sint, quodammodo enim infinitæ videntur, & non tantum certo numero præfinitæ: ut qui dividunt in ratiocinatricem, & irascibilem, & appetitivem: aut, ut alii, in rationalem & irrationalē. Quoniam si recte perpendimus differentias, quibus præfatae distant, & aliæ se offerunt magis multò relatis dissidentes. Nam vegetativa, quæ communis est omnibus animalibus & universis viventibus: & sensitiva, quæ non

*Plato haec
distinctionem
scripsit.*

Textu comm. non faciliter connumerari irratio-
cinatrici neque rationem habenti
potest, adhuc autem & phantasti-
ca, quæ per esse quidem ab omnibus
relatis differt, & altera, seu di-
versa est, ejus enim operationes
distant quam maximè ab omnibus
aliarum. Quæ autem ex animabus
dictis operationes aliquas ex nume-
ratis habeat, & quæ alias, non par-
vam infert dubitationem: præser-
tim si divisiones animæ in mem-
bra separata realiter distinguuntur.
Nam & appetitiva inter distinctas
veniet censenda, ut quæ ratione &
facultate altera videatur esse ab
omnibus. Sed hanc à sensitiva &
intellectiva distinguere, non pa-
rum inconveniet, cùm tam con-
cupiscendi quæm irascendi actus in
irrationalibus deprehendantur, si-
cūt in rationalibus, qui voluntate
utuntur. Si autem tria in rationali
anima noscuntur, ratiocinium scili-
cket, & voluntas, seu actus concu-
piscendi delectabile & irascendi
adversus inimicum in unoquoque
vivente & sentiente erit appetitiva
vis, nam in brutis per quæm dilu-
cidus appetitus cernitur. Et etiam
illud, de quo nunc dubitabamus,
quid animal moveat, omnibus ani-
malibus putà appetitus, accedit.
Nempè considerandum est quòd
non dubitamus hic quid sit illud,
quod animal motu augmenti, aut
decrementi augeat, aut imminuat,
quod omnibus viventibus commu-
ne est. Nam hujus motus vis quæ-
dam genitiva, seu vegetativa cau-
sa est, cùm ex alimento plusquam
dissolutum ex corpore sit, restituit,
augendo. Et cùm infra diffusa re-
ponit, imminuendo, neque quid
aspirationem & expirationem mo-
veat, aut quid somnum animalibus
alliciat, & vigiliam excitet. De
quibus certè non exigua dubia se
offerunt, & de illis in posterum

Textu comm. agendum. Sed tantum motorem animalis secundum motum pro-
gressivum investigamus, in præ-
sens quis sit, inquirendo. Vege-
tativam vim autem hunc non esse
manifestum est, quòd semper mo-
tus hic progressivus propter ali-
quid est, & aut cum notione phan-
tistica, sive mavis abstractiva, aut
cum intuitiva, quas ambas appeti-
tus sequitur, seu consequendi rem,
sive fugiendi à re. Alii enim mo-
tus, qui ultra relatos animalibus
contingunt, violentia illata, &
non spontè fugiendo nocuum, aut
prosequendo utile fiunt, spontanei
certè minimè plantis accidere va-
lent, quòd neque eæ sentiunt, quod
prærequiritur, & quod aliquas par-
tes organicas, quibus carent ad exe-
quendos motus, essent habituæ. Ac
item, quòd si vegetativæ facultati
concessa esset vis movendi, & illæ
progressivæ erant. Porro neque
quod in animalibus sensitivum est,
Textu comm. motivum censendum erit, quòd
multa sunt animalia, quæ sensum
habent, infixa tamen aliquibus re-
bus & immobilia (motu præsertim
progressivo in finem asequen-
di aliquid concupitum) cernuntur:
quod nequaquam continget, si
sensitivum in quantum tale mo-
vens esset, quia natura nihil frus-
tra facit, ut non deficit in necessa-
riis, nisi in orbatis & imperfectis,
quod potius materiæ, quam ipsi
imputandum est. Et cum relata
animalia perfecta sint, & nullo or-
bata membro, ut testatur facultas
genitrix suorum similium, eisdem
in ens, & augmentum & decre-
mentum illis contingens, supereft
naturam partes organicas ad mo-
tum in illis genitaram si à vi sensi-
trice motrix facultas originaretur.

At verò neque rationalis vis,
& vocatus intellectus movens,
hoc genere motus est. Speculativus
Textu comm. enim

enim, qui non de agentibus, sed circa scienda versatur, ut si verum sit angulos oppositos esse æquales, aut Lunam, quæ interposita terra obumbratur, minorem ipsa esse, & alia hujus messis investigat, minimè motus progrediendi causa esse potest, quod hic nihil, quod præsens sit, actu fugiendum, aut prosequendum inquirit, semper autem motus, aut fugientis, vel insequentis aliquid est. Etiam, quia jam quod speculatus fuerit aliquid hujusmodi, non præcipit in quantum speculativus, fugiendum, aut assequendum illud. Nempè cum multoties experiamur quando intelligit terribile aliquid, aut delectabile, non jubens timere, aut appetere illud, cor nihilo minus moveri, non ab ipsius speculativi præceptis motu originante: Ergo cum delectabile movet appetitum, altera facultas ab speculativo intellectu motus illius occasio erit. Bonitas consequentiae patet. Quod si cum terrore affectum est cor pavens: ob terribile contemplatum, non præcepto contemplationis illud ei evenit. Merito ergo neque cum delectabile cognitum non in quantum jocundum est, appetitus quia imperatus ab speculante, in rem cognitam impulit, sed quod delectabile movet appetitum, ideo motum exequi, censemendum est, altera ergo pars quam speculativus intellectus causa motus progressivi existet. Quin neque practicus intellectus noscens fugienda atque prosequenda, imperans fugere à rebus inhonestis, & nocumentum in posterum illaturis, & assequi honesta quantumvis indelectabilia, facultati progradienti in continentis imperat, quin potius secundum concupiscentiam, quæ nihil quam actualiter delectans insequitur, movetur. Et in universum videmus,

quod neque peritus scientie medicinalis cum agrotat, sanatur, quantumvis media, quibus adipiscenda salus est, sibi comperta sint, quod alia vi quam speculativa, præsidia morbis depellendis admoveenda sunt. Et hæc alia vis certe sensus non est, ut retro manifestum manxit. Neque appetitus, quia non perpetuò dominatur motori animalium, cum qui abstinent à concupiscentiis, quod intellectus novit illa fugienda, non ad libitum appetitus moveantur.

Duo ergo videntur moventia, *Textu comm.*
aut appetitus, aut intellectus, re-

48.

censendo phantasiam in numero intellectus, quod sit velut intelligentia quædam. Nam multa bruta scientie expertia, noscentia per phantasiam abstractivè, quæ grata illis quondam fuere, ut pabulum absens, aut stabulum distans, ad illa moventur, ut fugiunt à rebus, incommodis olim sensatis ab eisdem. Quin universa bruta, non intelligentia, neque ratione ductrice, sed phantasia, in absentia moventur. Ergo utraque, quæ relata sunt, intellectus, & appetitus, moventia secundum locum dicentur.

Intellectus nempè, qui propter aliquod commodum, vel incommo-

49.

dum ratiocinatur, qui practicus est, differtque ab speculativo per finem hujus enim non utile, neque inutile assequendi, aut fugiendi finis est, ut illius sed tantum speculatio. Nam appetitus est, qui propter aliud appetendum, aut fugiendum movet: & illa res, quæ incitat appetitum in quantum utilis, aut bona, motor intellectus practici, id est, præcientis opus exequendum: Est si enim bona, aut utilis non dicerneretur, minimè appeteretur. Ac talis connexio inter appetitum, & executum motum versatur, ut ultimum quod motu af-

Textu comm.

47.

QII

sequimur, sit principium, ac universa motus occasio. Rationabiliter ergo hæc duo videntur moventia, appetitus, & intelligentia practica. Appetibile enim movet, & propter hoc intelligentia illius movere dicitur: quia principium, & ratio, qua intellectus practicus motus est, appetibile existit. Phantasia enim, quæ absentia noscit, cum movere dicitur, non aliter, quam brutis appetitu appetibile gliscens. Unum ergo objectum est movens. Etsi duæ videantur esse facultates, motrices. Eæ enim ambæ ab objecto unius speciei ortum sui motus trahunt, putâ ab appetibili. Quin, & illa duo moventia ad amissim perpensa, in unius speciei motorem reducuntur, in appetitum nempè. Intellectus enim practicus non prout noscens quod bonum est secundum rationem, movet, sed prout voluntas est, idem enim entitativè, & si non formaliter utrumque est. Et voluntas non aliud, quam appetitus quidam rationi conformis dicitur, ut appetitus simpliciter concupiscentia quædam præter rationem est. Et ut intellectus noscens principia verus est, ita appetitus, tam intelligentius, quam sensitivus rectus est, prout, quod est appetibile, gliscit. Appetitio autem non semper recta, ut neque unitio diversorumphantasmatum semper recta est. Nam si quis imaginem capit Leonisphantasmati colli Elephantis adjunxisset, non recta phantasia evaderet, ut quam recta, si asinini capit Leonisphantasma collo ejusdem agglutinasset. Et quia diximus semper appetitum tendere in appetibile, & in hoc rectum appetitum semper esse, scitote appetibile omne bonum dici, sed quoddam simpliciter tale: aliud apparenter tantum. Cum ergo appetitio non tendat in universale bo-

num digestum, ut audistis, sed in actuale, & peculiare aliquod, quod esse, & aliter se habere potest, quia actus semper circa particularia versentur, ideo, ut retuli, appetitus, id est, actus appetendi, rectus, & non rectus est. Restat ergo manifestum illis, qui dividunt animam

Textu comm.
52.

in membra ad proportionem facultatum ejusdem, scilicet, in vegetabile, sensibile, intelligentium, consiliativum, quod prudentiam quoque nominamus, adhuc autem appetitivum: quæ plus differunt ab invicem, quam concupisibile, & irascibile, illam facultatem motricem animalibus conferre, quæ appetitus nominatur. Et quoniam appetitus actus nonnumquam contrarii sunt, putâ cum rationalis voluntas, & concupiscentia sentientium mutuò adversantur, intellectu propter damnum futurum retrahere ab executione jubente: concupiscentia verò appetente quod nunc est delectabile, quasi citram nullum incommodum semper futurum esset simpliciter delectabile, & bonum simpliciter, quia non proficit ipsa damnum futurum. Ideo proferamus, quod specie unum sit movens ut objectum, appetibile scilicet, & appetitivum ut facultas. Primum autem omnium appetibile, nam hoc movet, & non movetur, eo quod sit intellectum, aut sensatum, aut imaginatum, exequentia verò motum, plura.

Textu comm.
54.

Quoniam tria sunt in præfato progressivo animalium motu, unum quidem movens, secundum quo motor movet, & tertium quod movetur. Et motor bipartitus est, ut audistis. Alius enim immobilis, actuale scilicet bonum. Alius, qui movetur, putâ, quod appetitivum est (nam appetescere inquantum appetescere, moveri est: & appetitus actus facultatis appetentis, seu mo-

Textu comm.
50.

Textu comm.
51.

Textu comm.
52.

tio

Textu comm. tio quædam ejusdem est:) quod autem movetur , & organum , quo movet appetitus , utrumque animal corporeum est. De quibus ubi de affectibus animæ , & corporis mentio fiat , tractabimus. Ideò in summa dicamus , simile esse movens organis corporeis animal , partibus motis gyggismos , hoc est , cardinis circulariter moti , ubi convexa superficies , quæ primò sensibus se offert , & concava , quæ finis superioris est , & ipsius cardinis mota pars , & quiescens , tantum ratione distingui valent , sensu , & magnitudine nequaquam. Quis enim qui cardinis quantumvis tenuissimam partem superficialem secuerit , tantum convexum secuisse verè dicere poterit ? Certè nullus. Nam , & erunt extima superficies convexa , & intima concava simul sectione dissecta. Ut quis intimum centrum ejusdem cardinis considerans , quod immobile (cùm cardo circulariter movetur) intelligitur , distingue à partibus motis? Nullus etiam. Fingitur enim in cardine in circulum acto quædam linea centralis immobilis , ut in cælo ipso puncta duo immobilia Arcticus , & Antarcticus poli. Quæ omnia simillima sunt motui animalium , quæ tensione partium , & contractione earundem moventur: in quibus aliquid est fingendum immobile , quod tamen loco , & situ minimè ab eo , quod movetur , sed consideratione tantum distinguatur. Et in universum ut relatum est , inquantum appetens est animal , & nedum rei præsentis , sed absentis , sic sui ipsius motivum est. Et hujusmodi absentium appetitio non sine phantasia fit : & cùm omnis phantasia rationalis , aut sensibilis sit , hac ultima alia animalia ab homine participant.

Sed consideratione dignum est , à
Tom.I.

quo imperfecta animalia sensu tactus dumtaxat participia moveantur. Et utrum contingat illis phantasia , aut non. Priori dubitationi respondemus , dicentes , certum esse , illa ut reliqua à concupiscentia moveri , nam conspiciuntur læta , & tristia , qui affectus non nisi ubi facultas appetendi adest , reperiri possunt. Lætitia enim ex assequutione rei concupitæ , ut tristia ex præsentia rei odio habitæ oriuntur. Secundum dubium solvimus , asseverantes phantasiam absentium illa bruta habere , sed imperfectam , confusamque , prout motus eorumdem confusi , indistinctique sunt. Non enim ut perfecta animalia nonnumquam recta diutinè incidunt , donec assequuntur absens concupitum: aut fugientia per eandem recta , vel aliam viam retrocedunt , quo usque evadunt ab inimicis , sed semper fermè irrequieta , nunc huc , & mox illuc , & subinde dextrorsum , ac statim sinistrorsum dilatatione , & constrictione mota visuntur.

Rerum ergo olim sensatarum *Textu comm.* phantasia omnibus animalibus in-dita à natura est : deliberativa autem facultas , tantum rationalibus: utrum enim agendum sit hoc , an illud , jam rationis munus est , quod nisi uno , indivisibile utrumque noscente definiri non potest , cùm potius , & quod alteri præst pluri- busphantasmatisbus præsentatis , & unà cognitis , eligendum sit. Et ob hanc causam non putantur bruta , opinionem ullius rei habentia: quoniam opinio non sine Syllogismo , quo bruta carent , fit. Ac eadem est ratio , cur appetitus huma-nus , quæ delectant , statim gliscit , quod non deliberat , ut voluntas , quam nonnumquam vincit ipse , ut etiam non raro vincitur ab ipsa vo-luntate : similisque fit tunc victoria , qua

qua ducitur appetitus inferior à superiore in continentibus, lationi qua sphaera cælestis superior inferiorem movet. Nam ut sphaera, quæ sursum sita est, perfectior quam inferior habetur: ita voluntas appetitu sensitivo. Et velut inferior sphaera et si ad motum superioris moveatur ab Oriente in Occidentem, renitendo, super alios polos contrario modo trahitur, sic appetitus renitens ducitur à voluntate. Quod ultimum verè continentibus non contingit: ipsi enim tribus latitudinibus moveri censentur, ab appetibili scilicet, & à voluntate, ac ab appetitu, qui ut retuli, in temperatissimis nihil aliud, quām quod ratio suadet amandum, appetit.

Textu comm. Scientifica autem vis minimè movet, quin immota intelligitur: hæc enim dumtaxat universaliter suadet omne bonum esse appetendum: singularis verò facultas appetitiva dicit, hoc esse bonum ex illis, quæ appetenda sunt, ut etiam scientia noscimus decere omnem hominem talis fortis hoc agere, & particula-ri appetitu asseveramus nos illius fortis esse, & rem concupitam talem esse, quæ opinio movet, & non quæ universalis, & scientifica, neque illa, & singularis, sed universalis inquantum talis quiescit, particularis verò movet.

Textu comm. Vegetabilem tandem animam necesse est habere omne quod vivit, ab ortu usque in interitum. Quia necesse est, quod gignitur, parvum, ac exiguum oriri, ac post augeri, & consistere, & demum imminui: auctionem autem sine alimento impossibile est fieri. Necesse est igitur vegetabilem vim omnibus vitam, & interitum patientibus inesse, sensum autem non necesse, quod non quævis simplex commixtio corporum sufficiens, ut vegetativa vis inducatur, decens

est ad tactivam facultatem producendam, sine qua animal esse non valet, neque quicquam esse suscep-tivum specierum sine materia po-test, hoc est dictu, sine miscella illa elementorum, ex qua conflatur temperies qualitatum præ-requisitarum ad tactum, nihil est aptum suscipere speciem vitaliter immutantem, nisi quod tactu particeps est: nam non immutantem vitaliter etiam medium, per quod deferuntur species, suscipit. Animal tandem necesse est sensum habere, quia natura nihil frustra facit. Sunt enim omnia, quæ genita fuere, in aliquem usum genita, vel alicujus alterius rei, quæ alicui operi conduceat gratia producta. Ergo corpora universa progressivo motu apta moveri sensum habitura sunt: nam alijs frustra esset motus progressivus collatus eisdem non sentientibus, ac etiam quod corrumperentur, & finem, in quem natura ea produxit, non assequen-ter, motu deficiente. Conse-quentia est manifesta. Si motus indulgentia naturæ concessus est illis, ut assequantur alimentum, quo in perfectam auctionem provehantur, cum alimentum abesset, si motu, aut sensu carerent, non est quo il-lud investigarent. Merito ergo sensifica vis collata est illis. Immobi-ibus enim plantis, contiguum, & sibi adjunctum alimentum natura contulit, quæ neutro dictorum egent. Nec adecens esset, corpus progres-sivum motum habens, anima intellectiva, & discretiva dota-ri, & sensum non habere, præser-tim si vegetabile esset. Ac etiam et si non vegetabile: aliqua enim de causa hujusmodi corpus sensum non esset habiturum, quæ animæ, vel corpori conduceret plus. Sed horum neutri magis proficeret: nam intellectivum sine sensitivo melius non

Textu comm. 60. sensum autem non necesse, quod non quævis simplex commixtio corporum sufficiens, ut vegetativa vis inducatur, decens

Textu comm. 61.

non intelligeret, quin non intelligeret, ut probatum supereft: Et corpus sine sensu non melius affirvaretur, ergo nullum corpus progressivum sine sensu esse, decens erit.

Textu comm. At verò si sensum erat habiturum, corpore dotari necesse esset, quod aut simplex, aut mixtum etiam futurum est: sed impossibile est esse simplex. Nam si tale foret, tactum non haberet, quo animal quodvis, ut manifestum est, indiget, restat ergo mixtum esse. Sed quia nonnullis incerta erit illius decreti illatio, impossibile esse, sensum habere corpus, si simplex esset, id suadere aggrediamur. Animal corpus animatum, ut retulimus, est: sed hujusmodi corpus necessariò tangibile, id est, vim tactivam habiturum est: & nullum ex tribus elementis hanc facultatem tangendi, & tangibilis habere potest, ergo nullum ex his potest animalis corpus esse. Etiam secundam partem minoris hujus ultimæ consequentiae, nunc probare decet, putà, nullum ex tribus elementis facultatem tangendi, & tangibilis posse habere. Nam primam postea ostendemus. Tangibilia non verè dicuntur, quæ tangenti, vel non resistunt, aut insensibilitè resistunt: sed hujusmodi sunt aér, aqua, & ignis, ergo nullum ex his animalis corpus erit. Vulgus enim neque se aërem, in quo degit, esse, neque tangere putat: neque ignem tangere dicit, sed ab eodem se aduri conqueritur. Aquam quoque non adeò propriè tangere ut arborem, aut animal, seu alia solida corpora existimat: ergo nullum ex his animalis corpus futurum est, si necessariò tangibile erit.

Item relata tria elementa tangentibus solidis corporibus cedunt, adeò, ut impulsor in ea nihil impri-

Tom. I.

mere valeat, sed in solido ulteriore resistente, quod effingitur, formatur. Velut impulsus in aërem, vel ignem, aut aquam, facti à quibusvis rebus ostendunt, & præferunt ab objectis sensibilibus, ut colore, vel sono, vel aliis hujusmodi: ii enim nihil sculptum in neutro ex relatis elementis linquunt, sed in organicam facultatem ulteriorem sensationem inferunt. Ut enim cum impulsu aliquid à proprio loco rejicitur, illud impulsum proximum movet, ac hoc aliud, donec omnis impetuosa vis absumentur, & aliquid superest impulsum, & non impellens, ut aliud impellens, & non impulsum, mediis impulsis, & impellantibus, sic in motionibus, quæ fiunt, per relata tria elementa, objecta tantum medium alterant, & sensitrices facultates exteriores tantum afficiuntur, & medium movetur ab objecto, & movet distantius. Nam primo à sono movetur aët proximus sonanti, & ipse coniunctum agit, ac movet, & alter alium, donec auris immutatur, quæ sic movetur, ut non movens dicatur. Ergo sic iis se habentibus rebus, necessarium erit, corpus sensu tactus particeps, ex nullo ex relatis elementis constituit: quod cum pervia ipsa sint, impressionem tangentis non sic admittent, sensatio poscit, quæ effungi desiderat: & non delitescentem materiam optat, nec omnimodo duram, ut lapis, sed effigiari aptam, ut cera, quæ mediocrem modum substantiæ habens, usque in illas intimas sui partes movetur, quæ effinguntur. Secùs si adeò liquida foret, ut totam in finem, usque sigillum trasmearet ceram, inutilis enim tunc figuræ suscipiendæ, esset. Qui modus sentiendi tam in aliis sensibus, quam in visu, veritati conformior est, quam ille, eorum, qui opinan-

Cc 2. ban-

Textu comm.

62.

Textu comm.

63.

Textu comm.
64.

bantur, visum egrēdi in aērem, & per ipsum incedere, donec à figura & colorata re repercutiretur, indeque in oculum retrocedere, qui, quia lenis est, unus ibi sit, contactam rem repräsentans. Ut etiam conspicimus in lenibus sp̄culis vīt̄reis, aut chalybeis, aut quibusvis aliis reperclusa conspici, quod etiam æqualis retrocessus sit.

Satis probatam manere secundam partem minoris opinamur, superest ergo priorem fulcire: illa erat, necessarium esse tactivam facultatem animalia habere. Quæ sic roboratur. Si hac facultate bruta carerent, non possebant, hæc quidem, quæ indecent, fugere, illa verò, quæ decent, arripere: sine quibus impossibile est animal vivere. Nam gustus, qui tactus peculiaris alimenti est, necessariò omnibus sentientibus ob relatam causam inditus est, cæteris sensibus, quæ per media quædam sentiunt, non omnibus communibus existentibus. Olfactus quippè, & visus, ac auditus, percipientes odorem, colorem, & sonum, non omnibus insunt brutis: quia ex horum nullo animal alitur, nec augmentum neque decrementum suscipit, ut ex gustatis rebus, quæ cum tangunt, percipiuntur: gustus igitur, vel saltim tactiva vis necessaria animalibus erunt. Et impossibile sine tactu animal ullum esse. Præfati porro sensus alii propter melius animalibus inditi fuere, & generibus eorum quibusdam tantum progressivum motum habentibus insiti. Non enim ut diutius duret animal, cum tangitur dumtaxat sentire debet, sed prævidere à longe sita fugienda illud decet: quod certè sit, si per medium aliquod sensibile facultatem sentiendi afficerit, medium priùs afficiendo, ut visus, & olfactus objecta.

Quod autem impossibile sit simplex esse animalis corpus, manifestum superest: (dico autem aëreum, igneum, aut aqueum) Nam cum suatum maneat, sine tactu animalia degere non valere, ac præfata tria elementa tactum illum requiritum ad esse animalium habere non possint, restat ex neutro illorum animalis corpus constituendum. Tolerabilius nempè foret ex unico ex relatis elementis constitui animal, si alterutro ex sensibus recentatis, putà, visu, olfactu, & auditu, necessariò indiguisset brutum, quam tactum poscens. Neque immitterit illi enim per alia, ac diversa à seipso media, sentiunt: tactus autem seipso rem nōscendam tangendo percipit, undè nominis derivationem usurpavit. Quamvis enim alii sensus nisi afficiantur à rebus objectis, & quoquomodo contangantur, non immutentur vitaliter: verū quia priùs interstitium inter rem sentiendam, & facultatem sentientem alterant, quæ immutant, indè videbatur, posse animal ex simplici corpore constitutum, ab hujusmodi vitaliter immutari, quare dictorum elementorum nullum utique erit corpus animalis.

Neque etiam terreum, quod universorum tangibilium tactus se habet, ut medietas & temperies quædam, nata suscipere sensum quorumvis tangibilium, non solum differentiarum terræ, sed calidi & frigi, & aliorum omnium tangibilibum. Et cum has suscipere non posset, si tantum terreum brutum foret: ideo cautè à natura provisum tale non esse: quin ea animalium partes, quæ immodecē terram sapiunt, scilicet, ossa, & capilli, minimè sentiunt. Et plantæ ob idem nullum habent sensum, neque animalia sunt: quia, ut di-

ximus, sine tactu animal consistere non potest. Restat ergo hunc tactus sensum inesse non posse terræ, nec sincero ulli ex elementis aliis, ac quod necesse sit hoc solo privata sensu animalia mori. Nam nec hoc dotari quod animal non steterit, potest, neque quod fuerit animal, alium necessarium est habituum, præter hunc. Tertio quoque elicetur, non immerito aliorum sensuum immodica objecta, scilicet, colores, odores, sonos, immoderata, non destruere animal, sed tantum sensus harmoniam vitiare, nisi per accidens, putà, si simul cum sono impulso & ictus grandia fiant: vel si visa aut odorata animalia sic moveant, prout ea, quæ tactum corrumpunt. Illa autem, quæ tangendi facultatem male afficiunt, omnino in interitum compellere bruta ire. Humor nempe, qui plus justo in corpore dominatur, inquantum animalis tactum vitiat, internecat. Quia tangibilium qualitatum excellentiæ calidorum, frigidorum, & durorum, & aliorum consimilium, contaminant animal. Et cum in universum quævis immoderata sensibilis qualitas proprium sensum destruat, tangibilia ergo cum superfluunt, tactum corrumpent, sine quo vivere animal non posse supra ostendimus.

Quamvis enim alios sensus habeat brutum, sicut dictum est, non ad esse, sed ad melius esse, genita fuere. Visus enim ut quæ in aëre, & in aqua, ac in quovis diaphanofita sint, noscat. Gustum autem propter delectabile, & triste alimenti, ut illud concupiscendo, ad ipsum moveatur: & ab hoc abhorrendo, fugiat. Auditum, ut significetur aliquid ipsi. Linguam tandem, quatenus significet aliquid alteri.

Textu comm.
67.

Textu comm.
68.

¶ Nolo textum trigesimum sextum relatum sine animadversione perscrutari: qui si à libero, & non pertinaci physico perpendatur, facile per eum intelliget, intellectum secundum Aristotelis mentem non distingui reæliter à suis actibus.

Quamplurimi præcedunt etiam alii contextus, qui dilucidè ostendunt, Aristoteli compertum, ac indubitatum esse, animam non distingui a suis sentiendi, & intelligendi actibus: quos subticui, ne toties de hac re agerem. Supersunt tamen tria à me promissa in exordio commentarys hujus Paraphrasis explicare. Alterum est, solvere rationes, quibus videtur Aristoteles probare animæ rationalis perennitatem, etiam eas, quibus bruta sentire, demonstrasse credidit. Ac ostendere hoc ultimum ab eo persuasum non esse, tantum abest, demonstratum fuisse. Et cum levissimæ, aut nullæ sint hujus libri rationes, quæ immortalem animam esse ostendunt (hic enim potius afferendo illam perennem esse, ut qui in libris antecedentibus probaverat, & modum intelligendi explanando, processit Aristoteles, quam ex professo id ostendendo) ideo hæc omittit usque in locum illum, ubi nostræ de hac re prostabunt. Et ad solvendum eas accedo, quæ bruta sentire, suadere videntur: collectisque omnibus antecedentibus Aristot. rationibus, & in duas potiores redactæ, hoc continent.

Primum. Si res nonnullæ à brutis prosequi cernuntur, & aliae ab eisdem ut inimicæ profligantur, vel fugiuntur, appetitum ipsa habere censenda sunt: sed appetitus prosequutivus utilis, & fugitivus inutilis, intelligi non potest, inesse non cognoscentibus utile, & inutile: ergo brutis vim sensitivam adesse, necessarium dicere compellendum sumus.

Secundum. Nihil frustra naturam agere, universa, quæ genita sunt, proclamat. Sed bestiis fermè universis progrediendi concessa est facultas, ergo illis sentiendi quoque collata est. Consequentia est nota. Nam alias si non forent sensura, quæ ab eis distabant, incassum progressivum motum ad

ad assequendum, quæ grata erant, & fugiendum ingrata, haberent.

Prefatæ Aristotelis rationes (etsi non adeò expresse) à nobis ipsis objectæ sunt, adversus nos ipsos in exordio operis hujus, ac sufficienter solutæ. Sed quia fortassis nonnulli in hanc incident lectionem, qui priorem non legerunt, ideo in forma, logicorum more, priori argumento respondeo, negando minorem illam, putat, appetitum prosequutivum utilis, & fugitivum inutilis, necessariò cognitionem supponere. Rationemque negationis esse dico, complures res appetentes ignota, & fugientes, quæ non sentiunt, ex omnium physicorum confessis, ac ex eventibus docentibus, conspici, ut infimiora in genere substantiarum elementa primò testantur, ac dein quamplurimam ista. Gravia enim noscimus elementa adeò mundi centrum appetentia, ut dum pendent totis (ut inquiunt) viribus abrumpere, quæ detinent, conentur, donec deorsum descendunt, & levia non impari appetitu conari sursum ferri. Ubi non tantum citra cognitionem, hæc appetere loca sibi convenientia, sed abhorre à disconvenientibus sitibus conspicuntur. Misita quoque inanimata quamplurima etiam visuntur in quædam mista ferri, & à quibusdam fugere, ut ferrum in magnetem ire conspicimus, & alium lapidem fugere. Plantas non minus præteritis quædam alimenta sine cognitione appetere, ab aliis abhorre.

Non enim paucas recensere possem, quæ in tantum ab aliquibus agris, quibus infiuntur, abhorrent, ut tare confecta, passim perire cernantur, alimentum ex solo illo trahere nequeunt, in quo multas alias pinguisce experimur. Etiam arbores, & alia, quæ anima vegetatrice vivere creduntur (nisi qui insanierint) negare non poterunt, fugere decens alimentum, & usque in altissimas proprias sumimitates illud ascendere, compellere, responde que nocum, ac disconveniens. Animalium quoque naturales facultates attractrices, & expultrices in quem alium usum totam (ut inquiunt) vitam consumunt, quam in trahendo quod decet, & expellendo quod indebet, hec

rum appetitum nullo cognitionem prærequirente. Merito ergo à me minor negata fuit, ex qua, ut falsa, sequens falsum illatum fuit. Hoc ergo sufficienter solutum argumentum existimo.

Secundum solvamus, negando consequentiam illam, frustra ergo si bruta non sentirent, tributam fuisse illis progrediendi facultatem, nam non immixtum collatam esse, ob hoc dicemus, primò, quod species rerum afficiunt organa eorundem proportionalia nostris sensitivis non minus deserviunt irrationalibus ad motum, quam sensationes nobis. Secundò, quod incessus brutales maximè à natura excogitati fuere, ut usui humano essent proficiui, quam ut bestiæ alerentur. Ali enī bestias non præcipue machinabatur natura earundem conditor, sed servitium earundem in humanam utilitatem, quod servitium cum sine alimento fieri non potuit, ideo, & incessus ut assequantur alimentum, necessariò deservivit irrationalibus: quæ non sententia non minus conducunt proprio progressivo motu, quam sensu participia forent.

Solutis, quæ legistis, Aristotelis rationibus, quod primò facere promiseram, secundum moliamur: ostendere scilicet, ex nonnullis ab Aristotele assertis, & minus bene examinatis ab eodem, eliciendum potius, bruta non sentire, quam ipsa aliquid cognoscere. Ac inter omnes, hujus tertii libri contextus illam, qui commento 57. legitur, annotare placuit, ubi non deliberativum, neque discursivum ullum ex brutis concedit Aristoteles: & in primis solo mero placito dictum ab eodem illud ostendam. Secundò concessio verum esse, ut est, hoc, quod ille non probavit, monstrabo illud calide rimanti, omnino probare bruta non sentire.

Ad libitum quippè assertum esse ab Aristotele commento 57. citato, deliberativum, & discursivum bestiis non inesse, ex hoc quam maximè constat, quod si ille ut indoctum vulgus bestiarum motus tantum animadvertis, & eorundem nutus, alia, quæ inconveniebant non rimatus ipsa sentire censuit,

suit, cur quia si præsentato alimento coram oculis bestiæ famescentis statim ferri bestiam in illud experiebatur, credidit bestiam videre, non etiam opinatus est canem deliberare, cum panem propè se stantem mordere non audet, quòd adsit servator panis, fuste minitans conantes arripere illum, hoc enim quam maximè testaturus erat, si unius canis de relatis gestus animadvertisset: nonnumquam enim vidisset canem jam jam mordicus panem tenebantem alias ab ore decidere permittentem, quòd oculos in servatorem elevando eundem vibrantem fustem conspexerit, quandoque non tantum mordentem panem, sed devorantem viderit, quòd custos sopitus sit, vel absens ab officio custodiendi in alia deflectens discesserit. Qui omnes motus non nisi nutantis, ac post deliberantis esse censendi erant, si illis tantum fides adhibenda esset, & nihil aliud animadverteretur. Eodem eventu, & nonnullis in principio operis hujus, pag. 47. perpensis, etiam discursum bestiis inesse testantibus. Ut ergo iis, quæ retulimus, non convictus est Aristoteles bestias deliberandi, neque discurrendi vim habere, ne ejusdem speciei cum homine eas efficeret: sic quoque etiæ experiretur punctum animal fugere, & querulo similem vocem ædere, fidem illis eventibus non erat exhibitus, ut inde statim sentire animal inferret, sed quæ inconveniebant, esset animadversurus. Nempe qui philosophantur, hoc distant ab indocto vulgo, quòd hic omnia, quæ videt, talia esse, ut apparent, credit: Philosophus autem plus cum ratione, quam cum sensu adversante consentit, dum ambo mutuò contrariantur. Quamquam enim visione oculi solem æqualem argenteo disco judicemus, ratione compulsi, multò terra majorem esse certò scimus, & credimus, quòd in lunari eclipsi luna tantum, ut quæ in primo orbe sita sit, à sole lumen non recipiat, intercepta terra inter ambo luminaria, cætera verò astra non obscurantur, ut quæ lumine solari non possint privari, quòd umbra terræ in turbinis figuram tendat, quæ ultra primum cælum non porrigitur. Prædictis intelliget quivis, quòd nullo

functus experimento Aristoteles testatus sit bruta deliberare, & discurrere non posse, quod ostendere promiseram, quo misso aliud molior, putà ex ejusdem assertis inferendum esse potius, non sentire irrationalia, quam sensu participia esse.

Sitque prior ratio hæc, cuius quædam portio retro ducta est. Si sensibilia ut sentiantur, aliquid prius in organa sentiendi inducere, esse necesse, testatur Aristoteles per universos libros de Anima, præsertim in tertio ejusdem text. comment. 31. Et in libello de Sensu, & sensato, potius hanc inductionem, quam certam esse scimus, factam ab objectis in organa proportionalia nostris sensitricibus pro causa motus brutorum assignare debebat Aristoteles, quam sensationem corundem, de qua incertus erat, ac cuius esse si ipse diligentè examinasset, nulli animali nisi homini, convenire posse, invenisset: sed hoc fecit minimè, ergo aberravit. Minorem probo, putà id, quod diximus, ab Aristotele non esse perpensum. Ac ultra rationes in exordio operis hujus adductas, quarum ipse non meminit, sententia contextus citati 57. sufficiebat eum à sopore, quo erat oppressus (cum bruta sentire credebat) excitare. Si enim impossibile esse existimavit Aristoteles bruta deliberativo arbitrio, neque discursu dotari, quòd necessariò videbat rationalia futura, si tali dote essent participia: cur quoque paululum progressus, non existimavit, si bruta colore (exempli gratia) papyri viderent, quem mox album, & post crita illitionem nigrum conspicere potuissent, necessariò quoque intellectura esse substantiam aliquam subesse illis coloribus: cum relatæ visivæ notiones antecedens essent, ex quo necessariò à quovis noscente præfata conclusio elicenda erat, cuius antecedenti assentire non assentiendo conclusioni, impossibile esse testatus fuerat idem Aristoteles primo posteriorum, tandem intellectu dotandum quodvis animal videns, necessariò confitendum ab eodem erat. Certè dicere non vereor, Aristotelem perquam pingui Minerva usum in præsenti negotio. Ipse enim, qui existimavit, adeò naturaliter moreri

*Ex confessis
ab Aristot. potius eliciendū
bruta nō sentire quam sitire.*

veri bruta sensationibus, ut gravia gravitate, vel levia levitate, & prout sensationes remissiores, aut intentiores fuissent, sic agilius, aut tardius bruta moveri, nihilo in hoc brutis à gravi, & levi dissidentibus, cur non potius speciei antecedenti sensationem induc̄ta ab objecto in organum bruta-
le, ad cuius normam sensatio natura-
liter producenda erat, tribuit motus irrationalium, quam sensationi, de
qua incertus erat, & quam esse impos-
sibile affirmatur erat, si benè id ex-
aminasset, maximè quòd non paucas operationes brutis indidit natura, qui-
bus detegere homines valerent erro-
rem, quem concipere ex aliis eorun-
dem brutorum, possent. Et inter mul-
tas, tres tantum narrare placet. Qua-
rum prima est, privari bruta odoribus secundum se delectabilibus, ut ip-
se Aristoteles, cap. 5. libelli de Sen-
su, & sensato testatur. Et 3. Ethico-
rum, cap. 10. Et in affectibus ab aliis alimentorum odoribus irrationalia ho-
mines antecellere. Secunda, homini-
bus inditam esse vim, qua, quæ certis tonis, & præfinitis numeris cantantur, placidissimè ab eisdem audiantur, bru-
tis minimè hoc, hominibus experien-
tibus, competere. Tertia, experi-
bruta non fuitibus, neque calcaribus posse compelli bibere, si non sicut, aut comedere, si non famescunt: et si coram se limpidissimæ, & quantumvis nitidissimæ aquæ præsententur, & an-
nona gratisima ante eorundem oculos proponatur. Prima namque operatio-
ne, odorandi scilicet, ea quæ secun-
dum se sunt delectabilia, nullo modo privari bruta possent, si vim odorandi alimenta, quæ hominem excelleret, haberent: cum esset impossibile, fa-
cultatem odorificam irrationalium posse excellere homines in odorando aliqua, & non alia. Cum nobis com-
pertum sit, quosvis homines nos ex-
cellentes in odorando aliqua, excelle-
re odorando alia, ut qui antecellit in
videndo, seu propè situm, seu longè absitum colorem luteum, etiam præ-
cellere videndo colorem puniceum, &
purpureum. Ergo si tantum moveri
bruta conspicimus ad odorem pro-
priorum alimentorum, & non ad eos,
qui citra alimentum sunt delectabiles,

*Ex tribus bru-
torum opera-
tionibus inter
alias constare
bruta non sen-
tire.*

manifestè ex hoc intelligendum est, in-
ter alimentorum odores, & bruta, ver-
sari aliquam proprietatem, qua bru-
ta induc̄ta specie odoris alimentorum trahuntur in alimenta, ut ferrum in
magnetem, & inter alios odores hanc
proprietatem non inveniri, ut inter
ferrum, & festucam non invenitur: &
quòd hæc sit causa relatorum mo-
tuum, & non quòd sensato odore in
locum, ubi res odorata est, feratur a-
nimal, ut homines ducimur.

Secunda ratio, qua idem quod re-
lata probare nitebamur ex non sensata
melodia à brutis, defringi quadam-
modo posse videtur ex hoc, quòd Del-
phinos sono mulceri retulit Plinius
lib. 9. Naturalis historiæ, cap. 8. cum
dixit: Delphinus non homini tantum
amicum animal, verum, & Musicae ar-
ti, mulcetur symphoniam cantu, & præ-
cipue hydrauli sono, id est, sono mu-
sici instrumenti, quod nos (organo)
Hispanè nominamus. Quam senten-
tiā ut mendacem refellere possem,
quòd antecedens immediatè ipsam no-
toriè falsa sit, cum hoc habeat men-
dax, ut cum verum dixerit, non cre-
datur. Et quamquam obiter, nolo
ineptiam, ac simul Plinii mendacium,
quod prædixi, caligine operiri, illud
erat hujusmodi, Delphinos rostrum
simum habere, qua de causa nomen si-
monis omnes miro modo agnoscerent,
& quòd malint ita appellari, quam ali-
tèr. Quod enim apertius mendacium,
& inscritia major, quam Delphinis om-
nibus (ut Plinius fatetur) esse simi-
significatum notum? Cum apud Hispa-
nos (romo) vocetur affectus ille na-
rium, qui à Latinis simitas appella-
tur, & à Gallis alitèr, puta (camu).
Et à Saracenis etiam alitèr. Nisi pro-
terviat aliquis, Delphinos gnaros esse
Græcanicæ, & Latinæ linguæ, ac indè
quòd à Gracis, simos, & à Latinis, si-
mus, nasi curvitas appelletur, sibi si-
monis nomen esse gratissimum. Quod
an de ridendum sit, dicere nolo. Sed
hoc misso, historia illa vetustissima de
Arione citharèdo, parato interfici à
nautis, & excepto in unius Delphini
dorsum, ex multis congregatis ad il-
lius cithara sonum, & in Tænarum li-
tus pervecto, credere facit, musicam
Delphinos amare. Quod adversus nos
quicq;

*Ex melodia
non sensatae
lici bruta non
sentire.*

quicquam non probat, nam id naturaliter factum existimamus, ut ab apibus certi dissoni soni (ut qui fiunt tintinnu aëris) prosequuntur. Si enim ut quæ melodiam sentirent, bruta musicam amarent, irrationalia omnia, & non tantum certa species mulcenda ipsa essent, cum illa simplicitè sit sanis corporibus amœna, propter certas proportiones, quas mutuò voces diversæ servant: quod cum non continget, supereit, verum esse, non ab eis sonos audiri, sed motum aëris in aūrem factum, vel naturaliter trahere, aut naturaliter fugare, vel ex usu id illis contingere, quod ad certos sonos solita sit sequi alimenti exhibitio, ut ad (cuz cuz) Hispanorum soleat sequi panis collatio canibus, & ad (curro curro) eorundem sit assueta exhibitio tritici gallinæ, ut ad (exe exe) fugiunt in Hispania canes, & ad (oxe oxe) gallinæ, quòd ad has voces solitum sit sequi aliquod illis tormentum.

Tertia operatio de recensitis, qua imposturam cognitionis irrationalium, quam aliis brutorum operibus natura fecerat, detegere conata est, non posse compelli bruta bibere, aut comedere, cùm non stiunt, aut non famescunt, non parum conductit altè rimantibus, compertum scilicet, passim esse, fustibus, & loris, aut calcaribus cogi bruta per amnes & multos alias locos, quos verebantur transire, ut quod à natura provisum sit, ad talium punctionem iter prosequendum, & crura in ulteriore solum porrigenda, quia saepè accidat aliqua speciem terribilium præferre, eamque oculis brutalibus immissam coercere ab ulteriore motu, cum tamen talia non sint, ut apparent, in cuius remedium fustes, ac alia instrumenta plagas inferentia commenta est, quorum species bruta naturaliter præferendo aliorum speciebus, quæ terribiles censemantur, compelluntur duci merè naturaliter per ea loca, per quæ prior terribilis aspectus coercent, non aliter, quam lapis descendens ingenti vi centrum versus, si occasio vacui occurrit, sursum, ut id vitet, ascendit. Et quod nequaquam horum tormentorum species ulla sufficiens sit ad movendum labra, & brutales maxillas non ex alio suspicari poterit pro-

visum esse à prudentissima natura, nisi quòd sciebat neminem conscientem esse valere saturitatis aut famis brutorum, præter idem brutum.

Tandem ut relata iterum in memoria revocem, & altæ menti infigam, notandum, non esse, ut quid potius miremur tam varium motum brutorum circa sensationem, quam cum sensatione. Si enim hæc sensatio producta naturaliter in hanc differentiam loci movet animal, & alia in aliam, & sensationes hæc non differant, nisi quòd à diversis objectis productæ sint diversæ spens, vel remissiores, aut intensiores ex distantiis diversis, vel aliis causis, dignior Philosophi sententia erit, quæ speciem illam tantum esse causam brutalis motus testata fuerit, quam quæ non tantum specie indigere bruta, ut moveantur, sed ultra illam, sensationem quoque esse necessariam, protervietit. Fingere enim unius eventus plures causas ignotas, si unicam tantum sufficere sciverimus, minus periti hominis decretum est, cùm naturam vitare multiplicitatem certò sciamus.

Et ut commentatori hujus tertii de anima finem imponam, quòd in Paraphasi præcedenti text. comment. 58. assertum est à nobis: [Singulatis vero facultas appetitiva dicit, hoc esse bonum ex illis quæ appetenda sunt.] Et parum infra: [Et particulari appetitu asseveramus nos illius fortis esse.] Quæ ambæ sententiæ non videntur posse elicisci ex Aristotele, cùm ipse numquam testatus fuerit, appetitu affirmare, aut negare. Animadvertendum est sic à me expositum locum illum, non quòd opiner, appetitum in quantum tales affirmare aut negare: sed cum, ut ex antecedentibus didicistis, idem numero sit, quod affirmat, & negat, & quod appetit, et si diversa nomina diversis respectibus adipiscatur, etiam appetitum pronum in aliquam rem quasi cogere intellectum, ut affirmet illam rem esse de illis, quæ affirmando bona, aut talia esse: ideo in appetitum, ut dixi, incitantem affirmationem rei concupitæ rejecimus affirmationem, ut in causam. Quæ sufficere videntur pro sufficienti expositione libri hujus.

FINIS PARAPHRASIS.



Romisimus in antecedentibus solvere rationes, quibus decepti fuere, qui sensationes, ac intellectiones esse accidentia quædam realiter distincta à sentientibus, ac intelligentibus opinati sunt: ac Augustini authorities, quas in sui favorem traxere, palam monstrare sibi adversari: & multa ejus authoris decreta ducere, quæ nobis dilucidè favent, ut relata Aristotelica dogmata, quæ omnia adimplere ordior.

Prima ratio antecedenti columna, num. 43. hujusmodi erat. Intellectus modò intelligens, & post non, vel aliquo superaddito, dicitur intelligens, aut nullo: nullo non potest: nam non esset ratio cur potius diceretur intelligens nunc, quam ante, cùm non intelligebat, ergo aliquo. Si aliquo, quæritur, an illud sit substantia, aut accidens? Substantia esse non potest, quod substantiæ non insit: superest ergo esse accidens, quod argumentum probare nitebatur.

Huic rationi facillima est responsio. Illa enim, quam nominalis tribuit illi, Plato dicitur sedens nunc, & post non sedens: ergo aliquo accidente distincto à se talis nominatur. Et Sortes similis est Platonis hodie, & cras minimè: ergo aliquod accidens deletum est ab ipso, quo erat affectum, cum similis appellabatur. Dicunt enim verè, ac acriter nominales sufficere ad verificationem alicujus propositionis, quæ priùs erat falsa, non necessariò rem aliquam distinctam ab eo, qui afficitur, acquiri, aut perdi, sed sufficere modum ul-

lum rei adipisci, aut perdi, ut ergo Plato sedens sic nominatur, quod taliter se habet, qualiter priùs nequaquam: ita homo sentiens, aut intelligens dicitur, quod aliter se habet, quam priusquam intelligeret, aut sentiret. Fingimus enim in mente, quæ veritatem, ac falsitatem propositionum metitur, hominem absque ullo situ & mentaliter, ac verbaliter dicimus, homini accidet sedere, ac stare & recumbere, supponendo hos tantum esse humanos situs: hoc enim sic fingendum tam nominalis, quam realis fateri compellendus est. Nam homini flexa habenti crura, & natæ immobili rei innitentes, nullo modo potest accidere stare, ut neque rectis cruribus stans, potest sedens appellari, ut qui recumbit, neutram ex relatis nomenclaturam sortietur, sed qui expers utroque modo essendi, ut dixi, fuerit: illi ergo ficto homini stare, & sedere, & recumbere convenient diversis temporibus. Cum ergo realis scicitur, an aliiquid addatur homini sessione, ut vera reddatur assertio illa, Plato sedet, quæ priùs falsa erat, cùm stabat Plato, nominalis callidè respondit, quod homini concepto aliiquid additum est, putà crurum & corporis flexio: etsi vero homini nihil, nam neque stanti neque recumbenti & sedenti non dicitur addita sessio, sed ipsum sedere & esse suam sessionem identice, etsi non formaliter. Etiam illud quod additum fictione intellectus est, esse causam veritatis apud eundem moderatorem mendacii & veri propositionum, idem nominalis asseverat.

Secunda ratio erat. Si idem quod anni-

anima, esset actus intellectus, nullum discrimen futurum erat inter actum scientificum & erroneum, & inter actus fidei & hæresis: & cum eandem normam esset servatura voluntas cum intellectu, etiam idem esset odium & amor: & quod intellectus intensionem & remissionem esset passurus, quod adversaretur proprietati substantiae. Consequentia facile deducebatur. Una eademque res hodie perperam intelligitur, & cras exacte: quod si accidenti appellato scientia & error non tribuitur, idem esset error & scientia, putà anima eadem utrumque nominanda.

Cujus argumenti vis non validior præcedente est. Concedimus enim quicquid infertur in sensu identico, negamus tamen in sensu formalis, vera enim hæc est: Idem quod est scientia alicujus propositionis scitæ, est error alterius ignoratae, si vera esse reputatur: nam utrumque est anima intellectiva, aliter, & aliter se habens. Falsa tamen hæc est, scientia est error, quod hæc faciat sensum formalem. Estque ejus sensus formalis hic, anima ea ratione qua dicitur sciens, & sic se habens ut cum scit, dicitur errans. Quod implicat. Antecedentia ergo illa, hæc est error, demonstrata anima, & eadem est scientia, & consimilia, non inferunt conclusionem, in qua formale de formalis prædicatur, neque hoc possint, nisi in qua identicum de identico. Quod logicis committit, ac ob id ad solvendas alias rationes transeo, prius de Gregorio Ariminensi merito conquestus, quod tam multas chartas 2. Sententiarum lib. quæstione secundâ distinctionis septimæ hujusmodi argumentis depingit, qui sequuntur nominales in relationibus & aliis modis substantiae non distinctis à

subjectis sciebat consimilibus à rebus posse vexari.

Tertia ratio erat authoritas Theologorum omnium hoc asseverantium, quæ facilè diluetur infra, probando Augustinum hujus aduersum sensisse, & Aristotelem adeò peritum virum oppositum in toto 3. de Anima (ut ostendimus) asseverasse, ubi rationi, cur anima non semper se intelligit, faciemus satis.

Quarta ratio fuit, quod damnatur in Clementina de Hæreticis, cap. Ad nostram, quod anima & Angelus beatificantur per suas essentias. Quod quam impertinens sit, & nihilo favens adversariorum opinioni, docet sententia Summi Pontificis in citato loco, cuius series hæc est: [Fuit quædam secta abominabilis quorundam hominum malignorum, qui Beguardi, & quarundam infidelium mulierum, quæ Beguinæ vulgariter appellantur in regno Alemaniæ: quæ procurante fatore malorum operum damnabiliter insurrexit, tenens & asserens doctrina sua sacrilega & perversa octo detestandos errores, inter quos quintus asserebat, quod quælibet intellectuallis natura in seipsa naturaliter est beata: quodque anima non indiget lumine gloriae ipsam elevante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum: qui quidem quadam sanctitatis specie dicunt, faciunt, & committunt, quæ oculos divinæ majestatis offendunt, & grave in se continet periculum animarum. Quem detestabilem & execrandum errorem sacro approbante Concilio cum aliis erroribus reprobat & damnat Clemens Papa.] Verba enim recensita nihil aliud significant, nisi errasse illos, qui opinabantur intellectuales creaturas naturaliter esse beatas. Ex qua infer-

rebantur sacrilega multa, quod anima nostra, quae intellectualis natura est, ex propria natura esset beatata: & quod miraculo quodam esset suspensa beatitudo in nobis viatoribus, ac in supplicio aeterno vexatis, etiam quod si Deo placuisset novam creare intellectualem naturam ullam, non posset, non esse beata, nisi Deus miraculo quoque subtraxisset ab illa beatitudinem, id ex illorum assertione facile colligebatur: nam si naturaliter tales naturae erant beatae, miraculo suspendenda erat beatitudo earum. Illud itidem, quod sine divino dono, quod lumen gloriae Theologi nominant, posset anima Deum conspicere, & eo frui, haereticum erat. Nam lege divina sancitum est, nostrum neminem posse Deo frui, nisi praecedente lumine illo gloriae. Quae omnia quantum distent, ac in totum aliena sint a nostris placitis, omnes novere. Quare in his quae soluta sunt, tempus consumere non placet, & Divi Augustini sententias in libris de Trinitate, quae nobis adversari creduntur, tradere vixum, ut eas facile solvamus, ac alias eorundem librorum, quae dilucide monstrant idem, quod nos in praecedentibus asseruimus, Augustinum intellectuisse, citavimus, ut nullus deinceps rationibus & tanto auctore convictus, audeat pertinaciter Neotericorum opiniones tueri.

Prima sententia sumitur ex 5. de Trinitate, in 3. columna a principio. Tantum enim, quae his quindecim libris traduntur ab Augustino, huic inseruntur loco, cuius series haec est: [Quod si illud dici accidens placet, quod licet non amittatur, minuitur tamen, vel augetur, sicuti est animae vita: nam & quamdiu anima est, tandi vivit, & quia semper anima est, semper vivit. Sed quia magis vivit cum sa-

pit, minusque cum desipit, fit etiam hic aliqua mutatio, non ut desit vita, sicut nec deest insipienti sapientia, sed ut minus sit, nec tale aliquid in Deo sit, quia omnino incommutabilis manet, quam ob rem nihil in eo secundum accidens dicitur, quia nihil ei accedit, nec tamen omne quod dicitur, secundum substantiam dicitur: in rebus autem creatis atque mutabilibus, quod non secundum substantiam dicitur, restat ut secundum accidens dicatur. Omnia enim accidunt eis, quae vel amitti possunt, vel minui: & magnitudines & qualitates: & quod dicitur ad aliquid sicut amicitiae, propinquitates, servitutes, similitudines, aequalitates, & si qua hujusmodi: & situs & habitus, & loca, & tempora, & opera, atque passiones. In Deo autem nihil quidem secundum accidens dicitur, quia nihil in eo mutabile est. Nec tamen omne quod dicitur, secundum substantiam dicitur. Dicitur enim ad aliquid, sicut pater ad filium, & filius ad patrem, quod non est accidens: quia & ille semper pater, & ille semper filius, & non ita semper quasi ex quo natus est filius, ut ex eo quod numquam desinat esse filius, pater non desinat esse pater, sed ex eo quod semper natus est filius, nec coepit unquam esse filius: quod si aliquando esse coepisset, aut aliquando esse desineret filius, secundum accidens diceretur. Si vero quod dicitur pater ad seipsum diceretur non ad filium, & quod dicitur filius ad seipsum diceretur non ad patrem, secundum substantiam diceretur, & ille pater, & ille filius. Sed quia & pater non dicitur pater nisi ex eo quod est ei filius, & filius non dicitur nisi ex eo quod habet patrem, non secundum substantiam haec dicuntur: quia non quis-

quisque eorum ad seipsum sed ad invicem , atque ad alterum ista dicuntur. Neque secundum accidens , quia & quod dicitur pater , & quod dicitur filius , æternum , ac incommutabile est eis. Quam ob rem quamvis diversum sit patrem esse , & filium esse , non est tamen diversa substantia , quia hæc non secundum substantiam dicuntur , sed secundum relativum , quod tamen relativum non est accidens , quia non est mutabile.]

Secunda sententia in eodem libro per tres columnas ante finem , videtur expressè distinguere magnitudinem à re magna. Ex quo inferendum censet quivis etiam eundem voluisse intellectuonem distingui ab intelligente. Augustini sententia hæc erat : [In rebus enim , quæ participatione magnitudinis magna sunt , quibus est aliud esse , aliud magnus esse , sicut magna domus , & magnus mons , & magnus animus , in his ergo rebus aliud est magnitudo , aliud quòd ab ea magnitudine magnum est. Et prorsus non hoc est magnitudo , quod est magna domus , sed illa est vera magnitudo , quæ non solum magna est domus , quæ magna est , & qua magnus est mons quisquis magnus est , sed etiam qua magnum est quicquid aliud magnum dicitur : ut aliud sit ipsa magnitudo , aliud ea , quæ ab illa magna dicuntur. Quæ magnitudo utique primitus magna est , multoque excellentius , quam ea quæ participatione ejus magna sunt.]

Tertia in libro sexto per tres columnas à principio legitur , quæ sic habet . [Virtutes quæ sunt in animo humano , quamvis alio atque alio modo singulæ intelligantur , nullo modo tamen separantur ab invicem , ut quicumque fuerint æquales , verbi gratia , in fortitudine ,

æquales sint & prudentia , & temperantia , & justitia. Si enim dixeris æquales esse istos fortitudine , sed illum præstare prudentia , sequitur ut hujus fortitudo minus prudens sit , ac per hoc nec fortitudine æqualia sunt , quando illius fortitudo prudentior. Atque ita de cæteris virtutibus invenies , si omnes eadem consideratione percurras. Non enim de viribus corporis agitur , sed de animi fortitudine. Quanto ergo magis in illa incommutabili , æternaque substantia incomparabiliter simpliciore , quam est animus humanus , hæc ita se habent. Humano quippè animo non hoc est esse quod est fortem esse , aut prudentem , aut justum , aut temperatum. Poteſt enim esse animus , & nullam istarum habere virtutum. Deo autem hoc est esse , quod est fortem esse , aut justum esse , aut sapientem esse , et si quid de illa simplici multiplicitate , vel multiplici simplicitate dixeris , quo substantia ejus significetur.]

Quarta in sequenti columna eiusdem sexti libri hæc refert : [Et in unoquoque corpore aliud est magnitudo , aliud color , aliud figura , potest enim , & diminuta magnitudine manere idem color , & eadem figura , & colore mutato manere eadem figura , & eadem magnitudo , & figura eadem non manente tam magnum esse , & eodem modo coloratum. Et quæcumque alia simul dicuntur de corpore , possunt , & simul , & plura sine cæteris commutari , ac per hoc multiplex esse convincitur natura corporis , simplex autem nullo modo. Creatura quoque spiritalis , sicut est anima , est quidem in corporis comparatione simplicior , sine comparatione autem corporis multiplex est , etiam non simplex. Nam ideo simplicior est corpore , quia non

non mole diffunditur per spatium loci, sed in unoquoque corpore, & in toto tota est, & in qualibet ejus parte tota est. Et ideo cum sit aliquid in quavis exigua particula corporis quod sentiat animam, quamvis non fiat in toto corpore, illa tamen tota sentit, quia totam non latet. Sed tamen etiam in anima cum aliud sit artificiosum esse, aliud inertem, aliud acutum, aliud memorem, aliud cupiditas, aliud timor, aliud laetitia, aliud tristitia, possintque, & alia sine aliis, & alia magis, alia minus innumerabilia, & innumerabilitatem in animae natura inveniri, manifestum est non simplicem sed multiplicem esse naturam, nihil enim simplex mutabile est, omnis autem creatura mutabilis.] Quo fulcitur nostra sententia pag. 173. col. 2. lin. 1.

Quinta. Septimo libro per duas columnas à principio in hunc modum habet. [Sicut autem absurdum est dicere candidum non esse candorem, sic absurdum est dicere sapientem non esse sapientiam. Et sicut candor ad seipsum candidus dicitur, ita, & sapientia ad seipsam dicitur sapiens. Sed candor corporis non est essentia, quoniam ipsum corpus essentia est, & illa ejus qualitas, unde ab ea dicitur candidum corpus. Cui non hoc est esse, quod candidum esse. Aliud enim ibi forma, & aliud color, & utrumque non in seipso, sed in aliqua mole, quæ moles, nec forma, nec color est, sed formata, & colorata. Sapientia verò, & sapiens est, & seipsa sapiens est. Et quoniam quæcumque anima participatione sapientiae fit sapiens, si rursus despat, manet tamen in se sapientia, nec cum anima fuerit in stultitiam commutata, illa mutatur: non ita est in eo qui ex ea fit sapiens, quemadmodum candor in corpore, quod non

ex illo candidum est. Cum enim corpus in aliud colorem fuerit mutatum, non manebit candor ille, sed omnino esse definet.]

Ut ergo relati Augustini contextus explicentur, & quid ille velit sentire expresius exprimatur, animadvertere, quæ dicentur, expediat. Hac enim, quæ afferetur, distinctione intellecta, facilis sensus literæ omnium sententiarum ductarum evadet. Nam cum accidens appelletur id, quod adest, & abest à subjecto præter subjecti corruptionem, ut Porphyrius in prædicationibus asseverat, & non tantum, quæ realiter à substantiis distinguuntur, ut colores, & odores, & sapores, ac qualitates primæ adsint, ac absint à substantia, sed multi modi substantiæ, quæ re idem sunt cum substantia, etiam adsint, & absint substantiæ. Accidens duplex esse dicendum est. Aut denominatione tantum, aut re, ac denominatione. Pro quorum cognitione methodos genericas duas in antecedentibus duximus. Denominatione tantum accidens cuiuscumque substantiæ dicitur illud, quod substantia ipsa intellecta, potest non intelligi, ut quod adest, & abesse valeat, ut figura, magnitudo, motus, color, odor, & alia hujusmodi. Nobis enim licet intelligere quamvis substantiam corpoream, aut spiritalem si velimus, non intelligentes magnitudinem, neque figuram, neque colorem, nec aliud quicquam eorum, quæ abesse, & adest substantiæ possunt. Re accidens dicitur, quod ultra hoc quod sine substantia intelligitur, cum de novo adest substantiæ, cui prius non inhæserat, aliqua nova entitas addita est substantiæ: & cum admittitur, aliqua etiam entitas deperditur. Beatus ergo Augustinus in primo sensu multa accidentia nomi-

minat, quæ non re distant à substantia, sed modi sunt, quod intelligi valent sine substantia, & adesse, ac abesse eidem, cui inesse dicuntur. Ex quorum numero vivere accidens esse satis impropiè ipse dicit: non quod amittatur, & acquiratur, manente substantia viva, implicat enim id, sed quod etiam impropiè dicamus magis, & minus vivere: magis cum sapimus: minus, cum ignoramus. Quibus modis loquendi non jam utimur. Nam cum vivere sit esse viventium, & illud esse non possit concipi distinctum à vivente, quod substantia viventis est, quæ non recipit magis, nec minus, superest neque magis vivere, neque minus posse ullum dici. Etiam posset alius modulus loquendi Augustini in citato loco mox post recensita verba, ut qui exolevit, explodi, ille erat, quod non desit insipienti sapientia, nam omnes aliter nunc loquuntur. Dicunt enim stolidos sapientia omnino carere. Putarem ego ibi sapientiam nominari ab Augustino, promptitudinem, seu aptitudinem sciendi, quod nos rationale intransfinitionem hominis appellamus, id est, aptum natum sapere, & ratione uti, vel si hoc noluit Augustinus, sapientiam ab eo dici in loco citato ideam sapientiae. Tandem illa, & multa alia denominative in rebus creatis accidentia sunt, quæ ab Augustino recensentur, magnitudines, qualitates, & quæ dicuntur ad aliquid, hoc est, relativa amicitiae, propinquitates, servitutes, similitudines, æqualitates, & situs, ac habitus, & cætera jam relata: hoc, ut nos expressimus, intellexisse Augustinum ex multis ejusdem sententiis planum est, sed præsertim ex verbis relatis in contextu isto, quem nunc exponimus, ea sunt: [In Deo autem nihil quidem

secundum accidens dicitur, quia nihil in eo mutabile, nec tamen omne quod dicitur, secundum substantiam dicitur. Dicitur enim ad aliquid, sicut pater ad filium, & filius ad patrem, quod non est accidens, quia ille semper pater, & ille semper filius.] Ubi non aliam rationem exhibet cur in Deo pater, & filius etsi relativè dicantur, non sint accidentia, nisi quia pater semper pater, & filius semper filius, & non possit concipi patris persona non pater, nec filii persona non filius, ut Sortis patris persona potest concipi non pater, mortuo filio, & filii persona non filius, facta morte Sortis patris. Et expressius in ultimis verbis contextus: [Quia & quod dicitur pater, & quod dicitur filius, æternum, ac incommutabile est eis, quam ob rem quamvis diversum sit patrem esse, & filium esse, non est tamen diversa substantia, quia hæc non secundum substantiam dicuntur, sed secundum relativum, quod tamen relativum non est accidens, quia non est mutabile.] Ex quo inferri dilucidè posse videtur, quod si quis homo ab ortu ad interitum usque patrem haberet, esset dum viveret semper filius dicendus sine accidente ullo distincto re à substantia filii, sequendo placitum hoc Augustini, quod nostrum decretum affirmabat. Etiam quod tantum denominatione filiatione illa Sortis, verbi gratia, non distincta realiter à filio esset accidens, & non re, ut intellectio, aut sensatio non nisi denominatione accidentia nominantur, re autem nequaquam. Nempe potissima ratio, quæ ab Augustino fertur, ut aliquid accidens dicatur non est esse illud, quid distinctum à substantia, sed adesse, & abesse posse substantiam: quod si acriter animadvertisatur, in-

totum eo roboratur nostrum decretum.

Secunda sententia Beati Augustini adversus nostra dicta expressè usurpata est ab ipso Divo Augustino ex Platone in dialogo illo, quod inscripsit, Parmenides de Uno rerum omnium principio, & de Ideis, sectione 4. ubi Zenonem cum Socrate disceptantem introducit, ac sic Zenonem interrogantem. [At hoc mihi dicas, videntur ne tibi ut ajebas, species quædam existere, & ea quæ illis participant illarum cognomenta sortiri, veluti similitudine participantia similia, magnitudine magna, pulchritudine, ac justitia, pulchra, & justa vocari? Et maximè inquit Socrates.] Quo in loco etsi non pauca indissolubilia argumenta adversus hoc decretum objiciat Zeno ipse, in fine tamen, ipsis sufficienter nequaquam solutis, persistens in hac, quam retulimus, sententia, finem negotio imponit.

Tertii decreti adversus nos ducti ultima verba videntur nobis contraria, sed nequaquam sunt. Verba enim illa: [Humano quippe animo non hoc est esse, quod est fortis esse, aut prudentem, aut justum, aut temperatum, potest enim esse animus: & nullam istarum habere virtutum.] Nobis non adversantur. Quamquam enim fatear animi facultates sive vires non distingui ab ipso realiter, non tamen ob hoc cogor dicere illas virtutes sive facultates esse animi, in hoc sensu, quod non possit intelligi animus, nisi ipsis intellectis. Ut spirititalitas, verbi gratia, aut nullius loci occupatio, quæ sic convenient ipsi rationali animæ, ut minimè intelligi ipsa valeat sine istis, quod sunt de substantia illius, virtutibus aliter se habentibus, possunt enim non concipi anima ipsa concepta. Et nec

hoc arguit potius distinctionem realem inter animam, & virtutes, quam paternitas, & filiatio humanae distingui ipsas ab homine probaverunt, ut supra ostendimus: quod voluisse Divum Augustinum sentire, ut retulimus, monstrant planè verba sequentia: [Deo autem hoc est esse, quod est fortis esse, aut justum esse, aut sapiens esse.] Id est, non potest intelligi Deus, quin fortis, justus, & sapiens intelligatur, ideo idem est Deo esse, & ullum illorum esse.

Quarta Augustini sententia nullam aliam distinctionem inter magnitudinem, & figuram corporum innuit esse, quam per alios, & alios modos essendi corporum ipsorum. Secùs de colore, quod verba ejusdem testantur, inquiens: [Et propter hoc multiplex esse convincitur natura corporis.] Quod nequaquam dixisset, nisi modos corporis non distinctos à corpore, figuram, magnitudinem, & ceteros hujus generis modos corporis, putat motus, situs, esse idem cum corpore credidisset. Nam si accidentia distincta realiter ab ipso corpore fore praedicta opinaretur Augustinus, aliter suisset loquutus, scilicet propter hoc multiplex esse convincitur natura accidentium corporalium. Relata enim etsi ab ipso nonnumquam appellantur accidentia, denominatione tantum talia esse ostendimus, re autem minimè. Ulterior autem sententia. [Creatura quoque spiritalis, sicut est anima, &c.] Nostrum decretum superius traditum pag. 84. roborat. Ibi enim asseruimus, intellectualis naturæ substantiam, aliis, & aliis modis essendi non distinctis re ab ipsa substantia intellectuali affici. Etiam diximus, quid sit dici ipsam substantiam spiritalem compositam, quod nec unguem la-

latum distat à nostris decretis.

In quinto contextu citato ex septimo libro de Trinitate, palam elicetur, quemdam modum loquendi inusitatum nunc Physicis, & Theologis ab Augustino ipso ut verum approbari, putà veras esse illas assertions, in quibus abstractum de concreto prædicatur, & in quibus è diverso concretum de abstracto dicitur. Certas enim credit esse has, candidum est candor, & sapiens est sapientia: quod ultimum intelligendum esse, ut nos suprà in solutione primi argumenti exposuimus, putà sapientiam aptitudinem ad sciendum appellari ab eo, dilucidè probant verba ejusdem Augustini. Confitetur enim, quòd etsi anima, quæ sapiens semel dicitur, commutetur in stultitiam, non amissa sapientia commutari, sed manente in se ipsa prima sapientia, dissimile valde accidere corpori candido referendo. Nam corpus candidum amissio candore in diversum colorem mutatum, non amplius candido participare asseverat: Quòd nisi sapientia intelligatur non actualis, sed promptitudo relata, scilicet, anima nostra apta nata ratiocinari, manifestè falsum foret. Ideò certum est à nobis sufficientè esse explicitum locum citatum. Sed redeamus ulterius investigare, in quo sensu veræ illæ propositiones esse possint, sapiens est sapientia, vel sapientia est sapiens. Et alia: Candor est candidum, aut è contra. Si enim de ideis verificarci crediderit aliquis, minimè id quadrare cum Augustini verbis potest. Nam ipse fatetur, quòd candidum potest esse non candidum, ubi exprestè patet non loqui ipsum de idea candoris, quando priùs dixerit candidum esse candorem, quòd hæc si semel esset candidum, semper talis futura erat,

Tom.I.

cùm æternæ, incommutabilesque fingantur hæ à Platone. Supereft ergo, quòd cùm anima sapiens semper sit, apud Augustinum, in se habens sapientiam: & corpus candidum apud eundem, non semper candorem habeat, fatendum esse ab Augustino aliter participare animam idea sapientiæ, quàm candoris. Quæ omnia Platonis dogma ta jam, ut retulimus, explosa sunt, ut falsa, etiam à nobis in his, quæ præcesserunt pag. 88. undè error Platonis ortum traxit, ostendimus. Quapropter de his non amplius, ut progrediamur ducere Augustini sententias, quibus illustrissimè expressit, intellectiones, & alias animæ actus, non distingui realiter ab ipsa anima, sed esse tantum alios, ac alias modos essendi ejusdem.

Prima ergo sententia per columnam unam tantum distat à principio noni libri de Trinitate, ejus verba hæc sunt: [Mens igitur cùm amat seipsum, duo quædam ostendit, mentem, & amorem. Quid est autem amare se, nisi sibi præsto esse velle ad fruendum se? Et cùm tantum se vult esse, quantum est, par menti voluntas est, & amanti amor æqualis. Et si aliqua substantia est amor, non est utique corpus, sed spiritus est. Nec tamen amor, & mens duo spiritus, sed unus spiritus: nec essentiæ duæ, sed una: & tamen duo quædam unum sunt, amans, & amor: sive sic dicas quod amatur, & amor. Et equidem duo relativè adinvicem dicuntur: amans quippè ad amorem refertur, & amor ad amantem. Amans enim aliquo amore amat, & amor alicujus amantis est. Mens verò, & spiritus non relativè dicuntur, sed essentia demonstrant.] Quibus verbis planissimè ostendit, actum voluntatis, quem volitionem

Ee

Neo-

Neoterici appellant: Augustinus autem amorem, non esse corporream rem, sed spiritalem, & nec distingui ab ipsa mente, seu anima intellectiva realiter, sed tantum denominatione. Id enim dixit cum ait: [Nec tamen amor, & mens duo spiritus, sed unus spiritus: nec essentia duæ, sed una.] Hoc enim falsum palam esset, si mens, seu rationalis anima esset, ut est, substantia, & amor esset accidens eiusdem inhærens realiter distinctum ab ipsa. Solùm ergo nomina hæc, quæ eandem entitatem significant, sunt, quæ inter se distant, & in diversis prædicamentis situantur, puta amor, & amans in prædicamento relationis: mens, & spiritus, in prædicamento substantiæ: quòd illa priora significant modum rei formaliter, et si significant mentem, & spiritum quasi per modum subjecti. Nihil enim, quod non sit mens, aut spiritus, amare potest: ut supereft assertum ab Augustino, & demonstratum à nobis. Et ista ultima sic essentiam significant, ut nullum modum ejus ad aliam rem denotent.

Secunda sententia columnæ sequente antecedentem legitur, verba sunt: [Mens ergo ipsa sicut corporearum rerum notitias per sensus corporis colligit, sic incorporearum rerum per semetipsam: ergo & semetipsam per seipsum novit, quoniam est incorporea. Nam si non se novit, non se amat. Sicut autem duo quædam sunt, mens & amor ejus, cum se amat: ita quædam duo sunt, mens & notitia ejus, cum se novit. Igitur ipsa mens & amor & notitia ejus, tria quædam sunt, & hæc tria unum sunt. Et cum perfecta sunt, æqualia sunt.] Quam sententiam qui respuerit, & nostris decretis consonam esse insciatus fuerit, audiendus non est, ut

qui sensum negat. Sed quòd fortassis aliquis poterat opinari, tantum amorem mentis cum se amat, & notionem ejusdem cum se noscit, putari ab Augustino esse idem menti, ideo parum infra id exprimit, ac exemplo ostendit, se nequaquam velle sentire, quòd accidens ullum realiter distinctum ab anima sit amor, aut intellectio, inquiens: [Mens autem amore quo se amat potest amare, & aliud præter se. Itém non se solùm cognoscit mens, sed & alia multa. Quam ob rem non amor & cognitio tamquam in subjecto insunt menti, sed substantialiter etiam ista sunt, sicut ipsa mens. Quia etsi relativè dicuntur adinvicem, in sua tamen sunt singula quæque substantia, non sicut color & coloratum relativè, ita dicuntur adinvicem, ut color in subjecto colorato sit, non habens in seipso propriam substantiam, quoniam coloratum corpus substantia est, ille autem in substantia. Sed sicut duo amici etiam duo sunt homines, quæ sunt substantiae, cùm homines non relativè dicuntur, amici autem relativè. Sed item quamvis substantia sit amans, vel sciens, substantia sit scientia, substantia sit amor: sed amans & amor, aut sciens & scientia relativè ad se dicantur, sicut amici: mens verò, aut spiritus non sunt relativa, sicut nec homines relativa sunt, & scientia.] Planè nullis illustrioribus verbis potuit Augustinus nostra placita roborare. Nempe crediderim ego, neminem quantumvis rudem non intelligere, nos nihil commentos fuisse, cùm actus animæ ab ipsa non distinguimus, quod Augustinus priùs non dixerit, nec ullum adeò versutum esse, qui possit verba relata in oppositum sensum retorquere.

Propè finem ejusdem noni libri alius

alius contextus legitur, quo nobis adversi oppositam roborari opinionem credidere, hujusmodique erat: [Unde liquidò tenendum est, quòd omnis res quamcumque cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui: ab utroque enim notitia paritur, à cognoscente & cognito. Itaque mens cum seipsam cognoscit, sola parens est notitia suæ, & cognitum enim & cognitor ipsa est, erat autem sibi ipsa noscibilis, & antequam se noscet. Sed notitia sui non erat in ea, cum seipsa non noverat.] Dicunt enim qui putant actus animæ distingui realiter ab anima, satis probari esse conforme decretum Augustini suæ opinioni ex verbis illis: [Omnis res quamcumque cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui.] Et alia sequentia: [Ab utroque enim notitia paritur, à cognoscente & cognito.] Credentes nempe congenerari non posse notitiam, nisi sit ipsa aliquod accidens realiter distinctum ab anima, non considerantes, dici figuram gigni à sigillo: quæ tamen ut probatum supra man- fit pag. 149. non est res distincta à re figurata. Cum enim res aliter se habet, quam priùs habebat, quamquam non dicitur de novo genita, ut de facto sua entitas non generatur, ille tamen suus modus, qui aliquo verbo vocali, vel scripto exprimitur, gigni dicitur. Decipiuntur enim, qui putaverunt, quia notitia, & figura, & similia connotati- vo modo non significant, ideo simpliciter absoluta esse aliquam rem distinctam à substantia significan- tia, ut illi qui genera & species prædicamenti substantiæ, eodem errore valleti, entitates distinctas ab individuis esse crediderunt. De qui- bus suprà pag. 88. egimus. omnes
Neque aduersus inficiari nos-
da Tom. I.

tram expositionem potest, cum verba Augustini, quæ sequuntur, manifestè eandem roborent, illa sunt: [Itaque mens cum seipsam cognoscit, sola parens est notitia suæ, & cognitum enim & cognitor ipsa est.] Alia enim sententia sequens: [Sed notitia sui non erat in ea, cùm seipsa non noverat.] In sensu illo vera est, in quo dicimus, figura non erat in cera antequam sigillo configuraretur ipsa. Non quòd ipsa sit in illa, ut calor res distincta à subjecto calido, nam neque notitia est in subjecto, ut calor, di- cenda.

Ultima quoque verba ejusdem noni, non obscurius quām præcedentia, sed dilucidius, si luce ali- quid clarius est, ostendunt, quod probare nitimur. Ea sunt: [Et est quædam imago Trinitatis: ipsa mens & notitia ejus, quod est proles ejus, ac de seipsa verbum ejus, & amor tertius, & hæc tria unum, ac una substantia. Neque minor proles, dum tantum se novit mens, quanta est. Neque minor amor, dum tantum se diligit, quantum novit, & quanta est.] Minimè enim exponi potest illa tria esse unam substantiam constitutione, ut par- tes quantitativæ & essentiales di- cuntur componere totum. Primo, quòd notitia & amor nequaquam ab adversis asseruntur substantiæ, sed accidentia realiter distincta ab ipsa creduntur esse. Secundo, quòd nullus usus est adeò impropriè loqui, ut dicat partes tres constituen- tes aliquod totum essentiale, vel integrale, una substantia sunt, sed unam substantiam constituunt. Quanto magis Divus Augustinus in loco isto, ubi nititur monstrare similitudinem divinæ Trinitatis in nobis ipsis reperiri: quæ si de tri- bus partibus integralibus consti-

tuentibus unum integrale , aut de duobus accidentibus , putà notitia & amore , & de anima subjecto illorum constituentibus unum per accidens sumeretur , non erat cur potius de mente & notitia , ac amore esset loquutus , quàm de pomo & colore & odore , aut de lapide & frigore , & siccitate ejusdem , aut de ligno tripodali , & singulis suis pedalitatibus . Adeò enim anima à sua notitia , ac amore distaret , si quod accidens realiter distinctum ab ipsa anima forent illa , ut pomi substantia à colore & odore , aut lapidis substantia à frigore & siccitate . Etiam si amor , & notitia , & mens , tres substantiæ essent , constituentes unam , sic mutuò differrent , ut quælibet trium pedalitatum ligni ab altera distat , aut ut materia à forma , indeque similitudo inconcinnna , ac inepta esset : quæ cùm non sit , sed si qua in rebus creatis reperiri potest , relata ab Augustino est , sequutus illam Genesis divinam sententiam : Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram : superest illum dixisse , quod est , putà mentem idem esse suis notionibus , ac volitionibus , seu amoribus .

In fine quoque decimi libri non dissimilis sententia prædictis refertur : [Voluntas etiam mea totam intelligentiam totamque memoriam meam capit , dum toto utor quod intelligo & memini : quapropter quando invicem à singulis , & tota omnia capiuntur , æqualia sunt tota singula totis singulis , & tota singula simul omnibus totis , & hæc tria unum , una vita , una mens , una essentia .]

Tandem in quinto decimo , in quo refert singula , quæ in præcedentibus libris scripsérat , sic ait in tertia columnà à principio : [In

nono ad imaginem Dei , quod est homo secundum mentem pervenit disputatio , & in ea quædam Trinitas invenitur , idest , mens & notitia , qua se novit , & amor , quo se notitiamque suam diligit : & hæc tria æqualia inter se , & unius ostenduntur essentiæ .] Deinde per tres columnas infra citatum locum sic refert : [Aut verò putandum est sapientiam , quæ Deus est , scire alia , & nescire seipsum , vel diligere alia , nec diligere seipsum ? Quæ si dici siue credi stultum , & impium est , ecce ergo Trinitas , sapientia scilicet , & notitia sui , & dilectio sui . Sic enim & in homine invenimus Trinitatem , idest mentem , & notitiam qua se novit , & dilectionem qua se diligit . Sed hæc tria ita sunt in homine , ut non ipsa sint homo .] Quasi istis verbis respondeat Augustinus argumento quorundam , qui putassent fortassis multum tributum esse homini , si mens ejus , & intellectio ejus , & volitio ejusdem non distinguerentur inter se realiter , quod soli Deo illud competere crediderint : non animadverentes Augustinum non dixisse hæc tria esse idem cum homine , qui ex anima & corpore componitur , sed esse idem cum mente , siue anima ejusdem , ac sic idem cum ejusdem mente tria illa esse , ut non sit idem in homine sua mens , & sua voluntio , ac sua notio , ut non possit esse mens sine illis , ut nullies supra retuli . Nam stat mentem vacare ab omni cogitatione , quæ tunc non diceretur notio , ac suspendisse voluntatis actus , quæ etiam non appellaretur tunc amor . Quod Deo minimè convenire potest , ita enim noscit Deus , ut quod semel novit in æternum etiam noscat , & ab æterno novit . Et quod semel amat , etiam in æternum est amaturus , &

ab æterno amavit. Et suus amor, ac sua notitia idem sibi ipsi sit. Credunt enim nonnulli propter imperfectionem animæ rationalis, ac angelicæ naturæ, non posse has spiritales substantias intelligere, aut velle sine accidente aliquo distincto realiter ab ipsa substantia intelligente, genito tamen ab ea, non animadvertisentes impossibilia, quæ ex illo placito inferuntur, ac etiam quòd illud quod imperfectionis creaturæ esse putant, potius perfectioni tribuendum erat, gignere enim accidens illud, quo intelligerent, majorem perfectionem arguit, quam solo modo non distincto à se illas cognoscere. Deo enim fœcundissimo creatori similiores redduntur gignendo, quām aliter se habendo, cū ipse non aliter se habeat, sed gignat.

Nempè nos nihil de hac re differimus, quod Augustinus non dixerit: solum à nobis rationes, quibus opposita assertio vera esse non poterat, sunt inventæ. Finem ergo huic negotio imponentes, decreatum beati Augustini de medio fermè quindecim libri usurpatum ducamus, quòd id multa ex his, quæ parum supra scripsimus, roborat, illud est: [Quæ autem scientia Dei est, ipsa & sapientia, & quæ sapientia, ipsa essentia sive substantia.] Quia in illius naturæ simplicitate mirabili, non est aliud sapere, quām esse, sed quod est sapere, hoc est & esse, sicut & in superioribus libris de sapientia diximus. Nostra verò scientia in rebus plurimis, propterea & amissibilis est, & receptibilis, quia non hoc est nobis esse, quod scire, vel sapere, quoniam esse possumus, etiam si nesciamus, nec sapiamus ea, quæ aliunde dicimus.

Et ne quicquam desiderari pos-

sit, quod à nobis satis explicitum non sit, ideo quandam meam indoctam interpretationem sententiæ Augustini ex 7. lib. de Trinitate, quam parum ante pagin. 214. in ejus principio adduxi, annotare placet. Illa erit, quòd Augustinus retulerat: [Sapientia vero & sapiens est, & seipsa sapiens. Et quoniam quæcumque anima participatione sapientiæ fit sapiens, si rursus desipiat, manet tamen in se sapientia, nec cum anima fuerit in stultitiam commutata, illa mutatur, &c.] Quod nos pag. 215. sic explicueramus: [Etiam posset alius modus loquendi Augustini in citato loco, ut quod exolevit, explodi, ille erat. Quòd non desit insipienti sapientia, nam omnes aliter nunc loquuntur, dicunt enim stolidos sapientia omnino carere. Putarem ego ibi sapientiam nominari ab Augustino promptitudinem, seu aptitudinem sciendi, quod nos rationale intrans finitionem hominis appellamus, idest, aptum natum sapere, & ratione uti. Vel si hoc noluit Augustinus, sapientiam ab eo dici in loco citato ideam sapientiæ.] Quam ultimam expositionem, ut veram amplecti debebamus, & non priorem, quia Augustini verba hoc expressè testantur. Nam verba illa, quæ occasio fuere, ut exponerem, ut prius audiatis, & non hoc secundo modo, nequaquam sensum, quem ego expressi, facere poterant. Verba fure: [Et quoniam quæcumque anima participatione sapientiæ fit sapiens, si rursus desipiat, manet tamen in se sapientia.] Quæ non ut audiatis erant interpretanda: Ego enim illud relativum se, volebam extorquere ad animam, ut sensus esset, manet tamen in se, idest, in anima sapientia. Quod nequaquam

voluit Augustinus, sed relativum illud, se, referre sapientiam, ut hunc sensum efficiat: manet tamen in se, scilicet, sapientia, sapientia. Quod planioribus verbis dicere mus, neque propter hoc quod sapiens desipit, desinit esse sapientia sapientia. Ex quibus etiam elicetur, male nos improbasse pag. 217. propositiones illas Au-

gustini. Sapiens est sapientia, vel, sapientia est sapiens, candor est candidum, aut è contra, ut loquuntur de ideis sapientiae & candoris, cum non de alio, quam de ideis Augustinus loquatur, ubi parem esse participationem sapientiae, & candoris à sapiente & candido confababit.

FINIS.



DE IMMORTALITATE ANIMORUM ANTONIANÆ MARGARITÆ,

UBI POTIORA, QUÆ DE RE HAC SCRIPTA SUNT,
adducuntur, & solvuntur, & novæ rationes, quibus
à mortalitate rationalis anima vindicatur,
proponuntur.



X tam multis à me promissis huic operi inserere, quod memoria consequar, nihil superest, quod non perfecerim, quām de Animæ immortalitate agere, negotium profectò non minus arduum, difficilimeque investigabile, quām humanae felicitati conducens. Quotquot enim ex vetustissimis illis Græcis, & Romanis, ac aliis gentibus facinora referuntur, quibus se morti intrepidè nonnulli obtulerunt, non aliundè occasionem sumpsisse existimo, nisi quòd isti post eorumdem obitum statim in totum perituros autumabant. Quapropter anxie cupientes immortales esse, si non aliter famam sui posteritati linquendo, facinore aliquo patrato, voti compotes posse fieri crediderunt: idque cùm eventus aliquis memorabilis se offerebat, exequabantur. Quæ ethnica gesta indubiè vitata forent, & ad superos fortassis animæ nonnullorum devolassent, quæ apud inferos nunc suppliciis premuntur, si adeò cer-

tum illis fuissest ex animabus æternis se constare, ut quòd Sol est major tota terra, aut Luna minor, aut alia, quæ etsi sensus non decernit, ratio indubitata probat. Hanc ergo invenire in re, de qua agimus, quām magni valoris, ac momenti esse, neminem dubitare existimo. etsi enim religione, fideque credendum sit immortalem animam esse, nec tantum pii Christiani, verum omnes quotquot existunt hoc in tempore Infidelium sectæ in idem jurent dogma, dubios de hac re, quos Infideles non immerito nominamus, Fideles indissolubilis ratio redderet, ac ab æterno supplicio vindicaret, res profectò non tantum à piis Christianis procuranda, sed, & à quibusvis Barbaris optanda. Porrò crediderim ego demonstrabile esse, animam nostram æternam esse, rationibus adeò validis in physico negotio, ut quibus suadentur geometrica in mathematicis: quas usque in hæc tempora inventas non fuisse, ut neque quadratura circuli usque ad Aristote lis ætatem mihi compertum est: qui (ni fallor) quæ extant de hac re commentaria universa, aut potiorem partem perlegerim, omnes que

que facillimè dissolubiles repere-
rim. Has ergo in primis proponam
rationes, ac dissolvam: & deinde
si quas nobis paracletus obtu erit,
quæ convincere in totum aduersos,
& quod cupimus adeò validè ro-
borare decretum possint, ut nul-
lus deinceps tergiversare audeat,
efficiam, quo potiri, supplex Deum
precor, genitricemque ejusdem,
nobis, ut solet, faveat, exoro.

Fuerunt adeò multi scriptores de
negotio hoc, quod si universorum
rationes adducendæ essent, & ad
verbum sententiae transcribendæ,
defuturum mihi putarem tempus,
chartasque innumeræ esse consumpturas: quæ omnia, ut vitem,
decrevi tantum Platonis in Phedone,
seu de animi immortalitate
dialogo argumenta in medium ad-
ducere: & post has Beati Augustini
in libro de Quantitate animæ, &
de Immortalitate præsertim. Et uni-
versa hæc dissolvere: deinde illa,
quæ ex Aristotelis libris excerpta
hucusque sunt, tam ab Averroi
Commentatore, quam à Themistio,
ac aliis Authoribus, quæ aliquam
vim habere à me censeantur,
proponam, & dissolvam: ac post
diversorum Authorum suasiones,
Joannis Francisci Pici Mirandulæ
domini, & concordiae Comitis, &
Cajetani Cardinalis, & aliorum,
tam qui jam dudum functi sunt vi-
ta, quam qui adhuc vivunt, & scrip-
tis huic rei tantum dicatis, hoc
quod nos quam maximè efficere
cupimus, à mortalitate scilicet, a
animam rationibus vindicare, se as-
sequutos fuisse existimant, etiam
his commentariis inferam: facili-
terque, ut reor, exigui momenti
esse quotquot ab istis ductæ fue-
runt suasiones, ostendam, nominibus
Authorum sub silentio trans-
gressis, quum rationes has scrip-
serimus. Incassum enim Theophras-

tos, Priscianos, Alexandros, The-
misticos, Symplicios, Jamblicos,
Numenios, Ammonios, Philoponos,
Sophonicos, Theodoros, ac
aliorum innumerorum nomenclaturas
exprimemus, cum non in a-
lium usum, quam consumendi pa-
pyrum esset profuturum. Ultimo-
que si voti compotes facti fuerimus,
nostræ rationes proponentur, in-
dissolubilesque esse ostendentur:
quibus peractis, opus hoc clauder-
tur in honorem, & gloriam Christi
Iesu, & Beatissimæ, ac Immacula-
tæ Genitricis ejusdem.

Platonis ergo rationes, quæ prius,
quam omnium aliorum Authorum
ducere promiseram, referre in
principio placet. Sitque prior illa,
quam sub persona Socratis confabulantis cum Simia, & Cebete Plato
in dialogo citato proponit. Semper
ex mortuis viventes fiunt: ergo
animæ mortuorum post obitum
adhuc alicubi condebantur, unde
iterum revertuntur, ut ex eis vi-
ventia fiant, & per consequens post
obitum manebant, & non cor-
rumpebantur. Antecedens, putà
ex mortuis viventes fieri, sufficien-
tè probasse Plato credit, cum in
ductione ostendit universa, quæ
gignuntur, & alterantur, ex con-
trariis fieri: magnum ex parvo, &
parvum ex magno, & pulchrum
ex turpi, & turpe ex pulchro, &
justum ex injusto, & ex injusto jus-
tum, & mortui ex viventibus ne-
cessariò, & ex viventibus mortui.
Item universa contraria contrariis
motibus acquiruntur. Contrarii e-
nī fūnt motus augmentationis, &
diminutionis, & calefactionis, &
infrigitationis, & aliorum singuli:
ergo mori contrarium sibi motum
habebit, & nullum nisi reviviscere:
sed id non fit nisi anima, quæ dese-
ruerat corpus, in corpus redeundo,
intentum ergo verum.

Ulterius si in motibus quibusvis non esset retrocessus, necessariò omnia essent jam, vel viventia, vel mortua. Si enim ex non viventibus fierent semper viventia, & è contra numquam, omnia jam viventem: vel si ex viventibus fierent semper non viventia, omnia jam vita essent functa. Ut si semper ex parvis fierent magna, & è diverso nequaquam, omnia jam magna essent. Et si è contra accidisset ex magnis fieri semper parva, omnia in parvitatem essent redacta. Cùm ergo certum sit in motibus esse reciprocationem, supereft quòd, cùm eventus doceat ex vivis fieri mortuos, quòd etiam cogendi sumus confiteri, ex mortuis fieri vivos, & quòd illæ mortuorum animæ, ex quibus vivi fiunt, extabant ante vivorum generationem.

Item quicumque Magistri docent juvenes ea, quæ ipsi numquam priùs sciverant, experiuntur disciplinabiles omnes, & bonæ indolis juvenes facile assentiri quibusvis veris suppositionibus, ac illationibus Doctores, rudes etiam, sed difficilius. Sed assentiri numquam scitis rebus, nemo potest. Supereft ergo illas res priùs scivisse juvenem, quam tunc primùm cum docetur: quòd si ita est, necessariò antequam animam illius infusa in corpore ejus fuerit, id scivisse, nam post ortum non didicisse ex hypotesi constat: exemploque comprobari potest, nulli rei nos assentiri, nisi priùs scitæ. Si enim quis narrasset alicui, qui de re ad Indos attinente nihil unquam audierat: profectis è mare Atlantico versus meridionalem plagam, per mille leucas navibus devectis, obviam terram Indorum occurtere, Insulis, & altero continente, plusquam per duo millia leucarum dis-

tantiam, indeque argenti, & auri innumera pondera ad Hispanos transferri, quotannisque asportari, assentietur his ille, qui audit, harum rerum ignarus, ut sciat, indubitatum esse, quod sibi refertur. Minimè quidem. Cui rei omnimodam fidem adhibebit idem postquam ad Indos profectus, omnia sic habere, ut relata sibi fuerant, intellexit. Atque si post ad Hispanos rediens, oblitus regionis Indorum jam senex, de ea nonnihil narrantes audiverit, recordatus eorum, quæ priùs didicerat, confitebitur verum esse, vel falsum, quod de regione illa fertur: illudque certissimum habebit, cuius meminerit. Ergo non aliter addiscens geometriam assentitur magistro dicenti: Omne totum est majus sua parte, tunc primum cùm audit, nisi quòd anima illius tyronis, antequam corpus illud ingressa esset, id sciverat, undè liquidò sequitur ipsam æternam esse.

Item non tantum contingit recordari, ac assentiri rebus, de quibus tractatur, cum ipsæ eadem res, quæ tunc narrantur, olim scitæ fuere, sed, & alio modo: visis scilicet, aut auditis rebus confinibus, sibi compares in memoriam revocari. Qui enim videt tantum patrem amici soliti paternum latus semper comitari, statim absentis amici reminiscitur. Et qui videre equum alicujus, in memoriam statim revocat equi dominum. Sed idem contingit addiscientibus, ergo addiscentes reminiscuntur, & scire, nihil aliud quam reminisci, dicendum est. Minor, putà, idem contingere addiscientibus, probatur. Non raro accedit tyronibus audientibus Magistrum colligentem aliquam rationem, ipsos postquam audierunt majorem, & minorrem ullius syllogismi, inferre sine

doctore conclusionem. Cui enim addiscenti id millies non contigit, quod prolato hoc antecedente: Omne animal rationale est homo, Sortes est animal rationale, ipse statim non inferat conclusionem; ergo Sortes est homo? Quod conclusio similis est antecedenti, & quasi ejusdem germana: indeque cognito antecedente, in memoriam revocata est ipsa conclusio, quae prius scita fuit ab anima auditoris, ante corporis illius informationem.

Item similitudo, æqualitas, justitia, pulchritudo, & alia hujus generis noscuntur à nobis, quæ nequaquam in rebus similibus, æqualibus, justis, & pulchris inventa nec cognita fuerunt: ergo ante proprium ortum à nostris animabus perceptæ sunt, & per consequens ipsæ post obitum extant, ac æternæ sunt. Consequentia nota videtur. Antecedens tamen probare, quoad illud quod supponitur, non in rebus justis, nec æqualibus, nec pulchris cognosci pulchritudinem, æqualitatem, & justitiam, & cætera, superest. Quod sic fulcitur. Quæ similia sunt, non adeò talia sunt, quin aliquo dissimilia: & quæ justa non in tantum justa, quin aliquo iniqua: & quæ pulchra non adeò pulchra, quin aliquo deformia: ergo nec in simili similitudo cognosci valuit, neque in æquali æqualitas, nec in justo justitia, neque in pulchro pulchritudo. Nam hæc, putà similitudo, æqualitas, justitia, & pulchritudo sic talia sunt, ut nequaquam contrariorum aliquid admittant, ut similia, æqualia, & justa, ac pulchra admettere probavimus.

Item cum duplia genera entium sint, quedam composita alia, simplicia, ex his illa, quæ composita sunt, corruptioni obnoxia viden-

tur, quod compositio dissolvi possit: quæ autem simplicia, hæc nequaquam variari, sed semper eodem modo se habere, & uniformiter persistere censenda sunt. Ergo cum res æquales, pulchræ, & similes, & aliis hujus generis nomenclaturis gaudentes videntur, & sentiuntur, compositæ sint, od idque corruptioni, & interitui obnoxiae, & ipsa pulchritudo, & similitudo, & justitia, ac cætera hujus fortis, quæ essentia suarum rerum sunt, ac invisibilia, immutabilia, & æterna, consonum rationi erit, corpus humanum in numero compositorum recensendum, quod id simile, & æquale, & pulchrum sit, indeque corrupti obnoxium. Anima verò essentiis illis, pulchritudini nempè, & similitudini, & æqualitati, ac cæteris invisibilibus ideis ipsa invisibilis existens ac simillima dicatur immortalitatis, ut ille particeps, & ab omni interitu secura.

Item ubi impar numerus est, paris nomen numquam quadrare potest, & ubi justitia est, injustitia ad esse non valet: sicut neque è contra ubi injustitia, justitia. Ergo cùm ubicumque anima est, vita sit, cuius contrarium est mors, ubi anima fuerit, immortalitas necessariò aderit, ipsaque cum sibi semper adsit, immortalis semper dicenda erit.

Hæ sunt potiores rationes, quibus credidit Plato demonstrasse animam æternam, immortalem, incorruptibilemque esse: quas paucioribus verbis, quam potui, recollegi, ut tam longas ambages, quales sunt illæ Phedonis, vitæ, ac brevibus his paginis tam multas claudam: superfluent aliquæ sententiaz, quæ rhetorican plus quam physicam sapiunt: illæ sunt, quas et si non dilucidè Socrates in citato

dialogo exprimit, tamen ex decre-
tis ultimæ sectionis illius dialogi
elici valent, putà, justum esse, sce-
lestos, & improbos homines post
obitum suorum criminum poenas
dare, justosque, ac temperatos
præmia recipere, ut rependatur u-
nicuique secundum merita. Quod
si non contingere, iniquum ne-
cessariò sequeretur, multa scilicet,
sacrilegia, ac cædes impunita re-
manere, quòd facinorosi morte
ex morbo præventi, poenas legi-
bus sanctas non luerent, ac virtu-
tes irremuneratæ restarent: quæ
omnia vitantur, si immortalis ani-
ma esse credatur, & post mortem
præmia, & supplicia hominibus
immineant.

Ductis argumentis, quæ audis-
tis, è Platone, necessarium est,
ea solvere, & quam imbecilla sint
ostendere, & post cætera, quæ
promisi, adimplere: ne si univer-
sæ rationes diversorum Authorum
simul proponerentur, tanta mole
obrutus intellectus legentium con-
funderetur, & digerere solutiones,
ut decet, non valeret. Primam er-
go primò dissolvamus, & conse-
quentè alias, hoc priùs annotato,
ut quam maximum testimonium sit
defectus rationum Platoniarum,
quòd scilicet, si illæ ullius valoris
essent, ita eisdem convincendi es-
semus de brutorum animabus im-
mortalitate, ut hominum. Nam
non plus valere in humanarum ani-
marum favorem, quam cætero-
rum animalium ex ipsis rationibus
facillimè colligitur: ac ex conce-
sis, & assertis ibi à Platone sic op-
inatum esse ab ipso constat: nam
quæ statim referuntur, in prima
sectione dialogi leguntur sub per-
sona Socratis, Platone dicente:
[Consentaneum tamen, ò Cebes,
has animas, quæ circa monumen-
ta, sepulchraque revolvuntur, non

*Platonis ra-
tionibus bru-
torum animæ
immortales
future sunt.*

Tom. I.

esse bonorum, sed malorum, quæ
circa relata oberrare coguntur,
poenas dantes vitæ improbè actæ.
Itaque tamdiù circumvagantur,
quoad cupiditate corporeæ comi-
tante, rursus induant corpus, in-
duunt autem, ut decens est, ejus-
modi mores, quales in vita exer-
cuerunt. Cebes: Quales dices mo-
res, ò Socrates? Socrates: Eiusmo-
di, eos quidem, qui ventri dediti
per inertiam, ac lasciviam vitam
egerunt, neque quicquam pensi,
pudorisque habuerunt, decens est
asinos, similiaque subire, an non
putas? Ceb. Consentanea loqueris.
Soc. Qui verò injrias, tyrannides,
rapinas, præ cæteris sequuti sunt,
in luporum, accipitrum, miluo-
rum genera par est pertransire: num
aliò has migrare dicendum est?
Ceb. Ita potissimum. Soc. Simili-
tè, & in cæteris, abeunt enim in
ea genera quælibet, quibus in vita
mores similes contraxerunt.] Qui-
bus verbis innotescit, Platonem à
Pythagora non dissensisse. Sed, his
missis, exequamur promissa.

Primæ ergo collectionis antece-
dens non tantum falsum est, sed
& consequentiæ illatæ nullius va-
loris sunt. Cùm enim proponitur,
omnia quæ fiunt, ex contrariis fieri,
distinguenda est illa assertio. Nam
aut in hoc sensu profertur, quòd
omnia fiant ex contrario positivo:
aut in illo, quòd fiant omnia ex con-
trario privativo in genere, quod
aliis verbis diceremus, fieri ex pri-
vatione illius quod fit. In primo
sensu falsa est suppositio: nam u-
niversæ substantiæ cùm dignuntur,
non ex contrario positivo fiunt,
cùm substantiæ nihil sit contra-
rium, sed ex privativo, ut in se-
cundo sensu vera sit assertio. Om-
nes enim concii sumus, non posse
aquam ex aqua fieri, nec ignem ex
igne, quia habitibus, ut inquiunt,

præsentibus in materia, cessat motus. Sed ex non aqua aquam gigni, & ex non igne ignem, & ex non vivente vivens, & ex vivo non vivens, quo in relato sensu concessso, non sequitur; quod ex mortuis viventia fiant, si opinetur Plato animas defunctorum mortuos nominari. Nam si omne quod non vivit, mortuum impropriè appellat Plato, extra physicorum morem (qui tantum mortuum dicunt illud, quod vita non fungitur in præsens, & tamen ea aliquando fungebatur, ut totum, aut integralis pars viventis) vera esset propositio, qua nihil aliud conciperemus, quam ex non viventibus viventia fieri. Tandem ex illa suppositione, quod ex contrariis privatione gignantur contraria, impertinens est elicere, quod ex mortuis, hoc est, animabus defunctorum, viventia constituantur. Etiam in significatione hujus nominis, defunctus, petitur principium à Platone ipso. Cùm enim defunctum nominat Plato, ut dixi, animam, quæ extat post obitum hominis, supponens restare aliquid ultra cadaver, cui verè possit adaptari tale nomen, supponit, quod probare tenetur, & illud asserit, ut verum, de quo est omnis disceptatio.

Ac ultra delinquit, quod credidit illud, ex quo aliquid fieri dicitur, intrare compositionem noviter facti. Nam etsi hoc semper sit verum in rebus, quæ ab arte fiunt, ut domus, & lectica ex lignis, & vasa fictilia ex luto, in his, quæ natura constant, contrarium semper accedit, si simplex ex simplici gignitur. Sic enim fit ex aëre aqua, ut oporteat, aërem corrupti, ut aqua gignatur: unde si similitudo ullius valoris esset, sic ex mortuis viventia constituerentur, ut oporteret, mortuos, prius desinere

esse mortuos, quam viventia ex illo gignerentur, ut sua ratione potius eliceretur animas interitui, & corruptioni obnoxias esse, quam æternas. Si enim ex defunctis, hoc est, animabus defunctorum, dixisset Plato viventia gignenda esse, oporteret potius animas ipsas corrupti, ut ex ipsis velut ex materia vita fungentia gignerentur, quam putare probari hac collectione animas immortales esse.

Secunda ratio, quæ innititur motibus, quibus contraria acquiruntur, etiam imbecilla satis est. Quamquam enim verum sit, motus ad contraria contrarios esse, non tamen ob id infertur, necessarium esse posito uno motu, universos illi contrarios etiam eventuros. Multi enim motus sæpè contingunt, quorum nonnulli illis oppositi, numquam nisi miraculo accidunt. Excæcari nempe motus est contrarius motui, quo facultas videndi acquiritur, tamen sic accidit excæcari hominibus, ut numquam nisi miraculo lumina restituantur cæsis: nec ob hoc aliud genus motus contrarium cæcitatii non accidere fatemur, putè ille, quo dum gignitur foetus in utero, lumina acquiruntur. Ad cuius similitudinem etiam mori sic viventibus contingit, ut reviviscere, quæ semel mortua sunt, non valeant, nisi extra cursum naturæ, Deo operante: tamen alias motus contrarius, mori, semper exequatur, generare scilicet, numquam enim natura ab hoc opere desistit. Tandem motus illi, qui ex privatione restituant habitum, in sensu, in quo impossibile esse confitetur Aristoteles, numquam naturaliter fiunt, ut diximus. Alii autem motus contrarii in genere motibus privationis, semper exercentur, ut audistis. Cum ergo arguitur à Platone, mori contra-

rium est reviviscere; ergo si mori accidit, & reviviscere accidet, respondebitur negando consequentiam. Non enim, ut dixi, necessarium est, quod ille motus moriendo, motum peculiariter contrarium, putat reviviscendi, seu resurgendi, naturaliter habeat, sed sufficit, quod ordine naturae cautum sit adesse generationis motum, quem gignere appellamus, in genere contrarium, mori.

Tertiæ rationis exigua vis solutione præcedentium fatis dilucidè intelligitur, verè enim per eam probatur, necessariam esse reciprocationem in motibus generationis & corruptionis, in genere tamen, & non in individuis, hoc est dictu, necessarium esse si homines gignuntur, homines interire: & si equi gignuntur, equos definere esse, & è contra si homines intereunt, homines quoque gigni: & si equi perreunt, equos restitui, ut semper loco deperditorum alii ejusdem speciei gignantur. In individuis tamen retrocessum esse necessarium, minimè illo argumento probatur: sufficit enim, ut non omnia intereant, alia ejusdem speciei succedere: & minimè necessarium est, eadem numero, quæ corrupta fuerere, restitui, quod probare tenebatur. Plato, ut ratio sua ullius valoris esset. Etiam in insignem errorem pellicit argumentum illud, illa certè Platonis consequentia concessa, non tantum animas esse aternas fateri teneremur, sed inanima ta eadem numero restituenda dicere cogeremur, quo nihil absurdius.

Quartum argumentum, quo non tantum Plato credit, animæ immortalitatem probari, sed scire nihil aliud esse, quam quoddam reminisci, paucis verbis dissolvi potest. Cum enim dicit juvenes sem-

per assentiri veris dogmatibus magistrorum humquam auditis ab eisdem, nisi tunc primum cum docentur, & hoc fieri minimè posse nisi antequam eorundem animæ proprium corpus informassent, illud scivissent, cui nunc assentiantur: concessò antecedente, negatur antecedentis roboratio. Non enim quia prius sciverat adolescentis anima, si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent esse æqualia, tunc primum cum illam petitionem audit juvenis, assentitur ipsi, sed quia natura id inditum est illi, quod cognitis terminis cuiusvis horum principiorum complexorum, seu petitionum, aut postulatorum non liceat ipsi non assentiri illis, ut non valet lapis remoto prohibente non descendere, nec ignis non sursum ferri. Neque ob id fatemur, ignem nunc genitum ex stupis, priusquam gigneretur, fuisse, & in regionem illam superiorum ascendisse, nec lapidem etiam nunc primò genitum deorsum ferri, quod prius in centrum latum fuerat, eventibus etiam docentibus veritatem illorum principiorum. Quod enim ab æqualibus æqualia demendo, puer novit, quæ restabant, esse æqualia, non semel, sed pluries id exequendo: inde illud principium etiam sine doctore adeptus est, & mente ut verum concepit, aliaque sic scita fuerunt. Nec Aristoteles primo Posteriorum ab his decretis dissensisse videtur, qui ibi è diametro placitis Platonis contradicit. Probationes ergo Platonis exemplis illis cassæ sunt, & nihil aliud suadentes, quæ attinent ad historiam minimè credi, nisi audiens certior prius fuerit factus narrationis, ut testis oculatus, aut auditus, vel adeò dignus fide fuerit, qui verbis, vel scriptis narrat, ut illi fidendo, assentiat histo.

historiæ auditor, tunc non per reminiscientiam assentiendo, sed, ut dixi, tantum relatori fidendo, ita ut exemplum Platonis sibi quoque adversum sit, cum scilicet, fiducia causa est assensus, & non præteriti memoria.

Quintum argumentum, quo Plato in dialogo innuere videtur, differre reminiscientiam à memoria: quod memoria sit cùm audita, aut visa res, quæ prius visu, aut auditu cognita fuit, iterum memoria recolitur: reminiscientia verò, cùm confinis visa, aut audita in germanæ cognitionem dicit, esse futiè probant, quæ in solutione præteriti diximus. Adeò enim naturale est simulachrum amici soliti comitare patrem, asseratum in memoria sui amici, præsente patre, & inducente sui notionem in animum amici filii sui, statim revocari filii simulachrum in partem illam anteriores cerebri amici cognoscentem abstractive absentia, ut amico non imperante phantasmati amici asservato in triclinio posteriori cerebri, qui locus, ut supra diximus, aservandis imaginibus deputatus est, phantasma ipsum præsentetur particulae cognoscenti abstractive, adhuc amico, qui patrem noverat, nolente.

Sextæ rationis antecedens negatur. Non enim aliunde, quam ex rebus similibus similitudo, & ex rebus justis justitia, & ex pulchris pulchritudo, & cætera abstracta noscuntur, fictione quadam intellectus, cui notioni nulla entitas absoluta extra respondet, ut cùm de universalibus suprà egimus pag. 9. probatum est. Neque antecedentis probatio ullius valoris est. Fatemur certè similia conspecta non adeò similia esse, quin aliquo dissimilia, & pulchra non adeò pulchra, quin aliquo deformia, sed

nec propter hoc elicitur pulchritudinem & similitudinem ante nostrum ortum à nobis esse cognitas. Sufficit enim intellectui, ut pulchritudinem cognoscat, ex pulchris visis, & ex phantasmatis pulchrorum fictis, quibus fingitur adesse, illud pulchritudinis, quod rei visæ deerat, elicere notionem quandam pulchritudinis, cui, ut dixi, notioni nulla respondet res extra sic se habens, ut fictè cognita est ab intellectu. Nec implicat aliquid dici pulchrum, quod alias partes eleganter compositas habet, & idem alia ratione deformè appellari, quod aliis inconcinne fictis sit formatus. Si enim plus pulchrum, aut plus deformè id sit nominandum, indubie noscet, qui pensiculata partium elegantia cum aliarum deformitate, eminentiores partes noverit.

In septima ratione etiam petitur à Platone principium, ut in alia, quæ antecedit. Concesso enim quod dicit de illo diverso genere entium per se existentium, quod quæ simplicia sunt, & nullam compositionem admittunt, æterna sint, quæ verò composita, corruptioni obnoxia censeantur, negatur animam ex ullo relatorum duorum generum dicendam esse: quia animæ natura non sit, quæ illa divisione dividatur. Ibi enim, ut dixi, entia seorsum sive per se existentia in relatas duas species dividuntur & anima posse seorsim & sine corpore esse, ab adverso negatur: quod ut admissum & concessum supponit Plato, cùm querit, cui membro hujus divisionis annumeranda sit anima, an compositis rebus, aut simplicibus: neutri enim illarum dicit adversus, quia non de numero entium per se existentium sit, plusquam forma ligni, aut aris, vel aliæ mistorum formæ, quæ sine

materia elementari esse non valent, ut nec anima ipsa sine temperie etiam elementorum corpus constituentium esse non potest. Et si alicui ex relatis rebus similis dicensa esset, ethnicus diceret potius compositis, quam simplicibus similiam existere, quod sine corpore composito, ac sine ejusdem temperie numquam conspiciatur anima.

Octavæ rationis antecedente admisso, consequentia prima etiam conceditur. Fatemur enim sequi ex antecedente illo, ubi impar est, ibi par esse non potest, quod ubi anima est, mors esse non possit, sed quod ibi vita sit: nec inde sequitur, quod semper vita fungetur, quod semel anima participavit. Ut non sequitur, ubi radii solares sunt, semper medium illustratum erit: ergo medium illud, quod semel radiis solaribus illustratum est, semper illustre erit. Nam in antecedente adverbium illud, semper, determinat verbum illud, sunt, ut sensus sit, ubi semper sunt radii solares, medium illustre erit, in consequente determinat verbum futuri, putà, erit, ubi committitur fallacia. Illa enim hypothetica, quæ infertur expressius relata, non nisi quædam conditionalis hujusmodi est: Si anima alicubi est, ibi vita erit: quæ ut vera conceditur, alia quæ infertur negata, ubi anima fuerit, mors non est, ergo immortalitas necessariò aderit, nam antecedens à Pagano conceditur, & consequens ab eo negatur: quia consimili ratione forma lapidis, & quævis alia æterna esse probaretur in eisdem terminis argumentando, ubi forma lapidis est, corruptio non est, ergo ibi incorruptibilitas erit, & per consequens lapis incorruptibilis. In utraque enim ex his consequentiis, ac innumeris

ejusdem sortis, quæ signata quavis forma colligi possunt, multiplex defectus committitur, sed præcipuus, quod arguitur à non distributo ad distributum, si non expressè, æquivalenter certè: quia, non mors, & non corruptibilis, non æquivalent his, immortalitas, & incorruptibilitas. Porro non mors tantum dicit, sicut nunc non moriens: immortale autem universalius negat, significat enim nullo modo potens mori, ut non corruptibile, nunc non corruptum, incorruptibile, impossibile corrumpi.

Aliud etiam quod assumit, quod anima semper sibi adsit, falsum esse etiam diceretur. Nam si anima corruptibilis esset, cum non esset, non sibi adesset. Sufficiunt hæc ad solvendas rationes Platonis, quibus deceptus, quia logicè parum peritus, putavit demonstrasse animæ immortalitatem. Neque vitare potui logicam diutius tractare, quam his temporibus soleant nonnulli physici, ut illustriores redderem solutiones argumentorum. Etiam quod Augustinus agens de supremis rebus, non veretur sapientissime logicam inferere, sine qua nihil docere credit. Ad ergo rationes ejusdem divi Doctoris solvendas, quas, ut animam immortalem esse nobis probaret, in libro de Immortalitate Animæ tradidit, accingamur.

Prima sequentem seriem habet, quam in limine, ut inquit, libri salutare poteris. Adeò enim præcepit Augustinus in componendo illum libellum fuit, ut exordium nullum, ut sui moris est, ibidem dictaverit, nec rationes sic digestas, ut in aliis libris solet, considerit: sed in tantum involutas intricatasque, ut si literæ ordinem dumtaxat contemplarem, & mentem authoris velimus contemnere, quam multas non solum nullius valoris esse of-

*Augustini ra-
tiones in libel-
lo de Immor-
talitate Ani-
mae.*

tenderem, sed nec ullum ordinem argumentandi servasse facilitè deducerem. Verum cum Doctor hic Divus non explodi, sed revereri dignus sit, nullas chartas consummam, probando nullis logicæ methodis hic innixum fuisse, & soluto stylo à logicis præceptis argumentatum fuisse, quin sarciri, robora reque quoad possim ejusdem dicta, totis viribus nitar, ut omnibus dilucidum sit, si illæ adhuc in melius mutatae, nullam vim habent, quanto ergo minus, quæ minus concinnæ scriptæ leguntur: multisque, qui fortassis, vel fastidio à methodici processus Augustini, aut quod per occupationes non liceat ipsum perlegere, commentatoris munere me fungente, nonnihil profuero.

1. Series ergo primæ hæc est: Omnis vera disciplina semper est, & non nisi in anima hominis, ergo anima hominis semper est. Antecedentis major probatur: Omnibus certum est, hanc disciplinam veram semper esse, quod inter lineas innumeratas, quæ educi possunt ab unius parte circumferentiaæ circuli in aliam, illa sit major, quæ per medium circuli, hoc est, centrum ejusdem transierit, quam diametrum nominamus, ac quod adeò invariabilis sit hujusmodi doctrina, & consimiles, ut nullo discursu temporis corrumpi nec imminui valeat. Ergo major vera. Nam quod de relata assertione verè dictum est, & de quibusvis veridicis doctrinis probari potest. Minorem ergo probemus. Quicumque ratiocinatur, non corpore, sed animo ratiocinatur: ergo tam qui suscipit disciplinam animus, quam qui docet, ipse idem animus est. Item disciplina alicubi est, nusquam enim, id est, in nullo loco esse disciplina non potest, quia quicquid

est, alicubi est: & non extra nos disciplina est, ergo in nobis, & non in corpore, quia corpora anima privata, inepta sunt disciplinam suscipere, ergo in anima est disciplina. Item cum intelligimus doctrinam, quam addiscimus, vel docemus, non corpore eam percipimus, sed animo: nam ad intelligendum, non solum corpore non utimur, sed ab ipso subtrahimur, ut quod impedimento animæ intelligenti sit: ergo in ipsa, & non in corpore, est disciplina. Majore, & minore veris probatis, consequentiæ bonitatem ostendere placet, quæ sic probatur. Nihil quod semper est, potest pati subtrahi aliquando id, in quo semper est. Nam si id pateretur, quod semper est, esse desineret tunc, cum subtractum est ab eo proprium subjectum, sine quo esse non posset: sed definere esse, & semper esse implicant, quod sequeretur, si consequentia bona non esset, superest ergo illam bonam esse.

2. Secundam rationem ad literam transcribo: [Ratio profecto, aut animus est, aut in animo: melior autem ratio nostra, quam corpus nostrum: & corpus nostrum, nonnulla substantia est: & melius est esse substantiam, quam nihil: non est ergo ratio nihil.]

3. Item ratio ipsa non est harmonia ulla corporis, quæ sic inseparabiliter inest corpori, ut variatio corpore, harmonia quoque varietur, quod ab hoc alienissima est ratio. Nam quavis mutatione corpori contingente, & ratio ipsa immutabilis manet. Bis enim duo, quatuor constituunt, quod semel duo efficere non potest. Et haec ratio adeò nunc, & in æternum est, ut numquam esse non possit: ergo subjectum ejusdem, quod anima est, etiam invariabile erit, ac

ternum : nempè si subjectum variaretur , & ipsa ratio esset variabilis , ergo cùm ipsa immutabilis , & æterna sit , subjectum proprium immutabile esset testatur : ac tandem quòd semper animus vivit , si- ve ipse ratio sit , sive in eo inseparabiliter ratio .

4. Item inter animi virtutes constantia recensetur : sed ipsa immutabilis est , ergo , & animus , cui inest . Porrò ne decipiatur aliquis , putans virtutes semper operari , & quia constantia nihil efficit , sed resistit , ideo virtutem non esse nominandam , perpendere oportet , virtutes , etiam feriari nonnumquam , nec ob id virtutis nomenclaturam amittere , quòd non operantur : (Justus enim dicitur dormiens , & de justo nihil agens , ut cùm exequitur justa) non ergo immutò Constantia virtus dicitur , cùm adhuc nihil operatur : maximè quòd tam in agendo sine interpolatione , quam patiendo , Constantia dicitur .

5. Item quicquid movet cum intentione assequendi aliquem finem , non solum substantia , sed animata substantia , & non exanimis futura est : sed hujusmodi substantia invariabilis est , ac invariabiliter corpus variable movet , ergo hujusmodi movens æternum erit : & hoc est anima , ut notum est , ergo hæc incorruptibilis est . Major nota est , minor probatur . In omni motu seu actione est movens , & motum , & moventium plurima etiam moventur , ut nonnulla mota nequaquam movent , quæ invariabilia esse non possunt , ac aliquid movens immobile esse certum est : superest ergo animam potius inter agentia immobilia recensendam , quam inter ea , quæ moventur . Corpus enim , quod tardius , ac celerius movetur , ac taliter , ut in-

præterito , & in præsenti , & in futuro tempore verè dicitur moveri , & nequaquam valet præteritum temporis futuro sic conjungere , ut efficiat utrumque idem esse . Sicut nec valet corpus etiam omnes sui partes , quæ in infinitum divisibiles sunt , in unicam , indivisibilemque redigere , meritò hujusmodi corruptibile , variableque dicendum est . Ut anima invariabilis dicensa est , quæ intenta fini , quem assequi per motum conatur , simul cognoscit præteritum præsens , ac futurum : ita cognoscere animam probat , quòd non desistat ab incepto motu , cuius si omnes partes simul non novisset , nequaquam posset perficere . Possunt enim in ea , cùm agit , plura esse , puta , diversæ partes temporis intellectæ : cùm illa plura , quæ aguntur , simul esse , non possunt , ut diximus , ac esse quiddam , quod cùm movet mutabilia , non mutatur .

Non enim variabilis , & corruptibilis censendus est animus , quia contemplatur corpus motum , ejusdemque mutationem : nam hoc sequi ex illo necessarium non est , immò oppositum . Qui enim contemplatur per memoriam præterita , & expectat futura , nullo modo sine vita est , nec dum id efficit , mori potest . Etiam intentio artificis , quæ membra artificis , ac lignum , aut lapidem subdita illi , movet , immota manet , quod animæ immutabilitatem potius quam variationem testatur : ergo verum est , quòd non ex eo , quòd motui corporis sit anima intenta , corruptioni est obnoxia . Sed demus , quòd ex contemplatione corporis moti , quoquomodo moveatur animus , est ne ob id statim corruptioni , & interitui obnoxius dicendus ? Non quidem . Nam , & corpori nostro accedit sàpè mutari actionibus , vel

ætate, non tamen propter hoc, dum sic movetur, statim interiit: superest enim aliquid in corpore dum non corrumpitur, quod est, ergo animo, quem moveri concedimus, etiam aliquid superest, quod vita sempiterna dicendum est. Quis enim, ut alia omittam, rationes numerorum mutabiles esse, audeat dicere, aut artem quamlibet non ista ratione numerica constare inficiabitur, quæ animo insunt immutabili? Nullus quippè. Quia ars immutabilis de animo artificis docentis, non transit in animum discipuli addiscens: quia nemo artem doceret, nisi propriam amittendo, quod absurdum est, sed ipsa ars coæterna est animo, cui insedit, ut & ipse illi. En quintam rationem, quæ adeò difficultè collecta à me est, ut potius hario-
lando, quæ verba ex verbis, nec sententias ex sententiis transcriben-
do, dictata fuit, quam fortassis aliis aliter conficeret. Nec mirum posse esse in hujusmodi contextibus, tot sententias, quot capita, cùm, ut in exordio dixi, adeò inconcinnia fuerit phrasis hujus loci, ut cuivis liceat quod velit elicere ex ea.

Augustinus in libro Retractionum aliqua scripta in libro de quo nunc agimus retrahit.

Placuitque mihi lucubranti nunc primū invenisse, quod certè non legeram priùs, cum has Augustini rationes confidere incepi, id est, quod Augustinus primo libro Retractionum suarum, cap. 5. scripsi, cujus verba hæc sunt: [Post libros soliloquiorum jam de agro Mediolanum reversus, scripsi li-
brum de Immortalitate animæ, quem mihi quasi commonitorium esse volueram propter soliloquia terminanda, quæ imperfecta remanerant. Sed nescio quomodo, me invito, exiit in manus hominum, & inter mea opuscula nominatur: qui primo ratiocinationum

contortione atque brevitate sic obscurus est, ut fatiget cùm legitur etiam intentionem meam, vixque intelligatur à me ipso.] Iis enim perfectis Augustini verbis, facile si quem lapsum interpretando Augustinum commisero, venia concedetur: aut si quid dilucidius reddidero, quam fuerit ab authore conditum, dignus ob hunc laborem ero, ut si qua paria commissi ulla vitia, dissimulet.

6. Item cùm nos si ipsi nobiscum ratiocinantes, vel ab alio bene interrogati de quibusdam attinentibus nonnullis liberalibus artibus quædam invenimus, non alibi, quæ in nostro animo invenimus. Nam illud invenire, & scire quod priùs non noveramus non potest dici esse factum, aut genitum à nostro animo, ne quid absurdum sequatar, quod æterna gigneret animus, inveniendo temporariè: sed hæc in nostris animabus inventa æterna sunt, ergo ille æternus erit. Quid enim plus æternum, quæ circuli ratio, & quodvis aliud ejusmodi? Tandem immortalem esse animum humanum, & omnes veras rationes in secretis ejus esse, quamvis eas sive ignorance, sive obliuione, aut non habere, aut amisisse videatur, certum est. Hæc sexta ratio à Platone usurpata est, quam supra legistis, et si sub aliis verbis.

Si objicias, dicit Augustinus, mutabilem esse animum, ostendere volendo, nullam majorem dici mutationem, quæ in contraria transitum, & animum hanc pati, cùm ex stulto sapiens, aut è contra è sapiente stultus fit, ergo ipsum esse mutabilem, asseverare compellendi sumus. Respondebimus distinguendo inter animi mutationes, quæ duplices in genere sunt. Quædam secundum corporis passiones, aliæ se-

*Objicit Au-
gustinus ad-
versus suis
dicta.*

secundum proprias ipsius animæ. Primæ sunt, quæ per ætates, per morbos, per dolores, labores, offendentes, per voluptates continentur. Secundæ, quæ cupiendo, latendo, metuendo, ægredendo, studendo, discendo, proveniunt. Quo supposito, dicimus, nullis harum mutationum metuendum esse animum mortalem dici: eæ enim sic fiunt, ut in animo, qui præexistit, & subjectum earumdem est, contingent, ipso animo immobili manente, ut cum cera ex alba fit nigra, non minus est cera, quam prius. Et si ex quadrata rotundam formam sumat, & ex molli durescat, frigescatque ex calida, manet etiam cera non magis, minusvè cera, quam prius. Potest igitur aliqua mutatio fieri eorum, quæ in subjecto sunt, cum ipsa tamen juxta id, quod est, ac dicitur, non mutatur. Si enim ulla ratione suaderetur tantam mutationem fieri in animo ut in cera, quæ calore ignis in auras difflatur, evanescitque, sati persuasum esset, illum esse corruptibilem: sed cum hoc probari non possit, quod ipsum ostendimus, subesse rationi, quæ immortalis est, superest nihil valuisse objectionem, sufficienterque solutam fuisse à nobis.

Priusquam septimam rationem aggrediar, lectores monere volo, me hanc septimam rationem parum ornando, ac etiam pauxillum explicando, transcribere, quod solvendo ipsam, melius explanari à me valebit, quam arguendo, ac etiam quod non adeò inordinatae ejus sententiae sunt, ut aliarum. Est ergo illius series hæc, si rationem semper comitem esse animi ostenderimus, de ejusdem immortalitate nullus dubitare valebit: sed hoc definiendo rationem efficiemus, ergo eam finire expedit. Sunt

Tom. I.

ergo ejus hæc definitiones: [Ratio est aspectus animi, quo per seipsum non per corpus verum intuetur, aut ipsa veri contemplatio non per corpus: aut ipsum verum quod contemplatur: si ratio primum illud est, eam in animo esse nemo ambiget. De secundo, & tertio quæstio esse potest. Sed, & secundum sine animo esse non potest, nam actus contemplationis sine animo contemplante esse nullo modo valet. De tertio ergo tota quæstio est, utrum verum illud, quod rationem nominamus, quod etiam sine instrumento corporis animus intuetur, sit per seipsum, & non sit in animo, aut posset esse sine animo. Quod quocumque modo se habeat, non id posse contemplari animus per seipsum, nisi aliqua conjunctio cum re ipsa contemplata fieret. Nam omne quod contemplatur, sive cogitatione capimus, aut sensu, aut intellectu capimus: sed ea, quæ sensu capiuntur, extra etiam nos esse sentiuntur, & locis continentur, unde nec percipi quidem posse affirmantur. Secùs de iis, quæ intelliguntur, quæ non quasi alibi posita intelliguntur, quam ipse, qui intelligit animus, simul enim etiam intelliguntur, & nullo contenta loco. Quare ista conjunctio intuentis animi, & ejus veri quod intuetur, aut ita est, ut subjectum sit animus intuens verum, & illud in animo velut in subjecto, aut è contra subjectum verum, & in subjecto illo animus, aut utrumque substantia. Horum autem trium si primum est, tam est immortalis animus, quam ratio secundum superiorem disputationem, quod inesse illa nisi vivo non potest. Eadem necessitas in secundo. Nam si verum illud quod ratio dicitur, nihil habet commutabile sicut apparent, nihil commutari po-

terit quod in eo tamquam in subiecto est, restat ergo omnis pugna, ac dubitatio de tertio. Nam si animus substantia est, & substantia hæc rationi, quæ altera substantia esse supponebatur, conjungeretur, non absurdè quis putare poterit, ut manente illa, hic esse desinat. Sed manifestum est, quamdiu animus à ratione non separatur, eique cohaeret, necessariò eum manere, ac vivere, separari autem qua tandem vi potest? Num corporea, cuius, & potentia infirmior, & origo inferior, & ordo separatori? Nullo modo. Animali ergo? Sed etiam id quomodo? An aliter animus potentior quisquis est, contemplari rationem non potest, nisi alterum inde separaverit? At neque ratio cuiquam contemplanti defuerit, si omnes contemplentur, quod testatur nihil se junxisse potuisse rationem ab animo: & cum nihil sit ipsa ratione potentius, quo nihil est incommutabilius, nullo pacto erit animus nondum rationi conjunctus, ut animalis bruti, eo qui est conjunctus potentior, restat ut aut ipsa ratio à se animum protrudat, separetque, aut quod ipse animus ab ipsa ratione voluntate separetur. Sed nihil est in illa natura invidentiae quominus fruendam se animo præbeat, superest ergo nullo modo separari animum à ratione æterna posse, indeque necesse esse, ipsum æternum fore.]

Non parum prolixè Augustinus roborat aliis rationibus, quod si animus rationi conjungatur, ipse necessariò sit immortalis. Etiam fùsè respondet iterum objectioni, qua videtur probari animus interire posse, quod stultitia corripiatur, ubi fatetur, quod animus per insipientiam tendit ad nihilum, & tamen negat, quod sequatur inde inferri, ipsum in nihilum redigen-

dum, exemplo corporum, quæ subtrahendo ab ipsis partes proportionales divisas proportione dupla, semper fiunt minora, ac minora, indeque imperfectiora (quod roborat nostram sententiam testantem corpora quanto perfectiora tanto magis composita) & semper sic subtrahendo, in nihilum numquam vertuntur, quia semper manet pars, quæ subtrahi possit. Diviso enim bipedali corpore in duas semipedalitates, & altera sublata, adhuc manet pedalitas: quæ si iterum secatur in duas semipedalitates, quamvis altera auferatur, alia semipedalitas supereft, quæ dividi in duas quartas pedalitates valet, & sic in infinitum progredi valemus. Undè infert sic animo contingere posse, quod per stultitiam dematur ab eo aliquid, & quod non ob id in nihilum redigatur ipse. Alio quoque exemplo corporis putat probare, quod nec animus factus semper, & semper imperfectior in sua specie, non quantitatem amittendo, ut exemplum relatum de corpore ostendebat, sed speciem imminuendo, ut si corpus pulchrum speciei partem deperderet subinde, ac subinde, ut reddeatur imperfectius, & imperfectius, ob hoc in nihilum non redigatur. Rationemque hujus assignans dicit, quia corpora quamvis perfectionem amittant, cùm in alia transiunt, uno scilicet, corpore corrupto, & alio inde genito, non tamen in nihilum rediguntur ipsa, sed semper manent corpora.

Octava ratio elicetur ex fine præteritæ septimæ. Si corpus, quod animo multo variabilius est, permanere semper potest, ut probavimus, ergo animus semper permanebit. Consequentia est manifesta. Quia nemo tam devius à ratione est, cui non sit certum

corpore animum esse meliorem.

Item ea , quæ vivunt , possunt desinere esse , quia id , quo vivunt , ea deserit : sed anima , quæ vita est , non potest se deserere , ergo ipsa semper est. Nam vitam esse temperationem ullam quatuor qualitatum nemo nisi stultus dicet , cum ipsa vita per animum consistat , qui diutinus , sempiternus , invariabilis que est , sempiternas illas intelligentias contemplans , quibus miro modo conjungitur , à quibus , vel ipse pendet , quæ cùm semper sint , in æternum eum servabunt. Vel si tantum à seipso pendere dicatur , cùm seipsum deserere non possit , numquam esse desinet.

Decima ratio de verbo ad verbum transcribo. Omnis essentia non ob aliud essentia est , nisi quia est , esse autem non habet contrarium , nisi non esse : undè nihil est essentiæ contrarium , nullo modo igitur res ulla esse potest contraria illi substantiæ , quæ maximè , ac primitus est , ex qua si habet animus id ipsum quod est , non enim aliundè hoc habere potest , quòd ex se non habet , nisi ab illa re , quæ illo ipso est animo præstantior , nulla res est , qua id amittat , quia nulla res ei rei est contraria , qua id habet , & propterea esse non definit. Sapientia verò , quia conversionem habet ad id , ex quo est , aversione illam potest amittere , conversioni namque aversio contraria est. Illud verò , quod ex eo habet , cui nulla res est contraria , non est unde possit amittere , non igitur potest interire.

Post relatas rationes solvit objectionem , quam suspicatur objici sibi à nonnullo posse , putà , quòd etsi verum , & benè à se probatum supersit , ut ipse credidit , quòd animus non possit interire , tamen quòd posset in corpus converti.

Quod non posse fieri quibusdam rationibus probat , quibus claudit librum , mihi non parum molestum : nec mirum , qui parentem defatigaverit , eos , qui nulla propinquitate conjuncti sumus , gravasse.

Auspicaturus dissolvere relatos Augustini nodos , hoc unum omnes lectors sciatis , cupio , quòd ego nullum laborem , nec tempus , essem consumpturus in hujusmodi cavillis solvendis , quòd credam , paucos peritos Dialecticæ , non eos facillimè extricare posse , nisi vererer auctoritate scriptoris aliquos adeò irretitos fuisse , ut non verba , sed authorem pensando , jam omnimodam fidem illis rationibus ab eis tributam. Cujus conclusiones , quas fide veras esse scimus , impertinentibus sermonibus non plus scibiles Augustinus reddidit , quam ante duæ rationes sterterant. Et cum has solvo , me unum ex ethnici fingo , negans aliqua (quæ fide luce clariora vera esse scio) quòd imbecilla probatio ne fulta sint.

Sit ergo primæ rationis solutio , qua potissima pars suorum argumentorum refringetur , negare maiorem. Non enim verum est , omnem disciplinam humanam semper esse , quin sua contraria est vera : Nulla disciplina humana semper est. Nam sive disciplina sit habitus ullus scientificus distinctus ab ipsa anima genitus ex multis actibus discipuli audientis magistrum , seu quidam modus animæ non distinctus ab eadem realiter plusquam sessio à sedente , sive sit ipsamet anima , horum nullum semper esse fatebitur adversus , imò jam quòd dum homo vivit , concessisset , quòd durasset disciplina illius , corrupta anima ipsam abolendam dicet. Nec ratio , quæ Augustinum hic & per totum hunc libellum decepit , ullius

valoris est, putà finitiones rerum esse perpetuas, ut quòd illa linea dicatur in circulo diameter, quæ una parte circumferentia circuli in aliam porrigitur per centrum transiendo, & aliæ ejusdem sortis, quòd illa assertio distingueda est. Nam aut in hoc sensu dicitur perpetuas esse rerum finitiones, ut hoc significetur per hanc assertionem, quòd semper cùm fuerint illæ propositiones, quæ definitiones bona sunt, sive in mente, seu in voce, aut in scripto, veræ erunt: & quòd si in æternum durasset quævis illarum, in æternum verum esset, quod per eas significatur, scilicet, si diameter circuli fuerit, linea transiens per centrum erit. Et si homo fuerit, animal rationale erit: & si linea recta super lineam rectam sitam in perfectè plano ceciderit, duo anguli recti sient, ac alia infinita hujus generis. Et in relato sensu concedetur assertio, ut verissima suppositio, qua nequaquam probatur propositiones illas mentales, quæ finitiones appellantur, & disciplina etiam dicuntur, quòd à magistris in plurimum docentur (de his enim Augustinus loquitur) plus durare, quam homo illas sciens, quas statim perire cum homo moritur dicet adversus, attestans indoctè colligi ex assertione unius conditionalis necessariæ, etiam antecedentis & consequentis necessitas. Nam etsi vera & necessaria hæc sit, si brutum est, animal irrationale est, non tamen verum nec necessarium est antecedens, putà, brutum est: nec consequens, animal irrationale est. Potest enim nullum brutum esse, quando nec ullum animal irrationale erit. Conditionalis enim ob id dicitur necessaria, quia connexio antecedentis ad consequens, est necessaria, & non quia antecedens, aut conse-

quens necessaria sint. Verùm si in alio sensu finitiones perpetuæ esse dicantur, scilicet, quòd illæ semper sint, & definere esse non possint, ut falsissima ab adversis inficiabitur talis propositio, ut dictum est. Quod probandum esset, ut aliquam vim ratio Augustini haberet, & ille obtinuisse, quod nitebatur, diceretur. Nolo immorari, discutiendo an sufficienter minorem probet Augustinus, ne cogar Logicam plus justo hoc in loco tractare: sufficit enim in forma ad argumentum respondendo, negare consequens, ut antecedentis majorem.

Secundum argumentum per quam imbecillum est, quod paucioribus, quam possim verbis solvam. In solutione enim aliorum nonnulla, quæ tangit hoc, prolixius explicabuntur. Dicet ergo adversus, se concedere animum corpore multò præstantiorem esse, & corpus quoque substantiam esse testabitur, indeque consequens concedet, rationem non esse nihil, sed aliquid. Sed nec ex eo, quòd ratio est aliquid, sequitur ipsam esse incorruptibilem, sive sit ipse animus, sive vis animi, ut non sequitur, quia lapis, aut vitis, aut ferrum sunt aliquid, incorruptibilia illa esse. Transcripsi ad literam hanc rationem, ne si verba mutarem, ullus suspicaretur, non esse possibile tam fragili argumento usum fuisse Augustinum.

In tertia ratione ea æquivocatione perpetui decipit, qua in prima. Non enim improbat sufficienter eos, qui dixissent, animum esse harmoniam, per id, quòd finitio illa, bis duo sunt quatuor, concepta in animo, perpetua sit, nam hoc antecedens negasset adversus, in sensu, quem facere tenetur, ut consequentia bona sit, putà, quòd ille

con-

conceptus , qui finitio dicitur , sit perpetuus , sive ipse sit anima , sive quid inens animæ , imò corruptibilem esse proterviet , & nec dum corruptibilem ad corruptionem animæ concipientis , sed ipsa adhuc manente , millies etiam corruptioni fieri obnoxium , putà , cùm nonnullis diversis rebus intentus animus obliviscitur finitionum & nonnullarum methodorum perpetuarum . Dicuntur enim hæc perpetua , ut supra dixi , non ob aliam causam , quam quòd quivis animus ratiocinans ea concipiens , certus est , quòd si illa res concepta fuerit , talis erit , ut concepta est , & impossibile sit in æternum aliter eam se habere , quam se habet .

Quartam rationem fragillimam esse ostendunt consequentiæ consimiles illi , quam Augustinus retulit , quæ malæ sunt , scilicet , animus corruptionem intelligit , ergo ipse corruptibilis est . Ac alia : Animus vicio inconstantiæ affectus est , ergo ipse ut inconstans corruptionem pati poterit . Futuras has illationes bonas ex assertis ab Augustino planum est , quòd prima à simili , secunda à contrario sensu valere debent . Qui enim major defectus inter colligendam rationem committi potest , quæ ex perseverantia hominis in actibus virtutis , inferre animi perseverantis perpetuitatem ? Eadem enim ratione elice-re licebit terrenæ perennitatem , quòd dum movetur , semper in centrum tendit .

Quintæ rationis minorem negabit adversus , putà substantiam moventem corpus , invariabilem esse , quin peti principium ab Augustino in primis dicet , cum supponi substantiam aliquam per se existentem distinctam à corpore , motricem corporis esse , quod probare tenebatur Augustinus . Adversus enim

negat esse animam quid potens per se existere , plusquam arboris , aut alicujus alterius misti forma . Etiam minoris probationem futilem esse quoque testabitur , quòd per ipsam ne dumtaxat rationalis anima æterna esse probatur , sed brutalis quoque , si , ut Augustinus opinatus est , bruta sentirent , cum hæc propter finem moveantur , & à motu incepto non desistant . Ultimò quoque eam suppositionem , quam ut demonstratam ab Aristotele in ultimis libris Physicorum , & in duodecimo Metaphysices supponit , putà esse aliquid movens immobile , negabit impius , quam non parum periti Theologi fide credendam censem , & evidenti ratione demonstrari posse negant . De quibus non plura , ne tot chartas inter respondendum cassis rationibus absumam , quot inter argendum Augustinus perdidit .

Sextæ rationis solutio eadem est , quæ quartæ Platonis . Fatemur nempè ex natura nostrorum animorum accidere assentiri interrogatis indubitatis : non quòd priùs illa sciverimus , sed quòd , ut dixi , non simus liberi , non assentiri veris , plusquam lapis non ferri deorsum . Nec Augustini probatio ullius valoris est , sequi scilicet , si nos ipsi illam scientiam gigneremus , qua carebamus , animum nostrum æterna gignere : quòd scientia illa assentiens definitionibus & principiis complexis æterna sit . Non enim , ut sæpè supra diximus , scientia illa est æterna in hoc sensu , quòd incorruptibilis sit entitas , quæ scientia dicitur , imò & ad corruptionem illius quod appellatur subjectum , si illud corruptibile esset , corrumperetur , & etiam eo persistente , non raro oblivione delitescit . Dicitur nempè æterna scientia in eo sensu , quem dixi , quòd

fem-

semper , sive in æternum , aut perpetuò ita erit si res scitæ fuerint , ut conceptæ sunt : & hoc genus æternitatis ab anima gigni potest , quæ sciendo aliter se habet , quam prius , ubi illum modum se habendi scientificum , quo carebat , gignit , in sensu , in quo dicimus figuram gigni à sigillo .

Insufficienter quoque Augustinus dissolvit objectionem , quam sibi ipsi opposuit . Dicet enim adversus , non minùs sufficienter probari animæ corruptionem , quam ceræ , quæ difflatur : ut enim post difflationem nusquam apparet cera , sic animus , post interitum animalis , nullis effectibus propriis sentitur .

Septimam rationem solvendo , oportet cavere lectoribus , ne æquivatione nominis hujus , ratio , decipiantur , quod Augustinus in hoc libello nonnumquam definitionem vocat rationem , ut cùm dixit , ratio circuli perpetuò est . Cùm in præsenti loco ipsam vim animi rationem appellitet in prima finitione rationis , in secunda ipsum actum contemplationis veri , in tertia objectum ipsum intellectus , scilicet , veritatem ipsam , rationem dicit esse . Et cùm veritas etiam æquivalence dicatur , & de rebus , quæ veræ sunt , quas intellectus intelligit , putà singularia (non enim ego opinor intellectum singularia non concipere , ut supra probavi , pag . 60 .) & de propositionibus de ea veritate loquitur Augustinus , quæ mentalis propositio vera est , cum dicit rationem dici posse verum , quod contemplatur . Ex tribus his finitionibus usitatores , prima & tertia sunt . Dicimus enim hominem aliquem pollere acuitate rationis : ubi rationem tunc vocamus facultatem intelligendi acrem . Et dicimus quoque invénisse rationem , id est , ve-

ritatem mentalem , quam prius non noveramus . Quo habito , sciendum in primis , argumentum Augustini fragile esse , quia ut notissimum supponit quoddam decretum ethnico omnino contrarium , scilicet , si vis animi ratio sit , ipsum perpetuum esse id enim pertinax inficiabitur , credens ipsam vim animi delebilem esse ad animi interitum . Tertium etiam membrum , putà , quòd ratio sit verum cognitum , numquam ab animo se junctum , unde putat inferendum , necessariò animum immortalem esse , quia ratio sit perpetua , fragile est , & falsis dogmatibus innitens . Docet enim sensum extra misso cognosci , quæ extra nos sunt , ideoque illa non percipi , id est , non intus recipi , animo autem , quæ intra sunt , cognosci , innuens phantasmatum ab intellectu cognosci , ignarus ejus doctrinæ , quam supra veram esse probavimus , phantasmibus , scilicet affici mentem , ut cognoscat , quæ absunt , sive sint , quæ noscuntur in rerum natura , seu non , itaque quod cognoscitur , exterior res est , & non ipsa phantasmatata . Noscens enim per intellectum diametri circuli definitionem , putà lineam transuntem per centrum ex altera parte circunferentiae circuli in aliam , nihil aliud noscit , quam lineam , cui relata accident , quæ extra animum esse singitur , & non intra , cum intra locum circumscripsum à circulo concipiatur diameter , animo nullum locum talem occupante . Ex quo clare elicetur , illam trimembrem divisionem animi & veri conspecti , cassam esse : nam animus non est subjectum rationis , seu veritatis cognitæ , sed cognitor illius . Nec verum , seu ratio est subjectum animi , quia res vera , quæ animus non est , extra animum est . Et animus , & verum subsistens , quod noscitur ,

tur, substantiæ sunt: intelligens enim substantia est, ut quacumque res intellecta potens per se existere, quæ fermè semper sejunctæ sunt, unde animo immortalitas propter coniunctionem illius veri suboriri non valet. Nec tanti valoris essent, dicet adversus, entia infra concavum orbis Lunæ, quod etsi semper dum animus est, adescent illa vera animo, ut cognita ab eodem per propriam definitionem, quæ tunc veritas dicerentur, potuissent animum à mortalitate vindicare, cum corpus humanum sèpè intelligatur ab ipsa anima, ut definitione sua comprehenditur; quod tunc verum, seu ratio nominandum est, & tamen immortalem non reddit animum, ut impius credit.

*Objectiones
Augustini nō
nullæ frivole
sunt, ut bic
affertur.*

Multis quoque frivilis argumentis, quæ objici sibi docenti imperitinentia poterant, respondit, quorum aliqua tangam, potius, ut Augustini contextum explicem, quam quod ulla alia utilitas hinc excipi possit. Dicit ergo certum esse, nihil posse separare animum à ratione, hoc est, à verò: nisi quis suspicetur, quod aliqua corporeæ vi, aut animali hæc sejunctio fieri possit. Sed primum impossibile esse ostendit, quia vis corporeæ inferior sit animi vi. Secundum non minus difficilè esse, sic roborat. Nam si quicumque animus rationalis potentior, quam alius animus, qui est conjunctus rationi, contemplari rationem, sive veritatem aliter non posset, nisi alterum animum conjunctum veritati separavisset prius: verosimile esset, posse animum separari à ratione, seu veritate, indeque interire; sed cum hoc numquam accidat, quod experimur nullo in tempore rationem deesse quibusvis contemplantibus, quamvis omnes homines si-

Tom. I.

mul veritatem unicam contemplarentur: quod non fieret, si qui aliquam veritatem contemplatur, ab animo alterius eam surripuisse: ergo animus noster ab æterna veritate nullo modo separari poterit, nec interire. Pertimescere enim quodvis animi bruti ratio separetur ex animo humano, delirium est: nullo enim pacto erit animus nondum rationi conjunctus, ut animalis bruti animus, eo, qui est conjunctus potentior. Hæc sunt pars objectionum Augustini adversus se, quæ, ut dixi, per quam impertinentes sunt: quia parum supra probatum mansit, animum sejunctum esse à ratione, de qua ibi Augustinus loquitur, à veritate scilicet, quæ verè est in rebus, aut (ut clarius loquar) ipsæ res, cum intellectus eam quamvis absentem propriavi & affectione phantasmatum cognoscit. Sed quamquam confiteamur rationem, id est, veritatem conjunctam esse animo, quam etiam ipsi Augustino, ut fragilitas suorum argumentorum pateat, æternam esse desmus, nihil inde elicere poterat ad probandum animi immortalitatem. Satis enim fide compertum nobis est, animalm rationalem immortalē esse, quæ corpori, ut forma substantialis ejus inharet: & nec ob id, à corruptione corpus libera-re valet, cum ipsa præsente, multæ pantes animatae actione caloris naturalis in halitum, seu vaporem, dum vivit homo, diffentur.

Ulterius, in hæc eadem ratione, ut legitim, respondens Augustinus cuidam objectioni, qua etiam videbatur animus mortalis probari, per hoc quod stultus fieret, concedit animum per insipientiam tendere ad nihilum, quod aliter verum esse non potest, cum substantia animi nec ulla alia sit intensibilis & remissibilis, nisi metaphorice. Et

Hh

etiam

etiam minus decenter eandem ob-
jectionem solvit similitudine cor-
poris divisi in partes proportiona-
les: quia etsi auferendo partem post
partem semper aliquid corporis
superficit, non tamen si abjiciantur
dispositiones conservatrices entis
corporei universum corpus à cor-
ruptione vindicaretur: ut nec ani-
mata res, nec suus animus, qui for-
ma est, mori desineret, contrariis
dispositionibus suæ conservationi
introductis, si, ut impius credit,
animus æternus non esset. Ulti-
mum quoque ibi à beato Augusti-
no assertum, putà, quòd corpus
numquam deperdatur, nec cor-
rumpatur, quia semper ex altero
alterum fiat, non aliud asseverat,
nisi quòd semper genus corporis
manet, individuis continuò cor-
ruptis, ad cuius similitudinem singuli
animi corruptibles essent, ge-
nere animorum semper manente.
Quæ similitudo omnino roborasset
impii opinionem. Hæc sunt, quæ
in hac prolixa ratione dicenda &
explicanda à nobis visa fuere.

Octava ratio soluta superest ex
fine solutionis septimæ. Corpus e-
nim, ut dixi, non manet idem nu-
mero, sed specie, quod accidere
animo adversus non inficiatur. Vi-
gorosius argumentum fuisset, consi-
pici corpus incorruptibile, putà
cælum, unde esse animus incorrup-
tibilis videtur: quamvis leviter
etiam solvi ab adverso posset ne-
gando esse æquam collationem,
quia confertur cælum, quod est
ens per se subsistens, animæ, quæ
dicitur pars essentialis entis per se
subsistentis. Nec objici iterum pos-
set de forma cæli, quæ est perpet-
ua, quòd cælum simplex corpus
sit, nullam dispositionem corrupti-
bilem, qua asseretur, admittens.

Nona ratione non solum proba-
retur animæ rationalis immortalis

tas, sed etiam animæ plantæ & bru-
ti consimili ratione Augustini, sic
argumentando. Anima, quæ vita
piri, vel bruti est, non potest se de-
ferere, ergo ipsa semper est. Si
enim negaveris antecedens hujus
consequentiæ, etiam adversus ne-
gabit antecedens alterius: si con-
cesseris, & negaveris consequen-
tiæ, idem adversus in Augustini
consequencia efficiet: tu ergo, qui
soluturus es adversi parenculum,
solye Augustini.

Decima ratione non tantum
plantarum immortalitas probatur,
sed & inanimateorum. Quia omnis
res pendet & conservatur ab illa
substantia, quæ maximè & pri-
mitus est, qui Deus nominatur, &
est.

Objectio, quam sibi objicit, de
conversione animi in corpus, hanc
fictionem, ut possibilem, supponit,
putà, quòd animus constituantur ex
diversis substantiis per ordinem
prædicamenti substantiæ digestis,
ita quòd sit substantia simpliciter,
cui superadditur alia substantia in-
corporea, quæ possit amitti, & lo-
co illius succedere substantia cor-
poreæ: quæ omnia quæ mera
nugas esse, non est iste locus dis-
ceptrationi huic aptus. Etiam nos-
trum superreditur institutum, qui
tantum ostendere argumenta Au-
gustini ad probandum animæ im-
mortalitatem cassa esse promissemus.
De decreto ergo Augustini in
præsenti libello, hæc tractata
sint, nam si alibi non nihil de hoc
negotio scripsit, illud in præsen-
tiarum mittimus. Unum tamen lec-
tores non ignoretis cupio, divum
Augustinum nondum baptizatum
fuisse, quando libellum relatum
condidit, quantum ego ex libro
primo Retractionum, cap. 5. &
6. colligere possum, unde nimurum
spiritum illum deesse tunc sibi, quo
pos-

postea tam multa , ac tam ardua,
& adeò piissima confecit opera.

Averrois
rationes.

Collecturus potiores Averrois rationes , quas ille explicans Aristotelem 3. de Anima condidit , putans ipsis abunde probari animi immortalitatem , omnibus comperatum esse desidero , Averroim commentatorem antonomaticè appellatum , fuisse hominem adeò crassæ , ac confusæ Minervæ , quod si ejus commentarynes in hoc tertio de Anima exacto examini subjicerentur , universæ fermè non solum non planè explicantes Aristotelis contextum , sed adhuc vera principis Peripateticorum dogmata falsis sententijs commutantes reperirentur . Est enim adeò inepta ejus expositiō (ni mea ruditas me decipit) ut potius Aristotelis sententias caliget , quam illustret , hebetet , quam acres reddat , offuscet , quam nitidas faciat . Quæ omnia (meam conscientiam testor) nullo odio in virum hunc à me dicta fuisse , sed ut vitent ab hujus authoris lectio- ne eos , qui fidem nostris dictis derident , ac bonas horas in aliis legendis & exponendis authoribus consumant , ex tot , quot , hac tempestate florent , & non in illo , à quo nullum emolumentum sunt excerpturi , etiam ut omnes intelligent parphrases quasdam ejus , quæ anno præterito 1552. per Juntas excusæ sunt , non in alium usum contulisse , nisi ut apertiora mendacia pateant , quam ante cùm nec ipse se intellexisse ex litera vetusta colligi poterat . Non enim de ejus imperitia periculum in expositione Aristotelis tantum feci , verum in libello medico , cui titulus est , colligit Averrois , ubi manifestè dignoscitur perspicacibus ingeniiis hujus authoris ruditas .

Prima ergo Averrois ratio est , quæ elicitur ex comment. 4. tertii

Tom. I.

de Anima , cujus literæ series , quæ parum infra principium commenti legitur , hæc est : [Sed modò considerandum est in his propositionibus , quibus Aristoteles declaravit hæc duo de intellectu , scilicet ipsum esse in genere virtutum passivarum , & ipsum esse non transmutable : quia nec est corpus , neque virtus in corpore : nam hæc duo sunt principium omnium , quæ dicuntur de intellectu . Et sicut Plato dieit , maximus sermo debet esse in principio , minimus enim error in principio , est causa maximi erroris in fine , sicut dicit Aristot. Dicamus igitur quoniam , cùm formare per intellectum est aliquo modo de virtutibus receptivis , sicut est de virtute sensus , manifestum est ex hoc . Virtutes enim passivæ sunt mobiles ab eo , cui attribuuntur , activæ autem & movent illud , cui attribuuntur . Et quia res non movet nisi secundum quod est in actu , & movetur secundum quod est in potentia , necesse est inquantum rerum formæ sunt in actu extra animam , ut moveant animam rationalem secundum quod comprehendit eas : quemadmodum sensibilia inquantum sunt entia in actu , necesse est , ut moveant sensus , id est , ut sensus moveantur ab eis . Et ideo anima rationalis indiget considerare intentiones , quæ sunt in virtute imaginativa , sicut sensus indiget inspicere sensibilia . Sed tamen videtur , quod formæ rerum extrinsecarum movent hanc virtutem : ita quod mens aufert eas à materiis , & facit , eas primò intellectas in actu , postquam erant intellecta in potentia . Et hoc modo videtur , quod ista anima est activa , non passiva . Secundum igitur , quod intellecta movent eam est passiva , & secundum quod moventur ab ea , est activa : & ideo dicit

Hh 2

Aris-

Aristot. post, quod necesse est ponere in anima rationali has duas differentias, scilicet, virtutem actionis, & virtutem passionis. Et dicit aperte, quod utraque pars ejus est neque generabilis, neque corruptibilis, ut postea apparebit. Sed hic incipit notificare substantiam virtutis passivæ, cum hoc sit necesse in doctrina. Ex hoc igitur declaratur, quod hæc differentia, scilicet, passionis, & receptionis, existit in virtute rationali. Quod autem substantia recipiens has formas, necesse est, ut non sit corpus, nec virtus in corpore: manifestum est ex propositionibus, quibus Aristot. usus est in hoc sermone, quorum una est, quod ista substantia recipit omnes formas materiales, & hoc notum est de hoc intellectu. Secunda autem est, quod omne recipiens aliquod, necesse est, ut sit denudatum à natura recepti, & ut sua substantia non sit substantia recepti in specie. Si enim recipiens esset de natura recepti, tunc res recipere se, & tunc movens esset motum: unde necesse est, ut sensus recipiens colorem, careat colore, & recipiens sonum, careat sono. Et hæc propositio est vera, & sine dubio: & ex his duabus sequitur, quod ista substantia, quæ dicitur intellectus materialis, nullam habeat in sua natura de formis materialibus ipsis. Et quia formæ materiales sunt, aut corpus, aut formæ in corpore, manifestum est, quod ista substantia, quæ dicitur intellectus materialis, non est corpus, neque forma in corpore, est igitur non mixtum cum materia omnino.] Placuit ducere universum hunc contextum, ut hoc tantum, qui dilucidior multò aliis est, lector intelligat, quales reliqui sint, & ut possim ego aptè cum Vergiliiano Aenea narrante Siaonis dolos dicere: [Accipe nunc

demum in fidias, & criminis ab uno, disce omnes.]

Ex hoc ergo contextu ratio sequens elicetur, duo supponendo, quorum primum sit, virtutes, quæ passivæ appellantur (etsi impropriè aptitudo ad passionem virtus, aut facultas dicatur, cùm hæc nomina potius ad significandas vires agentium, quam imbecillitatem patientium inventa sint) moveri ab agente nato eas mouere, ut facultates motrices movent passa, in quæ proportionem activitatis habent. Et quod hæc priores, putæ, passivæ facultates, in potentia ad recipientium actum agentis sunt, ut posteriores, scilicet, activæ, in actu sunt.

Secundò supponit, necesse esse intellectum inquantum recipit formas, quas intelligit, dotari facultate passiva, ut sensus, qui sentit, patitur ab objecto sensato, sed cùm intelligibilia non actu talia sint, ut sic possint immutare, ut sensibilia, necessum fuit esse intellectum agentem, qui ea, quæ sunt potentia intelligibilia, actu intelligibilia efficeret.

Quibus fundamentis jactis, sic argumentatur: Intellectus recipiens omnes formas materiales necessariò debet esse denudatus ab eisdem, cùm omne recipiens expers futurum est naturæ recepti, alias idem recipere se. Oculus enim videns, expers omnis coloris est, ut auditus ab omni sono etiam nudatur: ergo intellectus intelligens formas materiales immaterialis futurus est. Ac ulterius, formæ materiales sunt corpus, aut insunt corpori, ergo substantia appellata intellectus, non erit corpus, nec res inens corpori. Et post hanc rationem, quamdam quasi replicam, & roborationem antecedentium posuit, de qua post solutam relatam rationem statim agemus.

Auspicemur ergo solvere rationem hanc, supposito, quod illa fundamenta, quae jacta fuerunt, essent vera: ac primò negetur illa prior consequentia, recipiens denudatum esse debet à natura recepti, ergo intellectus intelligens formas materiales, immaterialis futurus est. Rationemque negationis multiplicem esse ostendamus. Prima, quod si formae materiales appellatae, inducenda essent in intellectum intelligentem eas, in sensu statim dicendo, bona consequentia esset. Si enim ad intelligendam formam ignis, aut lapidis, aut alterius rei quantæ, necessum esset intellectum esse ignem, aut lapidem, seu formam ejus, & induci in intellectum relatas formas, quām optima consequentia esset, quod nullum illorum reciperet intellectus, si ipse intellectus, ea intelligens, futurus erat illa, ut qui opinabantur simile simili cognosci. Verum si non quævis intellecta intellectus futurus erat, ut certum est, & Arist. 3. de Anima, text. comment. 37. dixit, sed tantum quibusdam accidentibus ducentibus in cognitionem rei intellectæ, immutandus esset intellectus, ut intelligeret, ut sensus cum sentit, non video unde necesse esset illum incorporeum futurum per hanc rationem Averrois.

Secundò, quod similitudine illa sensus exterioris, scilicet, visus, non suadetur, quod si intellectus esset materialis, non cognosceret materialia, quin oppositum, putà, quod omnia, quæ ipse intelligeret, deberent apparere materialia. Nam ut oculus viridi perfusus colore per mōrbum, omnia existimat esse viridia, et si vapore sanguineo oppletur, omnia quæ cernit, putat esse rubea, ergo intellectus materialis omnia opinaretur esse mate-

rialia ex ratione Averrois.

Tertiò, illa commentatoris ratione immaterialia non esset percepturus intellectus. Consequentia probatur. Quia si denudatum futurum est à natura rei intellectæ intellectus, cum ipse immaterialis sit, angelos, & animas separatas, ac tandem immaterialia omnia non esset percepturus. Puto hæc sufficere ad ostendendum malitiam consequentiæ: & hac improbari dimissa, examinemus veritatem suppositionum.

Prima tñmpè suppositio nihil, quod verum non sit, exprimit, nisi in ultimis verbis, si in rigore intelligentur. Legitur enim ibi, quod vires activæ in actu sint: quæ si hunc sensum efficiant, quod actu semper facultates activæ agunt, falsum esset. Nam vis activa ignis quantumvis valida, non semper agit, aut cum passum in totum simile sibi redigit, vel cum adeò rebelle actioni est, ut nihil possit in illum imprimere. Verum si non hunc sensum verba relata efficiant, sed quod facultates activæ sint in actu, id est, nihil ut agant, appetant, quām passa sibi dissimilia minoris resistentiæ, quām illa sint activitatis, certum, ac indubitatum proferunt.

Secundum tamen suppositum perquām falsum est: quia deceptus fuit Averrois, & fermè omnes usque in hodiernam diem, qui credidere id quod intelligitur, necessariò immutaturum esse facultatem intellectricem, ut quod sentitur, afficit vim sensitricem, illaque similitudo causa erroris omnis fuit, ut ex antecedentibus patet. Quippè omnes neverunt, multa sentiri, quæ in nobis sentientibus nihil inferunt: ac quod illa, quæ vère intelligibilia sunt, cognitis antecedentibus intelligantur, ipsis, quæ intelliguntur,

tur, nihil inferentibus in intellectum, nisi natura animæ tali existente, quod non possit antecedentibus cognitis, non sic se habere, ut conclusionem auditam non cognoscat, nulla re, præter antecedens, concurrente ad conclusionis cognitionem, sed tantum animam taliter tunc se habentem post cognitas præmissas, qualiter non se habebat, dici cognitionem conclusionis, & cognoscens, ut lapis ab alto cadens, sursum resiliens, resilit, quia ab alto ceciderat, & dicitur resiliens, & resilius. Cognitum autem, aut rem extrinsecam esse in veris intellectionibus, aut rem fictam in falsis, & deceptoribus Intellectionibus quoque dicimus, quod, ut supra dixi, causa est, ut non sit bona illatio, aliquid est cognitum, ergo est. A propositione de tertio adjacente, ad propositionem de secundo, quia arguitur ibi à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Esse enim cognitum, est, sicut esse pictum. Et ut non sequitur, pro avus meus est pictus, ergo est, ita non sequitur, est quid cognitum, ergo est. Oportet relatum decretum, etsi saepius dictum sit, iterum dici, & memoriae committi, quod omnium errorum, tam de universalibus, quam de intellectu agente, & possibili origo, fons, & ortus ignorantia hujus placiti fuit. His, ut opinamur, sufficienter dictis, & ratione, ac suppositionibus Averrois decenter impugnatis, superest vim roborationis quoque hujus rationis ostendere invalidam, ac cassam esse. Roboratio haec erat: [Et debes scire, quod illud, quod dedit hoc, necessariò est, quia ista substantia est. Et quia recipiens formas rerum materialium, vel materiales, non habet in se formam materiam, scilicet, compositam ex ma-

teria, & forma. Et nec est etiam aliqua forma formatum materialium. Formæ enim materiales non sunt separabiles, neque est etiam ex formis primis simplicibus. Illæ enim non sunt separabiles, & non recipiunt formas nisi diversas, & secundum quod sunt intellecta in potentia, non in actu. Est igitur aliud ens à forma, & materia, & congregato ex his.]

Quis patietur ulterius progredi in lectione hujus Authoris post perfectam hanc roborationem, quæ omnibus aliis commentis ejusdem fermè illuftrior est? In primis nempè verbis petitur ab eo principium: Supponit enim illud, quod intelligit, necessariò substantiam esse, cum de hoc non sit exigua disceptatio inter aliquos Philosophos, ac Medicos. Galeno enim nonnumquam visum est, temperaturam cerebri esse mentem ipsam, id est, rationalem animam. Secundò, quia implicat id, quod post dicit, non habere illam in se, id est, non esse illam substantiam formam materialē, scilicet, compositam ex materia, & forma. Nam impossibile est aliquam formam esse compositam ex materia, & forma. Illud enim, quod materia dicitur, quam maximè differt à substantia formæ, & ingredi in sui compositionem non potest, plusquam lapis manens lapis ingredi compositionem equi: utraque enim disparata adinvicem sunt, de quibus in antecedentibus, cum egimus de materia prima fusè disceptavimus. Etiam aliud, quod dicit, fermè nullum sensum efficit, illud est. [Et nec est etiam aliqua forma formarum materialium. Formæ enim materiales non sunt separabiles.] Quia si per hoc, quod forma aliqua sit separabilis à materia, id est, subjecto, cui inest, posset recipere alias formas materiales:

anima humana, quæ separabilis est, posset recipere formas materiales, quod insigne mendacium est. Et si id non velit, sed quòd tantum formæ, quæ separabiles à materia sunt, possint recipere simulachra rerum materialium, falsum diceret, quòd bruta, & aér continens res corporeas, simulachra earum recipient, & non ob hæc possunt sine propria materia esse. Ultimum non minus absurdum, quam antecedentia est. Illud est: [Quòd intellectus non posset esse aliqua forma simplicium, id est, elementorum.] Rationem cuius rei dicit esse, quòd illæ elementorum formæ non sunt separabiles à materia: & quòd non recipient formas nisi diversas, & non ejusdem speciei cum propriis. Et quòd non recipient illas, nisi secundum quòd sunt aptæ intelligi, & non ut actu intellectæ. In quibus omnibus, meo judicio, delirat. Nam in prima ratione iterum petit principium. Redditurus quippe rationem, cur intellectus sit separabilis à materia, & non formæ aliorum mixtorum ab hominè, aut ullorum simplicium elementorum, dicit, quia formæ elementorum non sunt separabiles à materia, idem per idem explicando. In secundo contradicit illis, quæ superius dixerat. Reddiderat enim rationem, cur intellectus non poterat esse forma corporea, dicendo, quòd si talis esset, non posset alias formas recipere: hic confitetur, quòd etsi elementares formæ sint corporeæ, possent tamen alias formas, putà mixtorum, recipere. Tertium movet dubium, quod non dissolvit. Nam si intellectui sufficit, ut intelligat aliquid, formam illius recipere, cur formis elementorum non permittitur, per receptionem formarum mixtorum mixta intelligere? Sufficient hæc ad impro-

bandum hujus commenti indoctas sententias, quæ non tantum relatis explodi potuerunt, verum, & mille aliis modis improbari volebant, & transeamus ad ejusdem Averrois rationes alias examini subjiciendum.

Et post relata illud, quod in commento §. ejusdem tertii de Anima, legitur, discutiatur. Cujus commenti seriem universam si transcriberem, ex improbatione tantum errorum illius, possem librum justæ magnitudinis condere. Nam ibi unicum universis hominibus intellectum esse, probare natus est Averrois: quod quantum veritatis habeat, vel quibus fundamentis illud innitatur, paucis dicam. Nec explicitè vobis lectoribus rationes, & sententias hujus commentatoris proponam: quamvis ut id assequarer, non exiguum operam impendi quòd non bis, tervè à me lectus per diversa temporum spatia fuerunt hujus Authoris de hoc sententiae, sed millies, ut inquiunt, perlectus, adeò tenebris, & confusus in postremis ut in prioribus cernebatur. Postquam enim retulit, quid Alexander Themistius, Abubacher, & Avenpace de re hac scripserant, suam explicuit mentem, tanta caligine offuscata, & similitudinibus quibusdam adeò indoctis illustratum, ut si reprehendere illum de aliquo errore in certo loco scripto accingor, statim se offert alius, ubi oppositum dixisse videtur: quo sic se habente, quam dilucidè constat doctis viris, illos, qui in solvendis hujus Authoris contradictiones tempus, & chartas consumperunt, litus arasse. Incipiamus ergo duo tamen, vel tria ex his, quæ colligi minus ineptè possunt ex lectione hujus Authoris, narrare, adducendo ex relato commento §. sectionem quandam, quæ hu-

hujusmodi est. [Quæstio autem dicens, quomodo intellecta speculativa erunt generabilia, & corruptibilia, & agens ea, & recipiens erit æternum: & quæ est indigentia ad ponendum intellectum agentem, & recipientem si non est illic aliquid generatum, illa quæstio non contingere, si non esset hoc aliquid, quod est causa esse intellecta speculativa generata. Modo autem quia ista intellecta constituantur per duo, quorum unum est generatum, & aliud non generatum, quod dictum fuit in hoc, est secundum cursum naturalem: quoniam, quia formare per intellectum, sicut dicit Aristot. est sicut comprehendere per sensum: comprehendere autem per sensum perficitur per duo subjecta: quorum unum est subjectum, per quod sensus fit verus, & est sensatum extra animam: aliud autem est subjectum, per quod sensus est forma existens, & est prima perfectio sentientis: necesse est etiam, ut intellecta in actu habeant duo subjecta: quorum unum est subjectum per quod sunt vera, scilicet, formæ, quæ sunt imagines veræ. Secundum autem est illud, per quod intellecta sunt unum entium in mundo, & istud est intellectus materialis. Nulla enim est differentia in hoc inter sensum, & intellectum, nisi quia subjectum sensus, per quod est verus, est extra animam, & subjectum intellectus, per quod est verus, est intra animam. Et hoc dictum est ab Aristotele in hoc intellectu, ut videbitur post.] Cujus commenti prior sententia, ut videtur, rationem exhibet dubii cuiusdam quæstiæ ab expositoibus Aristotelis, illudque erat: Qualiter possit contingere universa, quæ speculatione intelligit homo, esse generabilia, & corruptibilia. Generabilia, cum de-

novo, quæ ignota erant, discuntur, ut cum hæc: Diameter est incommensurabilis costæ, quæ ignota est imperitis geometriæ, discitur ab aliquo, qui eam ignorabat. Corruptibilia, cum oblivione alicuius præmissæ, ignoratur probatio conclusionis prius scitæ, undè ipsa, quæ sciebantur, corrumpuntur, agente intellectu, & recipiente intellectu, quem alio nomine materialē intellectum appellare est solitus existentibus æternis. Ex quibus verbis, quod elicitur primum est, dubium illud ortum trahere ex quodam fundamento, quod Averrois non probat. Supponit enim intellectum agentem, & patientem esse æternos: quod cum præcipuum sit, & quod tantum fermè indagare natus est Aristot. per totum tertium de Anima, non ab eodem plus probatur, quam si supposuisset hanc: Si ab æqualibus æqualia demas, & quæ remanent sunt æqualia. Supponere quippe quod probandum est, non exigua dementia dici potest. Secunda autem sententia quandam rationem dubio relato exhibet, putâ, quod non indigeret Aristot. ponere intellectum agentem, & recipientem, nisi aliqua essent intellecta genita, quæ etiam corruptibilia sunt. Ut hoc aliquid, id est, ut quævis singularia, quæ ab Aristot. hoc aliquid appellantur. Aut aliter possent illa confusa verba explanari, scilicet, quod non possent universalia intellecta, quæ incorruptibilia, & æterna ex sententia Aristot. 1. Posteriorum text. comment. 43. sunt nisi aliquid, quod esset singulare, id est, hoc aliquid, concurreret cum illis generibus, aut speciebus intellectis, quod esset causa corruptionis eorum. Et ut solvat dubium (quamvis, quod solvere velit, asseverare non auderem) statim refert pauca quædam

dam verba , ac post per quandam similitudinem intellectus , & sensus nititur absolvere quæsumum. Verba priora sunt , quòd quævis intellecta duplē causam constituentem seipsa sunt habitura , alteram genitam , aliam ingenitam. Similitudo verò hæc est , quòd simile sit formare per intellectum , quod nos intelligere nominamus , ipsi comprehendere per sensum , quod nos sentire dicimus. Et ut comprehendere per sensum , id est , sentire , perficitur per duo subjecta , quorum unum est subjectum , per quod sensus fit verus , & est sensatum extra animam , aliud autem est subjectum , per quod sensus est forma existens , & est prima perfectio sentientis , necesse est etiam ut intellecta in actu habeant duo subjecta , quorum est unum subjectum per quod sunt vera , scilicet , formæ , quæ sunt imaginatæ veræ. Secundum autem est illud , per quod intellecta sunt unum entium in mundo , & istud est intellectus materialis , &c. Quæ jam duximus. Quæ similitudo adeò obscuris verbis exarata est , ut plures patiuntur expositiones , quæ Prometheus ille Poëticus poterat induere formas. Quid enim velit intelligere commentator per duo subjecta concurrentia ad sensationem , non adeò perspicuum est , verbis animadversis , ut complures sensus ex eis elici non possint. Illa enim oratio : [Quorum unum est subjectum , per quod fit sensus verus , & est sensatum extra animam.] Sic intelligi potest , videlicet , quòd sensus , cum nondum sentit , qui illum habet , non verus sensus dici possit , sed aptus sentire , sit nominandus. Et quòd objecto exteriore operante (qui verus sensus non erat) post verus sensus nominetur. Ac alia oratio sequens : [Aliud autem est subjectum , per quod sensus est

forma existens , & est prima perfectio sentientis .] Etiam consequenter ad antecedentis expositionem potest intelligi de facultate ipsa sensitrice , quam dicat esse primam perfectionem sentientis , & relatae orationes , ut dixi , etiam alias expositiones patiuntur. Prior enim , & secunda oratio etiam intelligi possunt sic , ut objectum extrinsecum dicatur causa mediata , ut verè sentiens reddatur sensus , qui erat in potentia , & per speciem inductam ab objecto in facultatem sentientem , ipse sensus reddatur forma existens , id est , existens cum forma , putà cum specie , quæ forma accidentalis est , & quòd illa sit prima perfectio sentientis. Existimo , quòd si plures expositiones harum orationum exararem , lectores fastidirem , ideo ad collationem intellectus cum sensu explicandum accedo , quam per verba sequentia Averrois expressit. [Necesse est etiam , ut intellecta in actu habeant duo subjecta , quorum unum est subjectum , per quod sunt vera , scilicet , formæ , quæ sunt imagines veræ. Secundum autem est illud , per quod intellecta sunt unum entium in mundo , & illud est intellectus materialis. Nulla enim est differentia in hoc inter sensum , & intellectum , nisi quia subjectum sensus per quod est verus , est extra animam , & subjectum intellectus per quod est verus , est intra animam.] In quibus verbis complura vitia committit commentator. Primo , quòd falsum supponit , cùm dicit , in anima esse subjectum per quod intellecta sunt vera , cùm sint extra animam etiam. Nam si cùm objecta extrinseca intellecta sunt infinitæ res extrinsecæ concipiuntur (incommensurabilitatem enim hujus diametri ad costam , demonstrato quovis diametro ego intelligo , & hic ,

qui adest diameter, verè dicitur à me intellectus, cùm actualitè illius incomensurabilitatem contemplor, & alia multa intelligibilia extrinseca actualitè sic intelliguntur) non erat, ut quid fingeret, quòd formæ imaginatae fuissent causa, ut intellecta essent vera: sufficiet enim easdem res exteriores assignare pro causa, qua ipsa forent intellecta, ut in sensu dixerat, ipsas res exteriores sensatas fuisse causam, ut sensus de potentia sentiendi redderetur actu sentiens. Et si non sine speciebus immutetur sensus, ut nec intellectus abstractivè cognoscens non sine phantasmibus.

Secundò, quòd etiam aberrat in hoc, quòd putat esse aliquas formas repræsentantes intellecta, ut sensualia accidentia mediantibus suis speciebus sensui seipsa repræsentant: non intelligens illud decretum nostrum millies per hoc opus ductum, intelligibilia non mediantibus speciebus intelligibilius intelligi, sed tantùm ex natura rei, præcognitis aliquibus præmissis rerum singularium, animam ipsam cognoscere statim conclusionem universalem, vel particularem, quæ tunc intelligens, & intellectio dicitur, & est, re extinseca verè intellecta existente, si verè & non deceptorie intelligit anima. Verum si aliter acciderit, deceptorie cognoscetur, quod non est. Nec plus inconvenit aliquid dici cognitum, & non esse, quam dici patrem meum à me cognitum, qui diu est, quòd functus vita fuerit. Illa enim quæ falsa sunt, & putantur ab aliquibus esse vera, & intellecta ab eisdem, non propriè intellecta appellari possunt, quòd propriè intelligi dicantur, quæ verè talia sunt, ut intelliguntur. Quòd si quis hoc verbo aliter quam nos hic

scribimus, uti volet, poterit quippe, & tunc esset disceptatio de nomine, si in re conveniret nobiscum. Quod autem ad rem attinet, hoc præcipue est, intelligere aliquid, nihil aliud esse, quam quandam certitudinem, seu fidem animæ (læge de fide loquendo) qua ipsi constat, rem, quam scit, sic habere, ut ipsa noscit, ut quando omnem triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis scio, anima mea certa est ex demonstracione illius conclusionis, rem ita se habere, ut per illa verba significatur. Et quemlibet triangulum visum talem esse, ut tres anguli illius duobus rectis æquivaleant. Quæ animæ notiones, & certitudines, nihil aliud sunt, quam quidam modi habendi animæ, ut prædictimus.

Tertiò etiam delirat commentator suis similitudinibus ineptis nihil plus probans neque explicans ex his, quæ dicere, & probare, ac exponere orditur, quam si sine commento textus legeretur. Tandem quoniam multum immorari in hujusmodi increpationibus infrugiferum, ac insulsum est (inductus enim gladiator cum docto à methodice certans, citra methodum eundem digladiare cogit, & magis multò hebetiorem hebetem efficit) ideo tantùm illud famatum decretum ejus de unitate intellectus, paucissimis verbis explicabo, & quam futili rationi innitatur, monstrabo, & ad aliorum authorum rationes diversas ducendum post hæc accingar, ut omnium authorum solutionis rationibus, quas aliquid valere ad immortalitatem animæ assertandam opinati sunt, nostræ propontantur: quæ si palmam demonstrandi veritatem hanc de animæ nostræ permanentia post hominis obitum in tantum humano generi proficuum, ut paucis cedat, asse-

quu-

quæ fuerint, non mihi, sed scientiarum fonti peremni gratiæ redditantur. Quòd si id non valeant, minimè propter hoc inferior, hæc conando, aliis philosophantibus evadam, quòd pejorem sortem habere non potero, quām illam, qui nihil eorum, quæ aggressi in hac re sunt, assequi potuerunt. Et quamvis dubius de firmitate nostrarum rationum ex relatis verbis censi possim, lector non desperet me demonstraturum, Deo concorrente, animæ rationalis aternitatem. Non enim à me illa prolata sunt, nisi ut de insolentia reprehendi non possim, si verba extollentiam rationum nondum exaratarum jam nunc blaterarem.

Nihil reperio, quod expressius elici posset ex commento s. citato, quo probari unitatem intellectus Averrois existimavit, quām illud, quod propè finem illius prolixii commenti legitur, quod est: [Et cùm intellectus materialis fuerit copulatus, secundum quod perficitur per intellectum agentem, tunc nos sumus copulati cùm intellectu agente, & ista dispositio dicitur adeptio, & intellectus adeptus, ut post videbitur. Et iste modus, secundum quem posuimus essentiam intellectus materialis, dissolvit omnes quæstiones contingentes huic, quòd ponimus, quòd intellectus est unus, & multa, quoniam si res intellecta apud me & apud te fuerit una omnibus modis, continget quòd cum ego scirem aliquid intellectum, ut tu scires etiam illud ipsum, & alia multa impossibilia. Et si posuerimus eum esse multa, continget ut res intellecta apud me, & apud te sit unum in specie, & duæ in individuo, & sic res intellecta habebit rem intellectam, & sic procedet in infinitum.] Quæ verba cortice tenuis, ac

medullitus animadversa, nihil aliud significare videntur: quām quòd ex copulatione, id est, conjunctione & unione intellectus materialis (quem, quid sit, numquam satis expressit Averrois) cum intellectu agente, quem intelligentiam quādam esse fingit, si nonnulla ejus verba perpenduntur, resultat unum, quod, unum, & multa dici potest. Qua unitate & multitudo putat evadere omnes rationes ad invicem contrarias de intellectus actibus, & de ipso intellectu. De quarum rationum vi, mox agemus, dum primum discuriamus, utrum aliquid conferat illa compositio, ad solvendum objectiones de intellectu, & quòd nihil illa compositio possit, paucis ostendam.

Primo si propter hoc, quòd ex intellectu agente & materiali, qui multiplex est, ut homines singulares multiplices sumus (cui enim vis homini inest suus materialis intellectus) opinatus sit commentator evadi objectionem, quæ opponebat, quòd si intellectus esset unicrus, tunc ea, quæ ego intelligo, & tu etiam intelligeres, ac alia, quòd si intellectus esset multiplex, res intellecta ab uno, & res intellecta ab alio, aliquid commune haberent quo convenirent, & sic essent unum in specie, & duo, vel plura in individuis, & processus in infinitum, notoriè Averrois decipietur. Nam aut intellectus hic materialis est, qui sentit, aut agens intellectus, aut neuter, sed aggregatum ex utrisque (ut calefactionem & ascensum sursum, quæ ab igne fiunt, à composito ex materia & forma fieri dicunt, & non à materia tantum, nec à forma solum) sed horum quodvis dicatur, commentatoris assertio falsa erit, ergo ipse deceptus est. Consequentia est nota, & antecedens probatur. Si enim

inxeris intellectum materialem esse, qui intelligit, en quod res intellectae erunt multiplices ad multiplicationem rerum intelligentium & intellecta aliquid commune habebunt, & processus in infinitum occurret. Si dicatur, intellectum agentem, qui unicus sit in omnibus hominibus, intelligere, jam manifeste elicitur aliud impossibile, nihil posse intelligi à Petro, quod non intelligatur à Joanne, & ceteris hominibus. Consequentia est manifesta. Nam si eadem res numero in omnibus hominibus est, quæ intelligit, implicaret aliquid sciri ab uno, quod non sciatur ab alio. Ut si ego essem omnes homines, Petrus, & Joannes, & ceteri, impossibile esset aliquid scire ullum ex aliis hominibus, quod ego non novissem. Si tertium asleveretur, putà, aggregatum ex utrisque intelligere, & nullum ex intellectibus seorsum fore intelligentem, manifeste inferretur, differre intellec-tiones meas à tuis, & sic multa numero esse, & specie unum, ac processus ille in infinitum, quem vita-re comment. procurabat, se offerebat. Et quod sequatur illud, patet. Quoniam etsi intellectus agens, seu quisvis alias, esset unicus in omnibus hominibus: si ipse non esset, qui intelligeret, sed aggregatum ex eo & materiali: cum hæc aggregata sint tot, quot intellectus materiales, intellecta subjectivè in diversis aggregatis existentia, neces-sario distincta futura erant, quod, ut audistis, quam maximè apud commenta inconveniebat.

Etiam misceri duos intellectus, & unicum numero constituere, impossibile esse manifestum est. Nam si ambo intellectus sunt substantiaz indivisibles, natæ per se subsistere, impossibile videtur alterum alteri posse sic conjungi, ut faciant unum,

plusquam duo Angeli, vel Archangeli, nam aut alter alteri, ut materia deserviret, & hic in potentia ad illum suscipiendum esset, cum illo careret, & in actum per aliquod agens reduceretur, ut elementa habilia suscipere misti formam red-duntur per debitam commissio-nem, actu illam recipientia. Sed elementa tunc nihil quod præfuerat, & actu priùs aliquid esset, suscipiunt, sed misti formam, quæ tunc tantum esse incipit: & sine illa elementari materia esse non potest, ergo hic unicus intellectus, qui cum humanis unus fit, si cum Petri intellectu, qui sibi est materia, unus fit, nunc primùm esse incepturus erat: & desinente esse Petri intellectu, & ipse desitus erat. Quod accidere, ultra hoc, quod sit im-possible, adversatur hypothesis commentatoris, qui credidit, jungi intellectum illum unicum cum quo-vis noviter creato, & præcedere il-lum, ac alios omnes, & priùs illis (qui creantur) esse. Etiam in homi-ne quovis essent duo individua rationalia, nam ex corpore & anima rationali (quæ sive sit alterum ex illis duobus intellectibus, qui com-miscentur, sive non in opinione commentatoris, nihil interest) unum constituitur individuum, putà ho-mo: & ex intellectibus illis, quæ se habent, ex confessis, ut forma & materia, aliud quoque conficietur: ergo duo, quod intuleramus.

His, quæ audistis, sufficienter improbase fictionem commentatoris existimo: quapropter plures rationes adducere, ut ipse impro-betur, incassum videtur. Ad ergo examinandum vim suarum, quibus compellus fuit relatam miscellam intellectum fingere, præparor. Et cùm illæ duæ tantum sint: altera, qua inconvenire existimat, esse uni-cum intellectum in omnibus homi-

nibus, quia sequetur quemlibet hominem sciturum, quæ alii novere: quam rationem sufficienter demonstrare impossibile illud, quod infert, probavimus: ac alia, qua se qui dixit, quòd si intellectus, qui intelligit, esset diversus, prout homines distincti sumus, sequeretur plura intellecta à diversis intellectibus, aliquo uno participantia, esse unum, & sic processum in infinitum. Hanc nullius momenti esse, ostendere cogimur, cùm adversus nos militet, qui asseveramus, quemlibet hominem proprio intellectu non distincto re ab ipsa anima participare.

Et quòd hæc ratio futilis sit, ex hoc patet. Nam non ob id, quòd diversi intelligunt unicam rem singularem, sequitur ipsam esse plura. Stat enim Petrum cognoscere Sortem, & Joannem cognoscere eundem, & non quia diversæ numero sunt Joannis & Petri notiones, inferendum est, Sortem cognitum plura futurum. Ergo à simili etsi confiteamur, nos intelligere aliquod unum, quo omnes homines convenient, & alios homines idem etiam intelligere, sequitur, intellecta distincta esse non enim diversitas actuum attestatur, diversa esse objecta. Diversa enim est visio mea, qua Lunam video, à visione tua, qua eandem conspicis, & tamen non ob hoc Luna diversa est.

Etsi enim fingeretur specie intelligibili, cognoscere animam, quod falsum est, ut probavimus, non inconveniebat esse plures species intelligibles, quibus universale unicum existens nosceretur. Diversum enim est phantasma, quo à me abstractivè noscitur pater meus, à phantasmate, quo idem noscitur à sorore mea, nec ob hoc pater meus distinctus est à seipso. Et ut retro docuimus, illa cognitione

universalis ficti ab intellectu non plus testatur, esse illud aliquod ens, quām notio chimærae testatur esse ipsam aliquam entitatem. Demus ergo, ut dixi, esse plures species intelligibiles, quibus universale à diversis hominibus intelligatur, certum est quòd etsi unicus concep-
tus elici posset, quo convenienter illæ diversæ species intelligibiles, non ob id sequetur per eandem animadversionem, aliud, ac aliud, quo communicent, eliciendum, ni-
si per diversam & diversam reflec-
tionem ipsius intellectus reflecten-
tis se supra suos actus: sed hunc in
infinitum processum posse fieri à
quovis intelligenti nemo negat,
ergo illud, quod esse inconveniens,
commentator existimavit, nullum
erit, neque erat, ut quid fingeret
illud impossibile de miscella intel-
lectuum, ut fugeret, quod vel simi-
le omnes fatentur. Quis enim ne-
gat, posse quemlibet intelligentem
(animal verbi gratia) universale, re-
flecti supra suum actum, & intelli-
gere se intelligere: ac iterum, si
velit, posse reflecti supra illum ac-
tum reflexum, & actus reflexi no-
tionem habere: & sub inde quoque
actus reflexi, reflexi etiam intellec-
tionem habere, & ut dixi, in infi-
nitum procedere, attamen omni-
bus illis intellectibus plusquā
unum universale non intelligere.
Quod si extra intellectum cognos-
centem esse posset in rerum natu-
ra, ut non potest, non ob id etsi à
mille hominibus millesimis reflexio-
nibus, & quibusvis convenientiis
universalis noti ab uno cum uni-
versali noto ab alio nosceretur,
plusquā unicum esset. Sufficient
hæc, etsi pauca sint, ad confutan-
dam imbecillam illam rationem
barbari commentatoris, dignus po-
tiū deinceps caliginator appellari,
quām expositor. Nescio enim unde
tan-

tanta dementia authorum mentibus indita fuerit, qua usque in hodiernam diem compulsi sint, adeò hominem hunc suspicere, ut parem acerrimo Aristoteli efficiant, & librum integrum dicatum contradictionibus, & concordiis tantum hujus conderint, quem paucissimis chartis clauerunt. Voco paucissimas eas, quæ non adeò exiguo numero paucæ sunt, ut mediocrem molem non obtineant. Quod si omnes loci, ubi ipse sibi contrarius est, adnotarentur, defuturum papyrus existimarem. Et certè inter omnia, quod plus mihi displicet, confusa sententia ejusdem sunt: quæ potius hariolando, quam aliter, intelligi valent (fortassis quod ego hebes sim) Quamquam mendacia, quibus ipse passim deprehenditur, non exigua sint. Suspicio quippe ego de Averroi, & ceteris Saracenis agentibus de re physica, & medica cum indocti linguae Græcae, & Latinæ fuerint: quibus duabus scientiæ tunc & nunc præser-tim exaratæ erant, quod non parum se fecisse existimabant, si aliorum authorum scripta callebant, aliquorum interpretum indoctorum in facultate, aut in lingua munere fungentes: qui cæci, cum es-sent duces cæcorum, in foveam Arabes præcipites egerunt.

Rationes trium Authorum, quorum nomina audistis, quibus animæ rationalis perennitatem probare illi existimabant, solvimus. Superest diversorum, & sine nomine dicendorum nonnullas scribere, & has quoque dissolvere. Omnia enim argumenta, quæ in hunc usum usque in præsens tempus composita sunt, exarare, immensi laboris opus esset, & adeò infrugiferum, ut nullum plus. Si enim solutis rationibus, quas audistis, & dicendis, nullæ supersunt, quæ ullius vale-

ris sint, ut quid illæ referentur, nisi ut chartas, & papyrus absu-mamus?

Aristotelem inter alios Authores non recensuimus, quod rationes, quæ in libris de Anima ipsam esse immortalem ostendere videntur, Paraphrasis nostra super relatis libris esse pauci momenti superficie tenus consideratæ palam osten-dunt, & quæ vigorem ullum ha-bent, scribendis intelligitis. Est ergo vulgi physicorum (ita enim has rationes nominare placet) ratio prima hæc, omissis illis, quæ ortum trahunt ex distinctione reali intellectus agentis, & possibilis.

Omne, quod nullo corporis vi-tio senectutis, aut morbi, languescit, aut imbecillum fit, à corpore, & omni corruptione immune fore, rationi consonum est. Cum quamcumque generationem, & corrup-tionem alteratio ulla perpetuò præcedat, nihil enim subito, hoc est, per ultimum instans sui esse, desi-nere esse, potest. Sed anima ratio-nalis est hujusmodi, ergo hæc cælestis naturæ, æternæ nempè, fu-tura est. Major nota esse videtur. Minorem eventus quamplures probant. Multos certè in ultima senec-tute constitutos novimus adeò ex-actè cernentes, ut cum juvenes erant. Et alios consistentes medio-cri memoria fruentes audivimus: qui cum primam senectam adepti sunt, ubi vires labefactandas esse spe-rabant, memorandi facultate vigo-rosores sunt effecti. Quæ non aliundè ortum trahere possunt, quæ ex hoc, quod et si aliquarum functionum instrumenta vitientur, inde-que illæ animæ operationes imbe-cillæ reddantur, aliæ quæ instru-mentis vigentibus exercentur, & quæ perfectæ ut in juventute fiunt: quia anima ipsa nequaquam labefactata est, nec commissui potuit. Si enim

hæc

hæc corruptibilis foret, per senium, vel gravem morbum imbecilla redonda esset, quantumvis vigerent instrumenta. Hanc rationem non pauci valoris esse, quæ multi sunt opinati: quæ non tantum nullius esse vigoris ostendetur, verum quod de insigni imperitia Authorum ejusdem redarguat, facillimè monstrabitur.

Quippè quæ ignorantia major, quam proprietates substancialiæ non noscere? De quibus in foribus logicæ, in prædicamentis scilicet, agitur: quarum una est, ipsam non recipere magis, aut minus. Hoc est dictu, ita Sortes, qui est substantia, est homo, quod neque Petrus, neque Joannes, nec ullus alius homo est plus homo, quam Sortes. Ac sic equus Bucephalus est equus, ut nullus plus, neque minus eo, sit equus: neque ipse in juventute, aut senectute sit plus equus, quam statim à partu. Substantia enim equi, id est, forma substancialis ejusdem, & sua elementaris materia, ex quibus duabus partibus equus constituitur, non sunt intensibiles, nec remissibiles, ut neque materia elementaris humana, neque forma ejus, quæ ejusdem anima est.

Quibus sic se habentibus, quæ ratio est ad probandum animæ æternitatem, ostendere ipsam servare naturam communem omnibus formis substancialibus, non posse, scilicet, imminui eam essentialiter per morbum, aut senectutem? Certe eadem ratione magnetis, & ferri, & lapidis, ac ignis, & quorumvis animatorum, & inanimatorum formæ essent appellandæ æternæ. Et tandem quarumvis substancialium corporalium formæ incorruptibles fuissent. Omnes enim quamvis esse non desinant per ultimum instans sui esse, quod instans transmutatio-

bou

nis tribuitur posteriori passioni, desinunt tamen per primum instans non esse, in tempore antecedente illud instans, dispositionibus illis corruptis, quibus formæ, quæ abjiciuntur, conservabantur. Certe si senescentis magnetis vis trahendi ferrum labefactatur, non sibi id accidit, quod forma substancialis ejusdem sit remissa, sed quod dispositiones (quibus illa vis intensibilis, & remissibilis exercetur) sunt remissæ. Et quorumvis compositorum substancialium vires propter relatam causam languent. O quam longi circuitus, & inscii ambages animæ senescentis propter cordis senium relatis benè intellectis tolluntur! Hac ergo ratione soluta, negata majore, ut falsa velut ostensum est, ad alia solvendum transseamus.

Item ut solis lumen in aërem immisum perpetuum est, ratione tantum subjecti, cui inest, corruptibile: ita animæ accidere debet. Ipsa ergo ex sua natura æterna erit, quia non inest corpori, ut accidens, velut lumen: cùm omne accidens posterius corpore sit, & anima non corpore posterior, sed prior sit. Etiam quod universa accidentia cum subjecto, cui insunt, unum per accidens, & non per se constituunt, & sic ex anima, & corpore unum per accidens resularet, ut ex albedine, & corpore albo, quod satis insanum esset confiteri: ut faterentur, qui illam, ut lumen inesse corpori, dicerent.

Non miremini, si argumenta ultra adduco citra logices methodos exarata. Sic enim ut legitis, vel deterius, dictata sunt à nonnullis Authoribus, qui non se indocte sapere, existimant. Ergo præsumptum argumentum, negato antecedente, solvimus. Non enim lumen in aërem productum perpetuum plus est,

est, quam calor in igne, aut aëre existens. Capere enim non possum, undè sumptum sit, lumen aëris esse ex natura sua perpetuum, & quod medium corruptibile sit causa suæ corruptibilitatis: nullis non videntibus, quod aëre eodem manente, invariatoque viso, per Solis occasum corrumpatur lumen aëris: quæ corruptio non aëri corruptibili tribui potest, sed lumini ipsi, cuius natura talis est, ut à luce solari præsente pendeat inesse, ac conservari. Certè ignis calor incorruptibilis potius dicendus esset, quam medii lumen. Nam si frigiditas abesset, quamquam ejusdem genitor non adesset, numquam corrumperetur. Et fortassis propè Lunæ concavum ignis incorruptus à mundi initio invenietur. Quæ enim corporea accidentia pendent inesse, & conservari ab aliqua exteriori causa, meritò nata corrupti, & corruptibilia dicenda sunt, ut lumen, & calor, vel frigus in subjectis contraria illis patientibus, reliqua non adeò, ut calor in igne, aut frigiditas in aqua.

Tertiò omnibus compertum est, calamitosa, & prospera ad mortuos pertinere: felices enim homines dicimus, non tantum viventes, sed, & vita functos, quibus filii, aut nepotes, seu alii propinquai prosperum aliquod præter spem evenit. Ut infelices, infortunatosque eos, quibus proles scelestæ, aut ulla infortunia patiens contingit. Sed id verum esse non posset, si statim à morte anima esse desissent. Nihil enim superesset, quod capax felicitatis, aut miseriæ dici posset: ergo animam permanere post obitum fatendum est. Aristotelem enim primo Ethicorum, etiam vulgaris opinionis esse attestantur ejusdem scripta, cum capit. undecimo referat, mortuis aliquid attinere vi-

vorum felicitates, & miseras.

Ratio hæc cùm nulli alio innaturat validiori cäemento, quam vulgi opinioni, pauci valoris est adversum physicum, qui tantum rationibus naturalibus in alterutram partium ducitur. Aristotelem certè credidisse animas perpetuas fore, quicumque ejusdem scripta rimatus fuit, tam moralia (ubi opinari potest, ob institutionem rectè vivendi assertum ab eo fuisse) quam naturalia, facile intelliget. Sed neque ob id credendum aliquid, quod ab ipso testatum sine ratione sit. Cum enim nos aliquando ejus autoritate fruimur, & suis placitis nostris sententiis favemus: non quod ipse dixerit, credendum esse jubemus, sed quod illud si à quovis inficiaretur, à nobis facillimè verum esse ostenderetur.

Quarta. Hominum portiones quasdam esse divinæ naturæ, non paucæ functiones humanæ ostendunt. Prudentia nempè eorum, qua futura prævident, & ingenii acumen, quo abdita naturæ callent. Et voluntatis imperium, per quod honesta injucunda turpibus multitudibus præferunt, divinitate participem mentem esse palam ostendunt. Et cùm Deus ipse æternus sit, rationi consonum erit, mentem portionem ejusdem etiam æternam esse.

Porro nulli, qui testantur, mentem esse portiunculam Dei, explicitè proferre possunt quicquam, quod vero consonum sit. Nam aut Deum fingunt esse quantum, & aliquam sui partem mentem humanam esse credunt. Et ii, ut qui delirant, audiendi non sunt. Aut putant, divinam perfectionem esse alicujorum graduum finitorum, aut infinitorum, & aliquem ex his gradibus esse humanam animam operantur. Et non minus delirium est.

Quod

Quod si ita esset, sequeretur infinitè perfectam esse humanam mentem. Consequentia patet. Quòd qui vis gradus cuiuscumque qualitatis æquè perfectus est essentialiter, ut tota qualitas. Unus quippe gradus caloris non perfectior, nec imperfectior essentialiter est, quam summus caloris gradus, et si entitativè perfectior sit summus calor, quam unus gradus, ut ignis pedalis essentialiter æquè perfectus est, ut universa ignis sphaera, et si ipsa superret pedalem ignem in multitudine formæ. Ad cujus similitudinem mens humana, quæ portio est divina ex adversorum assertione, essentialiter æquè perfecta, ut divina, futura erat. Sed divina est infinitè perfecta, ergo humana, quod probare nisi sumus. Et cum consequens hoc sit falsum, planum refutat antecedens, ex quo, sequitur, falsum esse: ideoque antecedens illud negandum.

Quinta. Quæcumque passiones linearum unius speciei demonstrantur de certis lineis, eadem intelliguntur de quibusvis illius speciei. Ut conchoydes lineas semper approximari rectis, ac numquam cum illis concurrere eadem scientia à me, & à Nicomedie earum inventore scitur: (quamquam sensus, quo percipiuntur lineæ conchoydes à me depictæ, diversus sit à sensu, quo perceptæ fuerunt à Nicomedie: nam illæ breviores, aut longiores, quas ego pinxi, & in alia area papyrea, vel lignea quam istæ sunt depictæ.) Sed identitas illa scientiæ meæ, & Nicomedis non aliundè ortum trahere potuit, quam ab æternitate subjecti scientiæ, quod subjectum anima intellectiva est: ergo illa perpetua erit, quod probare adversus volebat.

Hæc ratio jam inter Augustini rationes (quamquam aliis terminis)

Tom. I.

ducta, & soluta est. Non enim scientia mea est eadem numero cum Nicomedis scientia. Nam cum scientia actualis sit modus habendi animæ talis, aut talis, non distinctus ab ipsa anima, ut animæ diverse sunt, ita, & modi illi distincti erunt: dicuntur tamen idem non numero, sed specie. Et, ut saepius dixi in antecedentibus de animæ intellectivæ actibus loquens, non perpetua est passio illarum linearum conchoydarum, quas conspiciebat Nicomedes, namque illarum passio ipsis deletis evanuit, ut subiectum ejusdem perlituram, vel abrasionem aufertur. Cum enim æterna scientia aliqua humana esse dicitur, sub conditione æterna esse credenda est, in hoc scilicet, sensu: Si tales lineæ fuerint, talis passio illis accidet. Si tale animal fuerit, tali definitione explicandum erit. Sensus quoque ejusdem objecti singularis idem specie est in Sorte, & Platone, numero tamen differens utriusque sensatio est. Tandem in forma ad argumentum respondebo, negatur major pro parte illa, quæ asserit, eadem scientia passionem illarum linearum conchoydarum esse scitam.

Solutis rationibus hujus innominati Authoris nonnullis, alias quoque, quas validiores esse existimat, solvamus, & sit sexta, quæ sequitur.

Sensibilia, quæ tantum potentia sunt intelligibilia, reddi non possunt actu intelligibilia, nisi ab aliquo talia fiant, ut neque colores sensibles sunt, nisi à lumine tales reddantur. Sed hic, qui commutat sensibilia in actu intelligibilia, intellectus agens est, qui tantæ facultatis particeps esse, nisi æternus esset, non posset: ergo æternus intellectus noster erit, qui ab anima non distinguitur.

Kk

Hoc

Hoc argumentum innititur vetustæ opinioni de modo intelligendi, quæ satis in antecedentibus improbata pag. 67. supereft, ideo improbatione illa solutum sufficien-ter esse existimans, de inepta similitudine sensus, & intellectus tan-tum agere unico verbo volo, & hujusmodi sit. Quod si putasset Author relatæ rationis, quam Aristot. adscribit, sensibilia objecta omnia indigere aliquo, quod actu sensata ea efficiat, quod videat colores sine lumine non sentiri, falsa proferet, cum cæterorum sensuum ob-jecta auditus, tactus, & aliorum, non hoc indigeant. Si tamen hoc tantum visui competere credit, ut verum est, cur non calluit, posse intelligibilia intelligi absque intellectu agente, ut reliqua sensata seip-sis immutant citra lumen?

Post has est ejusdem, qui præcedentem composuit, ratio hujusmo-di, quam etiam Aristotelij tribuit, esseque proximam demonstrationi autumat. Intellectus agens perfec-tio est patientis, atque omnium eorum, quæ sunt in homine, immò perfectior ipso paciente: cum igitur patiens jam sit separabilis, agens in quam ipse erit separatus. In uno quoque enim entium genere, in quo multa secundum ordinem constituuntur, quæ propter aliud, & ad consequentiam talia sunt, ne-cessarium est ad unum, quod sit per-se tale, devenire. Sed ostensum est omnia in homine quæ cognoscunt, quodam immortalitatis, ac divini-tatis genere participare, igitur o-portet illud esse, quod per se tale sit. Neque verò est illa perfectio major patientis intellectus dignita-te, quæ non sit absolute immorta-lis: ille enim jam separabilis esse conceditur, nec quicquam obsta-re, quin separetur, utitur toto cor-pore, ut organo, quia nullam par-

tem habet illius præcipuam, est enim absolutus: quia tamen nec substantia quædam est: nec sine corpore, tamquam objecto intel-ligit, et si natura propria sit immor-talis, non potest à corpore separa-ri. Quam nám igitur majorem a-genti perfectionem dabimus, ut intellectus hic non sit verè immor-talis: manifestum est etiam, om-nia illa ex hoc pendere, igitur hic ipse per se talis erit, vel ex alio rur-sus pendet, ac si pendet, & sub-stantia est, nihilominus æternus est. Quod enim ab æterno profuit, si substantia sit, æternum est. Nam si lumen Solis esset substantia, sicut est accidens, indubie æternum es-set, parit tantum quia substantia non est. At verò intellectum esse substantiam declarat hoc quod mo-vet, & agit non tamquam instru-mentum. Si enim calor per se age-ret, utique esset substantia: sed non calor agit, verum calidum. Est etiam homo absolutum animal, ne-que ullius exterioris indiges, qua-re intellectus suus per se talis est, & non alterius causa. Hic autem a-gens quonam pactu etiam si ab alio pendet intellectus agens, in nos-tra hic erit potestate? Quare relin-quitur, ut hæc substantia in nobis sit, & immortalis. Post quæ verba conditor subdit. Hanc ob ratio-nem, quæ certè si non est demon-strativa, attamen omnibus argu-mentis, quæ in contrarium sunt adducta, validior, etiam simul sumptis, longè est, ac plusquam probabilis Philosophus quasi glo-riabundus toties repetit ubique tanti inventi memor, mentem so-lam verè immortalem esse, solum immarcessibilem, extrinsecus ve-nire, neque unquam mori.

Quam rationem, sit ut Logicus brevis, & expeditus, cathegorice-que respondens absolverem, unico ver-

verbo negando consequentiam, ac consequentias, & etiam antecedentia nonnulla ex multis, quæ in illa ratione coacervata sunt, esset sufficienter soluta. Neque haberet adversus, quo nos convinceret, monstrando suam rationem collectam esse, in tali, aut tali modo, aut figura, cum nulli methodo logicæ innitatur ipsa: & non tantum quatuor terminis constet, verum, & innumeris, nulla debita connectione connexis. Verum ut expressius defectum rationis relatæ ostendam, nonnulla ex his, quæ ut antecedentia assumit, & alia, quæ ut consequentia infert, sigillatim examinare volo. Et primò illam priorem sententiam: Intellectus agens perfectio est patientis, ac omnium eorum, quæ sunt in homine. Quam manifestè falsam esse, ut ab Authore isto intelligitur, ostenditur. Nam hic putat duo realiter distincta esse, intellectum agentem, & patientem, seu possibilem. Quæ fictiones, & nugæ à nobis in antecedentibus sufficienter sunt improbatæ: ostendentes animam ipsam rationalem utroque nomine frui, prout distinctis modis essendi afficitur. Consequentia quoque illa, intellectus possibilis separabilis est, ergo agens est separatus. Multis modis peccat. Primo, quod non video, qualiter hic scriptor potuit aptare nomenclaturam intellectus separabilis entitati illi fictæ appellatae intellectus materialis, seu possibilis. Si enim illa entitas non posset separari, ex ejusdem assertis: qualiter potuerit dici separabilis, quæ numquam potuit separationis actum reduci, impossibile videtur docente Aristot. 2. Physic. text. comment. 62. & 1. de Cælo, text. comment. 32. frustra esse potentiam, quæ non reducitur ad actum. Etiam demus ei illud figmentum,

Tom. I.

ut si verum esset, nominari posse intellectum separabilem eundem, quem passibilem nominamus, & quæram ab eo, undè infertur aliud, quod subdit: ergo agens est separatus? Nam quamquam esset major perfectio illa, quam prior intellectus possibilis, non erat ob id augenda agentis intellectus perfectio in illud genus perfectionis, ut scilicet, esset separatus, cum innumeræ aliae esse possint perfectiones, in quas ascendere citra separationem posset.

Missa hac fragili consequentia improbari, etiam aliud, quod in eadem ratione subsumitur, falsum esse ostenditur, putà, intellectum uti toto corpore, ut organo, quia nullam partem habeat, ut ille inquit præcipuam ad intellectus actus exercendos. Nam si verum est, quod millies in hoc opere ex 3. de Anima Aristot. adduximus, & experimenta testantur, esse certum, oportere intelligentem phantasmatam speculari, non pede, nec manus carpo, neque calcaneo verè dicere poterimus, intellectum uti ad intelligendum, sed tantum cerebro, ubi viget facultas illa, qua absentia abstractivè noscuntur. Aliud quoque quod sequitur, quod omnia alia ex eo pendeant, ergo hic per se talis est, vel ab alio pendebit, et si pendet, & substantia est, nihilominus æternus est. Quod enim ab æterno profluit, si substantia sit, æternum erit, non parum confusum est. Quid enim velit dicere verbis illis, omnia alia ex eo pendere, non exprimit. Solus enim Deus est, à quo omnia alia ex eo pendeant. Etiam illa ultima consequentia: quod si pendet, & substantia est, æternus erit, quod ab æterno profluat. Manifestè falsa est: quasi non posset bruti substantia immediatè pendere à Deo (hoc e-

Kk 2

nim

nim videtur innuere hic Author) & quod illa paulatim decurso ætatis, vel morbo pereat, quod Deus non velit eandem particulariter ulterius servare, etiam immediate servando ipsam, & non plus currendo cum eadem, quam ut ille, & cæteræ causæ secundæ solitæ sunt convenire in conservationem alterius individui ejusdem speciei, qui morti obnoxius sit. Exemplumque illud de lumine, indocti simum est. Dicere enim, quod si lumen Solis esset substantia, æternum esset: & quod non pereat, nisi propter subjecti corruptionem, & quia substantia non sit: falsum certè est, ut suprà monstravi. Reliquum quoque, quod dicit, ostendi intellectum esse substantiam, per hoc quod non agit ut instrumentum, mera ineptia est. Primò, quod non probat ipsum non agere ut instrumentum. Secundò, quod etsi probasset, illa ratione non comprobatur intellectum substantiam esse: cum multa, quæ agunt, ut instrumenta, sint substantiae, ut Fabrorum omnia instrumenta ostendunt: & complura, quæ ut principalia efficiunt, sint accidentia: & interalia, ut exemplo, quod ipse adducit, improbetur. Claro existens in aqua calida secundum complurium Physicorum opinionem, ut principale agens, & sine aqua calefacit extrinseca passa, & non ut instrumentum, & neque propter hoc dicitur nec est substantia. Ultimum quoque intolerabile est, putà, est homo absolutum animal, neque ullius exterioris indigens, quare intellectus suus per se talis est. Et multa alia, quæ infert, nulla debita connexione ullius bona consequentia alligata. Si enim illa ullius valoris esset, etiam brutorum animæ separabiles forent, quod absolute animalia sint, ut homo. Tan-

dem ratio hæc soluta, ac improbata, ostendit non ob eam sistendum esse in inquisitione rationis demonstrantis animæ perpetuitatem: cum hæc nihil profecerit, quod faciam ut promisi. Et ne tempus perdam, multas alias rationes prædicti Authoris, quas trahere possem, omittam, cum quæ recentiæ sunt, exigui momenti esse ostenderim. Neque quod nonnullos defectus in hujus docti viri scriptis repererim, contemnendus est, cum sit viri fatis studiosus, & in utraque lingua, Græca, scilicet, & Latina peritus, & in Mathematicis doctus, & qui non oscitantè Medicinam professus fuerit.

Solutis rationibus hujus innominati Authoris, aggredior dissolvere alterius illustris rationem quandam, qua opinatur animæ immortalitatem demonstrari. Illa erat hujusmodi. Triplici conditione liberatur anima ipsa à mortalitate, receptione, & actione, & agendi modo. Ex receptionis modo, quod anima suscipiendo omnia, quodammodo sit omnia: ex hoc, quod ex intellectu, & re intelligibili fiat unum. Ex actione, quod lumen intellectus abstrahit, & illuminat, efficiatque, ut qui potentia intellectus dicitur, recipere possit omnia. Ex agendi modo, quod non sit addictus organo. Hoc ultimum ita esse, Græcorum authoritate, & Arabum, etiam Alberti Magni id confitendum attestatur. Ex relatis nempè Authoribus nonnulli phantasiam, quæ organo corporeo conjuncta est, affirmant non esse necessariam ad animæ esse, sed ad eam intellectualem naturam esse. Alii eam supervacanciam esse, postquam omnia noverit anima testantur. Alii in rebus naturalibus dignoscendis tantum phantasiam posci. Alii non simplicitè, & per se

requiri, sed ex accidenti conjuncti corporis desiderari. Fingunt enim quid, quod esse animæ nativum, & proprium dicunt, conjunctione ejus ad corpus sequestrata, ac post imaginantur eandem corpori conjunctam, & gradus quodam cognitionis ejus fingunt: quorum ultimum dicunt ejusmodi esse, ut per eum superiori, & primo intellectui sine ullo phantasmate copuletur anima, indeque à corporeo organo operatione ejus vendicant. Quod siue verum, aut falsum sit, recipit citatus Author in sui favorem, ut animam immortalem esse ostendat, aliasque hujus generis suasiones adducit: sed quod non sint majoris quam relatæ momenti, ideo eas transgredior, & ad solvendum hanc accingor, negando antecedens, putà ullo ex illis tribus modis concurrentibus in operationibus animæ, inferri ipsam esse immortalem. Nam primò ex modo receptionis, quod anima cum suscipiat omnia, fiat quodammodo omnia, minimè hoc probatur, quod adversus negaret, ipsam recipere aliud quicquam, quam sensibilium species, vel phantasmatum affectiōnem interiorem. Ac quod ut non dicitur medium recipiens species sensibilium converti in ipsa sensibilia: ita non dicendam animam conversam in ea, quæ sentit. Etiam quod eti id dicatur, metaphoricè dici intelligimus, & non quod ita sit. Tertiò, quod nec exinde quid, quod ad immortalitatem conduceat, sequitur. Unde enim elicetur, quia anima quodammodo in repræsentando æquivalet sua objecta, ideo illam perennem esse? Quartò, quod hac ratione bruta dicenda essent habere animas æternas, cum ex illius confessis sentiant, quod nisi illa etiam suo modo vertantur insensibilia, sibi convenire non pos-

set sentire. Quod ex actione animæ aliquid valere credidit, etiam quam parum prodest, putà, quod lumen intellectus agentis abstrahat, & illuminet, efficiatque, ut qui potentia intellectus dicitur, recipiat omnia. Hæc enim falsa sunt, ortum ducentia ex ignorantia distinctio- nis intellectus agentis, & possibili- lis, de quibus retro non pauca di- ximus. Aliud, ultimumque ex mo- do agendi ipsius animæ, scilicet, quod non egeat ipsa corporeo or- ganō ad actionem, nec etiam phan- tasia, commentitia sunt, à quibus- cumque sint asserta Arabibus, seu Græcis Authoribus. Experimenta enim oportūtum testantur. Nullus enim umquam quicquam intelligit, nisi priùs aliqua notitia ab- tractiva producta à phantasmate sit affectus, quod sine corporeo orga- no fieri non posse, ostensum est. Hæc sufficere existimo ad solven- dum relatam rationem. Et ne ulterius detinear, solvendo, quæ tam exigui sunt momenti rationes, & expediri valeam, ut mihi eas con- dere liceat, quas demonstrare ani- mæ perennitatem reor, ideo in Christi Redemptoris nomine illud mittendo, id auspicio.

Exordium sumere placet, ex quadam ratione, quam in pag. 13. operis hujus promisi me elicitur. Illa erat, quod si bruta sentirent, indivisibilem animam essent habi- tura: quod necessariò sequi, demon- strativis rationibus ostendi. In- deque ulterius eliciebam, si indi- visibilem animam irrationalia ha- berent, ipsarum animas perpetuas futuras, quod potior ratio, qua immortalitas animæ ostenditur, hinc originetur. Hoc ergo ita esse in primis probemus, ac post alias ra- tiones huic adjungamus, primitus explanando certis rationibus, quod bruta non habeant indivisibilem ani- mam.

Si

Si brutis, ut hominibus indivisi-
bilem animam convenire ulli phy-
sici opinarentur, vel hoc mero pla-
cito ab eisdem assereretur, aut ulla
convicti ratione, id testarentur. Pri-
mum physici non esset: illi enim
non ad libitum decreta edunt, &
suo more scribunt, sed rationibus
impulsi, hoc, vel illud affirmant.
Ergo si secundo concessio, ostende-
ro, nullam inveniri rationem, nec
experimentum ullum, nisi quo ani-
mam brutalem quantam esse teste-
mur, dein pro certo habendum
erit, irrationalium animas quantas,
interitique obnoxias esse. Et quod
nulla inveniatur ratio, qua affir-
mandum sit animam brutalem in-
divisibilem fore, sic ostendo. Inter
illas, quas physici, qui hoc opini-
nantur, assignant, haec pauci va-
loris una est, conspici ipsa bruta
non mori, aliquibus eorundem
membris abscisis, quarum partium
animam, quae informabat, non cor-
ruptam esse, vel ex hoc constat,
quod brutum vivum maneat. Un-
de non aliud dicendum posse vi-
detur, nisi quod desiverit bruta-
lis anima, quae in illa parte abscisa
erat, ibi adesse: & solùm adsit aliis
viventibus partibus: ut solemus di-
cere de animabus nostris, quas fa-
temur per abscissionem manus, aut
pedis, cadaver pedis, aut manus
destituisse, & adesse tantum reli-
quo corpori, quod nostræ animæ
sint indivisibilis, & sic tunc fe-
ha-
beant, ut Angelus, qui præsens mil-
liari leucæ, velit non adesse nisi
dimidio, existens ubicumque fue-
rit totus in toto, & totus in qualibet
parte, ut anima rationalis.

Sed quod relata ratio non tan-
tum sit exigui valoris, ut diximus,
sed nullius, probant corruptiones
partium quorumvis quantorum, re-
liquis portionibus manentibus:
quod etiam brutalibus partibus ac-

cider posse, nescio quis protervus
inficiabitur. Ut enim experimenta
docent, ignis pedalis quartam par-
tem corrupti posse, propter a-
quam frigidam, & humidam irro-
ratam, vel ob aliud infrigidans:
cur quoque dicere non poterimus,
portionem illam animalis, quæ ab-
scinditur, corrupti, quia ex absci-
sione privato influxu cordis per
arterias, jecoris per venas, & cere-
bri per nervos, illius partis dispo-
sitiones, quibus illa portio animæ
brutalis asservabatur, corruptæ sint,
citra fictionem indivisibilitatis ani-
mæ: & quod reliquum animæ ma-
neat informando reliquum corpus.
Ut reliqua portio formæ stupæ non
ignitæ superest informando mate-
riam propriam, et si alia portio stu-
pæ, quæ flagrabat, esse stupa de-
sierit.

Validior multò, quam recensita,
est ratio alia, quæ ex eventibus in-
numeris visis in brutis elici posset.
Ratio haec est, conspici sæpissimè,
quavis parte bruti puncta, bruti
pedes statim moveri: quod sic ac-
cidere non posse videtur, nisi ea-
dem numero anima, quæ partem
punctam informat, etiam crura bru-
ti informasset. Unde contingat,
cum idem numero totum sit, quod
punctionem sentiat, & motum exer-
ceat statim cum pungitur animal,
ipsum moveri. Ulteriusque infer-
re liceat, brutalem animam indi-
visibilem esse, id enim est indivisibili-
lem esse, quod totam cuivis parti
corporis adesse.

Hoc argumentum jam superius
objectum, & solutum est, per hoc,
quod ut non inconvenit, inducta
certa qualitate à magnete in cer-
tam portionem ferri, totum ferrum
propter continuitatem partium mo-
veri versus magnetem: sic non in-
convenire, nervosis partibus bruti
punctis, per continuitatem inter il-
las,

las, & nervosas partes crurium, cùm omnes à cerebro, vel dorso oriantur, reliquas moveri ex proprietate indita à natura illis partibus, ut cùm talis unitatis solutio in parte nervosa contigerit, taliter crurium nervos, constituentes musculos eorundem crurium movendos esse.

Et ne ullus credat, hanc solutionem esse à me fictam, ut vitem argumenti vim, & non quòd ita res habeat, ut à me est assertum, experimenta proponam nonnulla, quibus manifestum sit, aliqua bruta, quæ necessariò omnes fateri teneantur, animabus quantis dotata esse, hoc habere, quòd si pungantur, statim partes motrices quantumvis distantes à partibus punctis, moveant. Et sit primus evenitus, qui in colubris visitur, quorum caudæ abscisæ, moveri, si pungantur, cernuntur, ut ante abscisionem movebantur, cùm caput, vel alia proxima capitis pars, et si quam maximè à cauda distasset, pungetur, ut Aristot. primo de Anima, textu commenti 67, referebat, inquiens: [Plantæ autem, & animalium multa divisa vivunt: & videntur eandem animam habere.] Quam esse quantam, statim ostendam. Secundum sit, quod ab eodem asseritur de insectis animalibus primo de Anima, textu comment. 92. & duobus sequentibus, id hujusmodi est: [Videntur autem & plantæ decisæ vivere, & animalium quedam insectorum tanquam eandem habentia animam specie: & si non numero: unaquaque quidem partium sensum habet, & moveretur secundum locum in quoddam tempus. Si autem non permanent partes abscisæ, nullum inconveniens est, instrumenta enim non habent, quibus salvent propriam naturam. Sed nihilominus in utraque partium omnes existunt

partes: & similis speciei sunt adinvicem: & toti adinvicem quidem: sicut, quæ non separabiles sunt. Tota autem anima tamquam indivisibili existente.] Quasi in his ultimis verbis Aristot. dixisset, in utraque partium abscisarum omnes vires animæ infecti sunt (facultates enim animæ partes animæ appellat) & similis speciei sunt adinvicem, & toti quoque, ut formæ aliae, quæ non separabiles sunt à materia: ignis enim partes omnes mutuò ejusdem speciei sunt, & toti igni specie similes. Tandem inquit totam animam horum insectorum, similem videri esse indivisibili animæ. Et supple, non est. Impossibile enim erat dicere omnino similem esse indivisibili animæ: cum parum supra dixerat, partes insectorum eandem specie animam habere, numero tamen non eandem. Nam rationalis anima, quæ indivisibilis est, sic diversas partes humani corporis informat, ut eadem numero adsit illis diversis partibus, & sit tota in toto, & tota in qualibet parte, ubi expressè Aristoteles fatetur relata infecta quantas animas habere: & tamen aliquibus partibus punctis, alias distantes statim moveri. In libro de Juventute & Senectute, cap. primo, etiam testatur Aristoteles, ablato capite infecta vivere. Et quod majus videatur, in libro eodem, & capite relato, detracto corde etiam vivere, & diu moveri testudines profert. Quæ omnia si animam indivisibilem ipsa haberent, non posset illis contingere: ut etiam sensu privari facile deducetur à quocumque, qui antecedentia de hoc negotio à nobis scripta ad unguem conceperit. Et quamquam ex relatis possem elicere rationem ultra Aristotelis autoritatem annotatam, qua confitaret animam prædictorum animalium

lium esse quantam, mittendum videtur, ut quod Augustinus expertus est in vermiculo quodam ex hujusmodi insectis, scribam: quia illo experimento apertior erit brutalis animæ quantitas. Illud erat, quod in libro unico de Quantitate Animæ ipse refert cap. 31. cujus verba, quæ sequuntur, sunt: [Cum enim nuper in agro essemus Liguriæ: nostri illi adolescentes, qui tunc mecum erant, studiorum suorum gratia, animadverterunt humi jacentes in opaco loco reptantem bestiolam multipedem, longum dicam quandam vermiculum, vulgo notus est. Hoc tamen quod dicam numquam in eo expertus eram. Verso namque stylo, quem forte habebat unus illorum, animal medium percussit, tum ambæ partes corporis ab illo vulnera in contraria discesserunt, tanta pedum celeritate, ac nihilo imbecilliore nisi, quam si duo hujuscemodi animantia forent. Quo miraculo exterriti, causæque curiosi, ad nos ubi simul ego & Alpius considerabamus, alacriter viventia frusta illa detulerunt. Neque nos parum commoti, ea currere in tabula quaquaversum poterant, cernebamus: ac unum eorum stylo tactum contorquebat se ad doloris locum, nihil sentiente alio, ac suos alibi motus peragente. Quid plura? Tentavimus quatenus id valeret, atque vermiculum: immò jam vermiculos in multas partes concidimus, ita omnes movebantur, ut nisi à nobis illud factum esset, & comparerent vulnera recentia, totidem illos separatim natos, ac sibi quemque vixisse crederemus.] Et ne quis putet, quæ à me dicenda sunt, conformia futura Augustini decreto de re hac, ideo quam infra scripsit sententiam transcribo: [Primum illud dico, si maximè causa lateat,

cur in concisione quorundam corporum illa contingent, non continuò nos hoc uno ita perturbari oportere, ut tam multa, quæ, superius luce clariora tibi visa sunt, falsa esse arbitremur. Fieri enim potest, ut hujus rei causa nos lateat, quæ vel humanæ naturæ occulta est, vel si alicui homini cognita, nec iste à nobis interrogari possit, aut etiam hoc ingenio simus, ut satisfacere nobis interrogatus non possit. Numquid nam ex eo quidquid ex contraria parte firmissimè didicimus, ac verissimum esse confitemur, labi nobis, atque extorqueri decet? Atqui si illa manent integra, quæ interrogatus certa, & indubia esse respondisti, nihil est, quod istum vermiculum pueriliter metuamus: quamquam vivacitatis & numerositatis ejus causam non valeamus afferre. Si enim apud te de aliquo fixum immotumque constaret, quod esset vir bonus, cumque in latronum convivio, quos persequereris, deprehenderes, atque aliquo casu antequam abs te interrogari posset, moreretur, quamlibet causam putares potius illius cum sceleratis conjunctionis, atque convivii, etiam si te semper lateret, quam scelus & societatem. Cur ergo non cum tam multis argumentis superius æditis, atque abs te firmissimè comprobatis, planum tibi factum sit, non loco animam contineri, atque ob hoc nullius talis esse quantitatis, qualis in corpore cernimus, aliquam suspicaris esse causam, cur nonnullum animal concisum in omnibus partibus vivat, non eam tamen quod cum corpore anima concidi potuerit? Quam si reperire non possumus, nonne querenda est potius vera, quam falsa credenda? Deinde quero abs te, utrum putas in verbis nostris aliud esse ipsum so-

num,

num, aliud quod sono significatur? Ad. Ego utrumque idem puto. Aug. Dic mihi ergo sonus ipse unde procedat cùm loqueris? Ad. Quis dubitet à me procedere. Aug. Abs te ergo Sol procedit, dum nominans Solem? Ad. De sono me, non de re ipsa interrogasti. Aug. Aliud ergo sonus est, aliud res quam significat sonus, tu autem utrumque idem esse dixeras? Ad. Age jam concedo aliud esse significantem sonum, aliud rem quæ significatur. Aug. Dic ergo utrum possis gnarus Latinæ linguæ nominare in loquendo Solem, si non intellectus Solis præcederet sonum? Ad. Nullo modo possem. Aug. Quid antequam ipsum nomen dei ore procedat, si volens id enuntiare aliquandiu te in silentio teneas, nonne in tua cogitatione manet, quod expressa voce alius auditurus est? Ad. Manifestum est. Aug. Quid cùm ipse Sol tantæ sit magnitudinis, num illa notio ejus, quam cogitatione ante vocem tenes, aut longa, aut lata, aut quid ejusmodi videri potest? Ad. Nullo modo. Aug. Age jam dic mihi, cùm ore ipsum nomen erumpit tuo, atque id ego audiens Solem cogito, quem tu ante vocem, & cum ipsa voce cogitasti, & nunc fortasse ambo cogitamus, nonne tibi videtur nomen ipsum veluti accepisse abs te significationem, quam ad me per aures deportaret? Ad. Videtur. Aug. Cùm ergo nomen ipsum sono, & significatione constet, sonus autem ad aures, significatio ad mentem pertineat, nonne arbitraris in nomine velut in aliquo animante sonum esse corpus, significationem autem quasi animam soni? Ad. Nihil mihi videtur similius. Aug. Attende nunc: Utrum nominis sonus per literas dividi possit, cùm anima ejus, id est, significatio non possit?

Tom.I.

Si quidem ipsa est, quam paulò ante in nostra cogitatione nec latam, nec longam respondisti tibi videri. Ad. Prorsus assentior. Aug. Quid cùm per literas singulas sonus ille dividitur, videtur tibi significationem illam retinere? Ad. Quomodo possunt singulæ literæ significare quod nomen, quod ex his confectum sit, significat? Aug. At cùm perdita significatione disceptus in literis sonus est, num aliud putas esse factum, quam dilaniato corpore discessisse animam, & quasi mortem quandam nominis contigisse? Ad. Non solum assentior, sed ita libenter, ut nihil me magis in hoc sermone delectaverit. Aug. Si ergo satis perspexit in hac similitudine, quomodo possit dissecto corpore anima non secari: accipe nunc, quomodo frustra ipsa corporis, cùm anima secta non sit, vivere possint. Jam enim concessisti, & rectè, ut opinor, significationem, quæ quasi anima soni est, dum nomen editur, per seipsum nullo pacto dividi posse, cùm ipse sonus, qui velut corpus ejus est, possit. Sed in Solis nomine ita soni est facta divisio, ut nulla pars ejus significationem aliquam retineret. Itaque illas literas dilacerato corpore nominis, tamquam ex anima membra, id est, significatione parentia considerabamus. Quam ob rem si aliquod nomen invenerimus, quod divisi queat etiam singulis partibus quidpiam significare, concedas oportet, non omnimodam veluti mortem tali præcisione factam esse. Cùm tibi membra separatim considerata quidlibet significantia, & quasi spirantia videbuntur? Ad. Concedam omnino, & ut jam id ipsum sones flagito. Aug. Accipe: Nam dum viciniam Solis attendo, de cuius nomine superius egimus, lucifer mihi occurrit, qui profecto

L

in

inter secundam , & tertiam syllabam scisus nonnihil priore parte significat , cum dicimus luci , & ideo in hoc plus quam dimidio corpore nominis vivit. Extrema etiam pars habet animam. Nam cum fentre aliquid juberis , hanc audis. Qui enim posses obtemperare , si quis tibi diceret , fer codicem , si nihil significaret fer , quod cum additur luci , lucifer sonat , & significat stellam. Cum autem demittitur , nonnihil significat , & ob hoc quasi retinet vitam. Cum autem locus , & tempus sit quibus omnia , quae sentiuntur , occupantur , vel potius quae occupant , quod oculis sentimus per locum , quod auribus per tempus dividitur. Ut enim vermiculus ille plus loci totus , quam pars ejus occupat , ita majorem temporis moram tenet , cum lucifer dicitur , quam si luci tantummodo diceretur. Quare si hoc significacione vivit in ea diminutione temporis , quae diviso illo sono facta est , cum eadem significatio divisa non sit. Non enim ipsa per tempus distendebatur , sed sonus : ita existimandum est secto vermiculi corpore , quamquam in minore loco par eo ipso quo pars erat vivebat , non omnino animam sectam , neque loco minore , minorem esse factam , licet integri animantis membra omnia per majorem locum correcta simul possederit. Non enim locum ipsa , sed corpus , quod ab eadem agebatur , tenebat , sicut illa significatio non distenta per tempus , omnes tamen nominis literas suas moras , ac tempora possidentes , velut animaverat , atque compleverat. Ac similitudine inter contentus sit peto , qua te sentio delectatum : quae autem subtilissime de hoc disputari possunt , ita ut non similitudinibus , quae plerumque fallunt , sed rebus ipsis satisficiantur.

fiat , ne in praesentia expectes. Nam , & concludendus est tam longus sermo.

Hanc , quam audistis dubii hujus solutionem ex Augustino , per quam frivolam esse , nullus est , qui ignoret , cuius imbecillitatem paucis ostendam , quod idem Augustinus in ultimis verbis citatis , etiam hoc confiteri , videatur. Quid enim ad reddendam causam quomodo vermiculi quaevis pars secta vivebat , & movebatur , atinebat vocem esse divisibilem in partes significativas , aut non , & significacionem esse similem animae? Quo enim modo significatio vocis ad placitum institutoris sic , vel aliter significans , quid a se , & suis partibus realiter distinctum , conferenda erat animae , quae naturaliter informat animatum corpus. Cum rebus enim naturalibus , & anima indivisiibili participibus collatio facienda erat , si sufficienter ostensus erat animae vermis illius individualitatem : quod efficere nequam valeret. Quia non tantum falsum , sed naturaliter impossibile est , bruti animam indivisiibilem esse. Deceptus est enim in hoc Divus Augustinus credens , ut Plato omnibus animabus brutorum convenire indivisibilitatem , & Angelorum , ac demonum naturas corporeas esse. Nec mirandum. Non enim (ut Erasmus fatetur) fuit Divus Augustinus nutritus in Aristotelicis dogmatibus , ut in Platonieis. Etiam quod vir sanctissimus plus theologicis negotiis vacavit , quam physicis atque in illis adeo profecit , ut tam multa , quanta Ecclesia fatetur , illi debeamus aut potius ejus conditori , a cuius perenni fonte tam abundantissimum flumen emanavit. Sed hoc misso , ut redeamus probare quantitatem animalium brutorum ex Aris-

Aristotelis, & Augustini experimentis.

Notandum primò ex utriusque Authoris assertis, illorum insectorum, quorum partes abscisæ vivunt, quamlibet partem punctam contrahi, & moveri, ut quæ motu velit inferentem plagam vitare, ut totum ante incisionem, si feriebatur, efficere erat solitum, in utroque eventu contingente unam partem pungi, aliaque, putà pedes, statim moveri. Quod si ratione indivisibilitatis animæ accidisset, non tantum confitendum erat totius vermis relati ab Augustino animam esse indivisibilem, sed, & cujusvis partis etiam animam non quantam esse, quòd experimentum quo in toto verme indivisibilitas animæ asseverabatur in parte etiam par erat. Sed si id confiteatur aliquis, nonne non videt iste, quamplurima impossibilia statim sequi? Primò quòd vel illæ animæ diversarum partium vermiculi divisæ essent una numero, aut diversæ: ut Petri anima distincta est à Joannis anima. Si diversæ, sequitur incisionem tantum sufficere, ut multa simul contingent, quæ non nisi vi agentis naturalis in multo temporis spatio fieri sunt solita, hoc est, esse causam sectionem, ut anima totius vermis desinat informare vermis corpusculum, cùm scilicet, ex divisione in æquas portiones, duæ animæ loco illius gignerentur. Nam ulla ratione possemus asseverare in altera partium animam, quæ præfuit, manere, cùm non esset posterior ratio cur magis in una quàm in alia. Sed corruptio animæ illius vermiculi, & generatio aliarum non solet à natura fieri in tam exiguo tempore, ut est, quod inter abscindendum vermem, solet pertinisci: ergo, ut intuleram, multa contingent ex incisione, quæ non

nisi diutino tempore sunt solita à natura fieri. Sed hoc levi inconveniente transgresso, ad alia impossibilia, quæ sequuntur, transeo. Si ve enim anima vermis maneat in altera partium sectarum ex tribus, vel quatuor, sive non, sequitur primo partes illas, quæ amiserunt priorem animam, aliam ejusdem speciei acquisivisse statim, ut prior est corrupta: & quòd habitibus præsentibus in materia non cessaverit motus, quod esse impossibile quis ignorat?

Si, ut fugiat aliquis hujus argumenti vim, dixerit, animas, quæ in partibus sectis gignuntur, differre specie à priore corrupta, primò incident in hoc, quod quam maximum inconvenit, putà, quòd verum non sit, majus, & minus non variare speciem. Consequentia deducitur, divisa parte media vermis, quæ quasi uniformis per totam est, in duas alias partes, qualibet partium non differret à suo toto in alio, quàm in magnitudine. Sed hæc, ut dixi, non testatur specificam differentiam. Pygmæi enim quantumvis pusilli sint, ejusdem speciei cum gigantibus sunt, ergo illatum sequitur. Secundò etiam aliud, quod non minus inconvenit, sequetur, esse incisorem causam, quòd statim, ut ipse incindit in tres, vel quatuor portiones vermem, tres, vel quatuor spiritales substantiae gignantur. Consequentia est nota, quòd animæ vermium si non quantæ sunt, spiritalis naturæ dicendæ erunt: et si illæ partes iterum secantur, etiam totidem animarum spiritalium genitor dicendus erit sector, quot sectiones factæ fuerint. Quod, ut dixi, absurdum est. Et ne tempus improbando hujusmodi figura consumam, aliud, quod dici poterat, improbemus, esse scilicet, animam, quæ universas

partes sectas informat, unam numero, ut nos dicimus, esse pedis hominis animam eandem numero cum brachii anima: quod absurdum mendacium esse, unica ratione ostendo.

Si anima eadem numero est in diversis partibus vermis secti, sequetur ergo, quod non tantum pars vermis, quae pungitur, contrahenda, & movenda esse, ut fugeret ab illatore plaga: sed etiam omnes aliae contrahendae, & movendae essent. Consequentia est nota. Si quia anima hominis est eadem numero in pede, & manu, puncto pede, porrigitur statim manus, ut aculeus extrahatur: & quia vermis anima (ex adversorum assertis) est eadem in pedibus, & reliquo corpore, si pungitur corpus, pedes eandem numero animam habentes, celeriter moventur, ut fugiant pungentem: cur etiam similitudine omnimoda servata, si pungitur altera pars secta, alia etiam quantumvis distet, si eandem numero animam habet, non contrahetur, & fugiet? Sed hoc numquam accidit, sequitur ergo, non esse animam eandem utraque in parte, sed distinctam, ut ligni partes distinctae sunt, & lapidis, & ceterorum quantorum. Aliud etiam impossibile sequitur, aliquod idem numero, in distinctis, & nulla continuitate unitis locis esse: quod nisi miraculo fiat, nullus aliter fieri posse, testatur. Et etiam à supremâ vi, id fieri posse, non defuit, qui dubitaverit, aut, ut apertius loquar, qui negaverit.

Sufficient hæc ad manifestè probandum insectorum animas quantas, & divisionem patientes esse: & quod ut hæc infecta ante sectionem, eti animam divisibilem habent, aliquas partes movent, aliis plagam sustinentibus ratione continuitatis

partium, ut suprà dixi, quod sic quæcumque alia bruta etiam quantum animam habentia per illationem plagarum moveantur.

Ex quibus omnibus etiam aperi-
tissimum manet dubium illud de
vermiculi partibus sectis viventi-
bus, & progradientibus: quod Augustinus seductus, & credens omnes animas indivisibiles esse, tantopere extollit. Paucis enim verbis absolvit jam potest, dicendo ob id diversas partes illas moveri, quod habeat earum quælibet ani-
mam, eti non eandem numero cum anima totius, eandem tamen specie: & quod velut ignis tripeda-
lis sursum moveri cernitur, & in tres pedalites divisus etiam ea-
rum quælibet sursum repere con-
picitur, ita vermis tridigitalis mo-
vetur, & sectus in tres digitalita-
tes, earum quævis quoque agitur,
& locum mutat.

Interest tamen, quod quia ignis est agens merè naturale, & vermis partes sunt agentes vitales, illæ, & suæ partes solum sursu*m* repunt, quamquam aliis, & aliis aëris me-
diis, hæ vermiculi sectiones per di-
versa media aguntur, & nonnum-
quam sursum, quandoque deor-
sum, prout, vel species objecto-
rum impressæ in facultatibus pro-
portionalibus nostris sensitricibus inclinant, aut prout phantasmatæ specierum olim receptarum natu-
raliter in aliud, vel aliud locum natæ sunt movere vermem.

Sed supereft dubia duo dissolve-
re. Unum est, si vermiculi partes sectæ ex meis confessis ab specie præsentium, vel à phantasmatæ af-
servato moventur: cur omnes par-
tes versus unam loci differentiam non aguntur, & non in diversas, & omnino contrarias, ut Augustinus testatur expertum fuisse?

Secundum, si phantasmatibus agun-

aguntur partes sectæ , qualiter verum esse possit , partes abscisæ , & capite privatas illis moveri. Nam deesse videtur locus , ubi phantasmata asserventur , cum cerebrum esse hunc , suprà diximus , ac probavimus , etiam deerit pars proportionalis nostræ cognoscenti abstractive , propter cerebri defectum.

Ad primum dubium dicimus , quod ut duæ muscæ conjunctæ in diversas partes moventur , quod vel species , quæ inducuntur in unam , in aliam non valeant induci , quia illa , quæ recipit species , obstaculum est , ne in aliam inducantur , vel quod phantasmata alia si eis aguntur , in aliud locum inclinent magis unam quam alteram. Sic duæ partes vermis secti , quæ tantum numero ut duæ muscæ differunt , in diversas partes moveri videntur.

Secundum dubium dissolvimus per Aristotelis sententiam 3. de Anima , text. comment. 56. & text. comment. 48. testantem in utroque loco phantasmibus nonnumquam bruta moveri : & in primo citato contextu dicentem , illa irrationalia , quæ tantum sensu tactus participant , indeterminatam phantasiam habere , ut per hoc significet , quod non illis brutis contingit , quod nobis , & animalibus perfectis : putè solùm certam particulam cerebri deputatam habere ad custodienda phantasmata , quæ in ipsa , vel alia fiunt. Sed quod indeterminate in quavis parte phantasmata fiant , & asserventur , quod non tantum illis , quæ solùm tactum habent , convenire certum est , sed , & insectis , & omnibus , quorum partes abscisæ vivunt , ut Aristot. & Augustini experimenta testantur. Moventur nempè haec à phantasmibus in particulis sectis asservatis , quando non à præsen-

tibus objectis , & prout accidit hoc aut illud phantasma illam , vel aliam partem sectam occupare , sic taliter , aut aliter partium quælibet movetur.

Ostensum à me sufficienter puto brutorum animas quantas esse , idèo rationem illam prosequor , qua hominum animas perpetuas esse probabam , ex hoc , quod indivisibiles sint , totæ scilicet , in toto homine , & totæ in qualibet parte eiusdem. Et hoc non aliter faciam , quam rationem , quam Arist. 2. de Generatione animalium , cap. 3. tradidit , sufficienter explicando , etiam quod deest (quod non parum est) addendo. Sententia hujusmodi est : [Quorum enim principiorum actio est corporalis , hæc sine corpore inesse non posse certum est , verbi gratia , ambulare sine pedibus. Itaque extrinsecus ea venire impossibile est , nec enim ipsa per se accidere possunt , cum inseparabilia sint , nec cum corpore. Semen enim excrementum alimenti mutati est. Restat igitur , ut mens sola extrinsecus accedat , eaque sola divina sit. Nihil enim ejus cum actione communicat actio corporis .] Idem , etsi sub aliis verbis , primo de Anima , text. comment. 52. scriperat , inquiens : [Tantum contingens sit secundum Pythagoricas fabulas quamlibet animam quodlibet corpus ingredi simul , itaque dicunt aliqui , sicut quis dicat Rheticam in fistulis ingredi. Oportet enim artem in organis , animam autem in corpore. Videlur enim unumquodque propriam habere speciem , & formam .] Etiam secundo de Anima text. comment. 11. cùm dixit : [Quod quidem igitur non sit anima separabilis à corpore , aut partes quædam ipsius. Si partibilis apta nata est , non immanifestum est. Qua-

rundam enim actus partium ipsorum at vero secundum quasdam nihil prohibet, propter id, quod nullius corporis sunt actus.]

Utque faciliter Aristotelis contextus ducti percipientur, paucis verbis a me Paraphrasticem explanabuntur, ac deinde ratio formaliter. Textus ergo secundi de Generatione Animalium, cap. 3. sententia haec erit. Quaecumque principia quarumvis operationum corporalium sine corpore esse nullo modo possunt. Extrinsecus accedere impossibile est. Sed omnium animalium operationes corporales sunt, praeterquam mentis, ergo sola haec extrinsecus accedet. Consequentiae bonitas nota est, ut infra ostendetur. Major exemplo & ratione probatur. Exemplo, ut actus ambulationis sine pedibus esse non valet, & cantionis sine gutture. Ita nullus aliis corporalis actus sine corpore esse valebit, implicat enim esse actum corporalem sine corpore. Ratione, quod nec principia haec actionum corporalium sic provenire intelligi possunt, ut ipsa & corpus seorsim accident, & post conjungantur, quod frustra esset factum principium corporalis actionis, si instrumentum, putam corpus, quod principio illo movendum erat, non esset, & adeo simul corpori adesset, ut corpus moveare posset. Ut frustra corpus organicum gignendum foret, si principium moturum defuisse. Nec etiam aliter, putam, ut simul in semine, ex quo animal fit, illa advenient, cum semen inartificiosum sit, & nulli organicae operationi conforme, quod sit excrementum, &, ut solet dici, superfluum in quanto alimenti jam ultimè concocti, & tantum sufficiens, ut ex eo velut ex materia, vel ab eo, ut ab efficiente, principium corporalis

actionis, & corpus ipsum orientur, & non ut in eo ambo formaliter maneant. Minorem, in qua tota vis rationis consistit, Aristoteles non probavit, nec ego ad praesens probbo, quia infra sufficienter fulcitur. Transeamus ergo alium contextum primi de Anima, text. comment. 52. etiam per Paraphrasin, quae sequitur, explicare. Tantquam possibile sit, ut Pythagoras fabulosè referebat, quamlibet animam quodlibet corpus ingredi valere, non intelligens hic, & qui consimilia fabulantur, adeo absurdum dicere, ut si quis affirmasset Rheticam inclusam in fistulis, ipsas efficere sonare, aut musicam malleos informantem, eos movere, expeditum enim diversis artibus diversa organa, ut diversæ animæ distincta corpora requirunt. Nempe Rheticum poscit vocis humanae organa concinna, ut musica haec eadem, vel fistularum, aut cithararum, sive aliorum musicorum instrumentorum fabricam decentem, & leonis animam tales decent ungues & dentes, & cætera organa ad talēm saevitiam exercendum, & columbae animam diversam corporis harmoniam decet, ut propriam mansuetudinem exequatur. Et ne tempus consumam explanando reliquum contextum planissimum, ideo ad minorem rationis Aristot. roborandum accingor, quod nem dum ille, sed omnes quotquot ego legi authores hanc minimè probaverem. Prius tamen vos monendo, falsam fuisse correptionem contextus primi de Anima modo a nobis expliciti, que in Codicibus impressis per Juntas anno præterito 1552. legitur, ubi loco Rheticæ, tectonicam transcriptum est, ut velit dicere in fistulis tectonicam, id est, artem faciendi tecta ingredi, minimeque immorari improbando hanc trans-

translationem placet, quod notissima sit ex nostra expositione veritas antiqua, & falsitas præsens. Ut minoris ergo sententia illucescat, quæ hæc erat, sed omnium animarum operationes corporales sunt, præterquam mentis, visum mihi est illam apertissimè explicare, quod non adeò perspicua sit, ut ab Aristotele sine probatione linquenda esset, cum adversi protervire possent, etiam mentis operationes corporales esse. Expedit tamen primus bonam esse illam consequentiam ostendere: Si operationes aliquujus formæ sunt sine corpore, cui insunt, formam illam sejungibilem à proprio corpore esse, & manere sine illo posse. Nam si hæc bona non est, incassum minoris veritas erit ostensa. Et in primis, quod illatio imbecilla sit, non levi ratione appareat. Accidentales formæ, quæ violenter in subjectis inducuntur, ut caliditas in aqua, vel ferro, calefaciunt extrinseca passa, non concurrentibus ad actionem aqua, nec ferro, quæ subjecta caloris sunt, quod illa potius frigiditatem quam calorem produxissent: ergo ut in hujusmodi eventibus opus illud sine proprio corpore subjecto fit, cum esse caliditas operans sine corpore non valeat, ita etiā anima sine corpore operaretur, non ob id affirmandum esset statim sequiturum ipsam sine corpore persistere posse.

Hæc tamen in bonitatem consequiæ objectio, cuidam falsæ hypothesi innititur, huic scilicet, quod qualitates contrariae conservationi alicujus subjecti operantur sine subjecto. Quod etiā aliqui physicorum verum esse testentur, impossibile ita esse in præsens ostendam.

Quodvis esse principium est operationis pendens ab illo, sed esse dispositionum inhærentium subjec-

to repugnanti pendet ab esse subjecti, cui insunt, cum accidentis esse sit inesse, ut per hoc palam intelligatur accidentis nullum esse habere, quam quod ex subjecto, cui inest, acquirit, ut Aristot. 7. Topicorum, cap. 3. inquit. Et 1. Physic. text. commenti 14. Et 7. Metaphysic. text. comment. 13. & 12. Metaphysic. text. comment. 3. & text. comment. 25. & plurimis aliis locis. Ergo de primo ad ultimum operatio accidentis inherenteris pendebit à subjecto corporeo, cui inest. Quod probate promisseramus.

Scio hanc rationem, qua solvitur objectio contra bonitatem consequiæ factæ, refringi posse, per hoc, quod adversus testetur, verum esse accidentales formas illud habere, quod suum esse, & operari, habeant à subjecto, cui insunt. Sed substantialibus formis id non competere eo modo ut accidentalibus, nam formæ mistorum sic insunt elementis constituentibus mixta, ut esse earundem non possit pendere ab elementis, quod elementa multo formis mistorum imperfectiora non possint producere formas misti, nec productas ab alia causa conservare in esse, ut Sol lumen, & lux calorem à se producta conservant, Sol enim & lux multo perfectiora sunt conservatis ab eisdem: Ideo conservare minus se perfecta possunt. Sed formarum misti existentia perfectior quam elementorum, implicat pendere ab elementis, ut neque gigni ab eisdem potest, ut supra jam ostendimus in priore parte hujus nostri operis. Ex quo adversi inferent, animam rationalem posse efficere aliquas operationes, & suum esse non pendere à corpore, ut à conservante, ut diximus de misti formis, & tamen non ob hoc dicendam rationalem animam separabilem,

lem esse à corpore, & manere sine corpore posse, ut neque mistorum aliorum formæ separabiles sunt à proprio elementari subjecto, etsi à proprio subjecto ipsa non pendeant, ut diximus.

Porrò quamquam aliqualem verisimilitudinem præferat ratio relato, ad refringendam nostram bonam illationem, re tamen ostensio nullius valoris est. Confitemur enim formas substantiales quantas mistorum non pendere in esse nec conservari à propriis subjectis, eo modo, ut lux à sole, aut species ab objecto producente, aut accidentia à substantia subdita pendent, sed alio peculiari, & distincto à prædictis dici ortum trahentia à subjectis, ac ille est, de quo supra cum agebamus de eductione formarum de potentia materiæ, diximus, putà dici aliquam formam pendere à materia tali dispositione affecta: quia si taliter non esset disposita, deessent illi instrumenta, per quæ præcipua ejusdem operationes exercearentur, partium, scilicet, amissarum restitutio. Nempe hæc est causa, cur merito refrigerato igne corrumpatur, quòd deficit illi calliditas tanta, quanta necessaria est, ut ignem similem evanescenti gignat. Etiam ob id plantæ anima naturaliter, ac rationabiliter amittitur, quia defint illi dispositiones, quibus ex alimento partes resolutas restituere valeat. Et propter consimilem rationem animalium forma sensitiva appellata (quòd organa proportionalia nostris sensitivis habeat, & non quia sentiat) proprium corpus deserit, & corrumpitur. Cum enim à morbo, vel à causa procatartica, sive à senectute dispositiones amittuntur, quibus, quæ à corpore diffabantur per actionem nativi caloris, assueta erant restitui, tunc

anima brutalis corpus deserit, aut proprius ipsa corruptitur. Quòd ergo ob defectum prædictarum qualitatum corrumpantur formæ quantæ, quæ inesse non pendent à subjectis, ut explicui, non infert similitudinem in anima rationali, ut indè inferre liceat, etiam si ipsa non pendeat à corpore in operando posse corrupti, dispositionibus vitiatis. Nam hominibus non idem contingit, quod reliquis misticis: sic enim pars misticæ diffalatur, & corruptitur, ut cùm ipsius forma quanta sit, etiam simul corrumpatur partis, quæ evanescit, forma, animæ rationali hoc minimè contingente. Sed quòd cum quævis pars humani corporis per actionem nativi caloris digeritur, & in halitum sive vaporem vertitur, anima informans non amittatur, sed vel illi corporali parti adesse definat, & in cæteris, in quibus prius erat, persistat, vel loco partis desperditæ, cui aderat, alteri de novo dispositæ adesse incipiat. Quod sic esse, ut nunc à me asseritur, etsi notissimum sit, in sequentibus rationibus apertius ostendam. Quam ob causam ut ipsa sine corpore potest præcipias operationes exequi: sic sine eodem potest manere, quia non ab eo pendet inesse, & conservari, ut accidentia à subdita substantia, nec eget subjecti dispositionibus, ut restituat partes amissas, quòd anima rationalis indivisibilis cùm sit, ut demonstrationibus in hoc opere probavimus, nullas partes habet, quas amittere possit. Undè consequentæ bonitas patet, minoris ergo veritatem ostendo, putà, quòd sine corpore quæplures operationes rationalis anima exequatur.

Porrò humana anima non tantum intelligendi operationes sine corpore efficit, verum, & sentien-

di : sed relatæ sunt complures , & præcipuæ inter eas , quæ ab illa fiunt , ergo plures , & præcipuæ rationalis animæ operationes sine corpore , cui inest , ab eadem exercentur , quod minor asserebat . Consequentæ bonitas , & minoris veritas notissimæ sunt . Majoris veritatem ergo probemus . Primo per hoc , quod cum ostensum in antecedentibus sit , necessariò sentiendo ; vel intelligendo indivisibiliter animam operare , corpore quanto , & divisibili uti , ut instrumento , nullo modo poterit . Quamquam enim ipsa in operationibus nutraktionis , quæ transentes sunt , & passa quanta poscunt , corpore quanto utatur , in his , de quibus agimus , impossibile est eo uti . Quia vel eo utetur ut instrumento attingente operationem sentiendi , aut intelligendi , aut ut non assequente has operationes . Si ut attingente , sequitur statim impossibile quoddam , minus perfectum putà quantum corpus posse attingere se perfectius , scilicet , modum se habendi substantiæ spiritalis , sensationem nempè , & intellectionem , talem modum esse , ostensum est in antecedentibus , ubi probavimus , animam sensitivam seipsum animadvententem affectam speciebus dici sentientem , & intellectivæ differentiam ab hac ostendimus . Verum si testetur adversus animam rationalem ut corpore ut instrumento non assequente operationem , jam ex suis verbis palam elicetur sine eodem esse posse . Quæ enim hujusmodi sunt , nullo modo requiruntur ad esse operantis . Medium enim illustratum , et si requiratur , ut coloris speciem suscipiat , non requiritur , ut color sit . Quantumvis enim tenebrosum medium sit , color in subjecto cui inest , persistit , ut sapor in re saporosa , quam-

vis lingua sui species non suscipret . Et sic de aliis mediis aliorum sensibilium opinandum .

Scio statim , ut hæc à quovis legantur , objiciendum adversus me rationem hanc : Impossibile esse humanam animam non uti corpore , & ejus dispositionibus ut instrumento attingente operationes sentiendi , & intelligendi , eventibus docentibus ad cornea tunicae densitatem justo majorem visionem deperdi , aut vitiari , ut ad uvae foramen apertius , & ad aliarum particularum constituentium oculum lesionem multa symptomata accidere , ut quoque ad cerebri immodicam caliditatem , & siccitatem certa deliria oriri , ut ad superfluam frigiditatem , & siccitatem alia : quæ omnia minimè contigissent , nisi hujusmodi dispositionibus corporalibus attingentibus operationes anima uteretur . Si enim illæ non attingissent operationes animæ , non esset , ut quid vtiarentur ipsæ , ob vitium corporalium dispositionum .

Non adeò levis est hæc objectio , ut ea non sit fermè convictus Galenus testari , temperiem cerebri , esse mentem ipsam : qui facilis confiteretur , dispositiones corporeas attingere operationes sentiendi , & intelligendi . Sed quamquam adeò indoctè Galenus hoc senserit , nos veritatem paucis illustrabimus . Primo ostendendo , quām levi cavillo decepti sint , qui prædictis irretiuntur . Secundò monstrando , qualiter verum sit , quod nos asseruimus . Certè si ratio , qua decipiuntur , ullius esset valoris , non tantum intrinsecis corporeis dispositionibus uti animam ut instrumentis attingentibus sensationem , & intellectionem dicturi erant , sed , & extrinsecis , putà , medii decentibus , & indecentibus affectibus . Porro

si aer ex lucido tenebrosus redditur, visio objecti distantioris omnino aufertur, & propinquioris viatatur, etiam si sensibus perspicilla, quae decent, coram oculis admoventur, ea ipsi vident, quae prius non cernebant, etsi alia non convenientia, aut nulla approximantur, ipsi non conspicunt, multaque cum juvenes erant, cernere erant soliti. Ergo ex assertis adversis medium illustratum, & perspicilla dicenda essent instrumenta attingentia operationes sentiendi: sed id est absurdum, ergo, & antecedens, ex quo illatum illud est.

Secundò sentiendi, & intelligendi operationes immanentes sunt. Sed in his nulla humana forma utitur propriis dispositionibus, cum potius ab exterioribus sensatis, & intellectis, sensationes fieri dicantur ab illis, qui putant esse has actiones quid distinctum ab anima, quam ab eadem. Ergo si in his, quae sunt præcipuae ipsa non operatur corporeis dispositionibus ut instrumento prærequisito ad illas actiones, sequitur intentum.

Parum nempè conferet ad relatam solvendum rationem, dicere, quod etsi ipsa anima non indigeat prædictis corporeis dispositionibus ad sensationes, & intellectiones exercendas, ipsa objecta sensibilia, & intelligibilia eisdem egere, indeque inferri sine corpore actus relatos fieri non posse: nam jam in antecedentibus sufficienter probavimus sensibilia objecta nec intelligibilia sensationes, nec intellectiones se perfectiores posse produce-re. Puto primæ rationis adductæ bonitatem consequentia, & maiorem, ac minorem sufficienter esse probatas, ideo nos opinantes hac scopum attingisse, ad nonnulla, quæ ex relatis dubia se offerre possunt,

explanandum præparor.

Primumque sit. Si, ut ego sum opinatus, rationalis anima corpore non eget, ut instrumento, quo sentiat, aut intelligat, in quem usum deserviat illud sibi. Secundo. Si verum esset relatum à me, sequi videtur, semper animam intelleturam non tantum te, sed, & extrinseca intelligibilia, cujus oppositum eventus docent.

Primum ergo dubium quodam simili, ut apertius res intelligatur, dissolvamus. Fingenda quippe est rationalis anima informans corpus, esse hominem inclusum in carcere quodam, non aliis parietibus circunseptum, quam reticulo quodam quatuor in locis mutuo propinquis vitrinis quibusdam etiam ultra rete obsitum: qui homo semper sopore quodam correptus esset, nisi tunc cum vel reticulum sensibilitè percutitur, aut per fenestras illas vitinarum, cum pellucidæ sunt, aliquod objectum visibile per unam, aut audibile per alteram, seu gustabile per aliam, vel odorabile per reliquam, sui species inducit, vel cum quedam mobiles imagunculæ, certam partem inclusam intra relatum septum afficiunt: tunç enim experrectus, excitatusque, aut intuitivè retis plagas sentit, vel colores, sive luges, per unam vitinarum videt, aut sapores per aliam, vel odores, aut sonos per residuas, aut abstractivè ab imagunculis percussa particula aliquod relatorum objectorum cognoscit, septo, quo erat circumvalatus, neque exterioribus sufficientibus objectis non aliter ad sensationem concurrentibus, quam qui excitat hominem dormientem, dicitur cognitionis, & intellectio-nis ejusdem causa: non quidem efficiens, sed sine qua sensatio illa facta non esset. Quamquam alia posset,

posset, putà si parum ante, aut post ab alio suis est homo ille excitatus, percipere, quæ tunc offerrentur, valeret: quæ forsitan diversa essent ab illis, quæ post aliam excitationem cognoverat, solo homine, qui dormiebat, existente, suorum actuum sentiendi, & intelligendi vero productore. Nihil mihi se obtulit, quo plus illustrarem ea, quæ evidenter rationibus de anima probaveram, quam exemplo recensito. Anima enim inclusa est intra corpus, quod informat, & penetrativè cum eo existit, quæ reticulo sensu tactus separari merito dicitur, cum cutis eodem particeps totum ambiat corpus, circumeatque. Quatuor quoque vitrini sepitur, putà oculis, aurium, & narium hiatibus, ac oris parte, quæ degustamus. Quæ omnia pellucida esse oportet, id est, decenter affecta, ut propria objecta percipiatur anima. Quo dubium primum dissolvitur. Cum enim queritur, in quem usum deserbit corpus animæ, si nec ad sensationem, nec intellectuionem producendum concurrat ipsum? Respondendum est, ut scilicet, excitet eandem, quæ dum corpus hoc corruptibile informat, nullam rem extrinsecam, nec intrinsecam percipere valet, nisi prius tactus, aut alter ex quatuor recensitis sensibus, vel particula interior, qua affecta abstractive noscimus, alteretur, relatis organis, ut decet, permanentibus dispositis. Tandem ut similitudo in totum procedat, dicamus, quod ut homo, quem fingebam, et si ita creatus esset, ut inclusus relato carcere sentire non valeret, nisi per modum dictum, & corrupto carcere statim in totum expurgisceretur: ita affirmare tenemur, animam, dum vivimus, nihil percipere, nisi prius corpus afficiatur, ac postea

Tom. I.

aliter cognoscere posse.

Sed ne ullus putet, haec à me ficta esse, & nulla probatione inniti, omnia sufficienter esse in antecedentibus demonstrata, & nonnulla in subsequentibus, in praesentiarum ostendam. Primò ostensum superest, cum de modo, quo sentimus egimus, sensationem tantum gigni ab anima post affectionem ab objecto factam, & intellectuionem hanc, vel corpoream alterationem à phantasmate effectam, prærequiri. Quo patet ipsam animam simillimam in hoc esse ficto illi homini in carcere relato inclusu. Ut enim ille excitatur per impulsus in rete factos, aut per affectionem vitrinatum, vel quod ab imaginibus decreta pars interior afficitur: ita humana anima ab objectis tactus, vel aliorum quatuor sensuum, aut à phantasmatis excitari dici potest, cum ipsa tunc taliter se habeat, sentiens, aut intelligens appellata, qualiter prius non se habebat. Et ut homo ille fictus sine corpore, quo sepitur, est, & ab eo non dependet in esse, quamquam ex pacto operationes sentiendi, & intelligendi efficere non valeat, nisi corpus sapiens afficiatur: sic anima sine corpore persistere posse, dicendam necessariò est. Quamvis si illud non alteretur, ipsa nequaquam sentiet, nec intelligeret ex naturæ pacto dum illud informat. Impossibile enim reputandum est, aliquid non posse solum, & sine alio permanere, quo non indiget, ut sit, nec ut operetur, nisi ut excitetur. Corpus enim, ut in prioribus agentes de eductione formarum scripsimus deserbit animæ sentienti, & intelligenti, ut instrumentum per quod anima afficitur, ad affectionem enim illius ipsa informans etiam afficitur, & non eo utitur, ut instrumento, quo

Mm 2

sen-

sentiat, aut intelligat, ut probatum restat. Quia quantum corpus attingere non valeat sensationem, nec intellectionem non quantas, sed velut dixi, ut medium, & ad cuius affectionem anima afficiatur deserviat corpus. Neque qualiscumque affectio sufficiens est immutare animam, sed illa, quæ sit in organo, ut decet, dispositio. Ut neque quævis aëris dispositio sufficiens est suscipere species coloris, sed tantum illa, qua aër actu diaphanus per lumen redactus est. Hæc sufficere ut primum solvatur dubium existimo. Secundum ergo illustremus.

Quod pro parte ex dictis solutum est. Assignavimus enim causam, quare extrinseca non sentiantur, nisi dum corpus afficitur. Sed quid sit in causa, cur anima seipsum non intelligat, quæ sibi præsens semper est, (quod etiam scis citabamur. Et Aristot. 3. de Animalia, text. comment. 16. dubitaverat, & non solverat, nec ego, differens usque in hunc locum explicui) nobis in præsens dissolvere incumbit. Supponendo id, quod omnibus notum est, nam quivis dicendorum testis, ut inquit, oculatus esse poterit, putà, neminem dormientem, aut nihil meditantem se esse cognoscere: neque etiam excitatus, & qui alicui alteri rei est intentus, sed quòd tantum ille seipsum cognoscit, qui se noscere vult. Qui eventus testatur, & dilucidè probat, quòd quamquam anima sibi præsens semper sit, non se sibi sic repræsentat, ut color oculo excitato & aperto, præsens, aut calor tactui dispositio proximè alsitens, quibus facultatibus & aliis non licet objecta præsentia non noscere, sed aliter, ut scilicet, licet homini intueri hoc, & oculum versus intuendum vertere, & non con-

picere illud, & oculos ab illo avertere. Differunt quippe istæ facultates sensitrices ab anima penè hoc, quòd illis liceat non percipere, quæ minimè cognoscere volunt, seipsum avertendo ab objectis non percipiendis, anima hoc efficere non valente, quòd ipsa sit noscens, & nota, unde non ipsa à se avertere potest: sed quòd non se cognoscere oriatur à libertate, qua creata fuit, quæ tanta est, ut liceat illi alia meditari, sui cognitionem posthabendo. Nec immerito, quia si semper esset intellectura, cùm finitæ facultatis sit, ab omni alia cognitione privaretur, illi incumbendo. Porro hæc omnia sic se habere, ut à me sunt asserta, ac nulla probatione præter eventus egere, quivis hominum conscius est. Quæ quamvis ita habeant, ut relata sunt, supereft unum non exiguum dubium ex dictis resultans discutere. Id est.

Utrum cùm anima se esse cognoscit, se intuitivè cognoscat. Nam qui eam se intuitivè noscere testatus fuerit, videtur adversam sibi habere rationem superiùs exaratam, cur non semper se noscat, cùm rebus exterioribus intuitivè cognitis, id contingat: quòd si semel noscuntur, semper noscantur, facultate & objecto cognito invariatis permanentibus. Hanc certè quæstionem Gregorius Aeminensis primo Sententiarum, distinct. 3. quæst. 2. discutit, ubi sententiam Augustini 14. de Trinitate, adducit, quæ testatur eidem incomptum esse, cur anima sibi semper præsens non se semper noscat. Quo in loco Gregorius dicit, quòd velut in memoria multæ species, & omnes æquè præsentes sunt, non tamen omnes ab anima noscuntur, ut August. referebat 11. de Trinitate, ita animæ rationali ac-

cidere. Quam collationem iniquam esse, vel ex hoc constat, quod falsum supponat, putà, phantasmata esse accidentia inhærentia memoriarum: cùm si talia essent, aut semper fentienda, aut numquam cognoscenda forent. Etiam ex alio, quod relato plus convincit, à nobis invitis multa abstractive cognosci, ut superius probavimus, cùm de phantasmatis egimus: quæ accidere non valerent, si phantasmata essent species inhærentes memoriarum. Et hoc misso, & supposito animam intuitivè se noscere, ut sufficienter distinctione relata Gregorius ostendit. Causam eventus hujus, cur scilicet, non se semper anima intelligat, investigemus: quæ ex assertis non difficulter concipietur. Porrò si memores estis eorum, quæ parum supra legistis, animadum corpus hoc corruptibile informat, nihil percipit, nisi ab extrinsecis objectis exterius, vel à phantasmatis interius afficiatur ad affectionem organorum exteriorum, aut interiorum, aliàs nempè semper sopitam, & veluti somno oppressam esse eventus docent. Nullam nempè aliam probationem posse adduci in hujusmodi de anima negotiis, nisi, quam quis de suis actibus experitur, Aristoteles in Proœmio primi de Anima testatus est. Si ergo res ita habet, ut est à me assertum, animam ipsam seipsam noscere non posse, nisi priùs ab altero relatorum, scilicet, objecto extrinseco, vel phantasmate afficiatur, certum erit, quod ab his affecta anima aliquid intuitivè, vel abstractive cognitura est. Unde notio aliqua rei extrinsecæ præcessura necessariò erit cognitionem animæ seipsam noscentis. Consequentia hæc satis nota est. Hincque ulterius etiam sequetur, si hæc præcessura est, non in aliud usum de-

servire valebit, quām, ut vel sit quoddam antecedens cognitum, ex quo anima post eliciat consequens, scilicet, quod ipsa seipsam noscit, sic procedendo, nosco me aliquid noscere, & quicquid noscit est, ergo ego sum. In quo consequente ipse intellectus, qui anima intellectiva etiam appellatur, intuitivè noscit se, toto tempore, quo se vult & potest noscere, velut anima ipsa, ut dixi, experientia, excitataque ab sufficientibus extrinsecè, vel intrinsecè seipsam esse citra discursum testetur, quod etiam, se intuitivè noscere dicitur, & est. Hæc tandem causa sufficiens sit cognitionis intuitivè animæ se noscentis aliquando, & se non concipientis aliàs. Quæ cognitionis dissimillima aliquo modo est notionibus exteriorum sensibilium: nam illa semel nota, semper intuitivè noscerentur, si in æternum objectum & potentia invariata manerent. Hæc, putà anima, semper sibi præsens, non se semper noscit, quia indiget ex naturæ paëto pro statu isto excitatore, & voluntatis imperio, ut se noscat. Et eventus hujus nulla alia illustrior, nec magis immediata causa redi, quām præsens, potest. Adeò enim quæcumque dixi, perspicua sunt noscentibus significaciones vocum, quas scripsi, ut hæc: Omnis ignis est calidus, ac sic immediata, & nullam aliam proximiorem causam poscentia, ut hæc: Ignis calefacit, quia calore affectus est. Non enim minus evidentes sunt res, quas de nostris actibus experimur, quam illæ, quæ de extrinsecis rebus habentur. In summa ergo ratio hæc, qua animæ æternitas probata fuit, ex majore, & minore, & consequente constans, valida, ac irrefragabilis restat: cùm tam major, quām minor, quām bonitas consequiæ probatæ par-

lām supersint. Si enim similitudines nonnullæ, & longiusculi sermones propositi sunt, plus ut veritas clarior evaderet, quam ut negotium differrem, exarata à me fuere. Hac ergo ratione missa, aliam dictare incipio, qua planius demonstrari animæ aternitatem reor.

Certè nullas alias magis à veritate deviare opinione existimo, quam linquentes ea, quæ sensibus subjacent, & nullam naturalem repugnantiam includunt, et si talia sint qualia conspicuntur, ut inquirant, quæ tantum singuntur, & an sic se habeant, ut referuntur, difficulter sciri possit. In sariantium enim esse reor singere in homine esse tot entitates realiter distinctas, quorū predicantur de eo, in eo quod quid, putā, esse in illo substantiam, & corpus, ac animal, quidditates differentes, quòd homo prædictetur de substantia, & corpore, & animali, in eo quod quid, ut vocibus Aristot. utar, valentes hominis substantiam unico verbo absolvere, dicens, hanc ex mixto corpore, & anima constare, citra ullam aliam physicam, aut metaphysicam entitatum compositionem. Etiam rationes illas meras nugas esse reor, quæ quibusdam vanis figmentis, & chimæricis fictionibus innituntur. Si enim à brutis sensum auferendum existimavi, non id feci, quòd cupiamus nova commentari, sive talia essent, ut ego referrem, sive non, sed quod rationibus demonstrativis impulsus coactus sum, id asseverare, quod apparentiæ adversari videbatur, et si veræ existentiæ minimè contrariaretur, imò quam maximè conforme foret, ut qui præterita calluit, cognovit. Hæc nempè propono, non incassum, sed ut omnes intelligent rationem à me ducendam ad animæ immortalita-

tem ostendendum fulciendam esse, quibusdam adeò apparentibus rebus, ut nullus has negare valeat, propter sui evidentiam, quamvis sibi probatum esse nonnulli non credent eo argumento, quod dissolvere non poterint, propter rationis familiaritatem. Quam contemnendam prima fronte existimabunt, donec altius rimati, ejusdem vim concipient indissolubilem esse ac quemcumque quantumvis protervum manus supplices eidem daturum.

Ratioque hujusmodi sit. Quæcumque forma potest subjectum, quod informat, relinquere, & aliud novum acquirere, poterit utrumque deserere, & sola esse: sed anima rationalis est hujusmodi, ergo ipsa per se & sine corpore informato persistere valebit. Ulterius, sine corpore durare potest, & eo exuto, derelictoque, non est amplius, qui eam extrinsecè possit afficere, nec ullum intrinsecum principium habet, quo corruptatur, ergo æterna erit. Quod nobis probandum incumbebat. Duæ hæ consequentiæ ultimæ, manifestè bonæ sunt. Antecedentem ergo illationem, quæ in majore includitur, bonam esse probemus. Illa erat: Si aliqua forma aliquid corpus destituit, & aliud assumit, illa utrumque poterit deserere, & sine ullo esse. Cuius veritas nulla evidentiore ratione constare poterit, quam hac. Omnes formæ substanciales, vel accidentales quantæ cùm proprium subjectum deserunt, corruptuntur, ergo & rationalis anima si corruptibilis esset, destituendo proprium corpus, corruptenda foret: sed hoc ei non contingit, ergo ipsa à corpore secedens, manet. Major prioris consequentiæ per hoc probatur, quòd omnes formæ quantæ sint præter rationalem, ut ostendum

sum superest : sed omnes illæ æquè amittunt partes alias , & acquirunt alias de novo : & non simul in diversis partibus eadē numero existunt, quod jam indivisibles, & non quantæ essent : ergo verum relatum antecedens pro majore est. Etiam alio medio majoris veritas roboratur. Si asleverandum esset aliquam corporis quantam formam permanere , variato subjecto proprio , inter omnes brutorum animæ permanentes corporibus corruptis , dicendæ essent : sed hoc eis non contingit, sed quod statim , ut dispositiones corporales prærequisitæ amittuntur , illico ipsæ corrumpantur , ut probatum in antecedenti ratione supereft. Ergo nullæ formæ , nisi rationalis anima , potens est subjectum destituere , & aliud acquirere , quod major proferebat.

Nempè quæcumque forma sic penderet à corpore , quod informat in esse , vel conservati , ut lumen aëris à luce solari , permanere , corpore corrupto , non posset , ut nec lumen medii , solari luce corrupta , vel absente , perfistere non potest. Sed anima rationalis durat adhuc , corpore ab ea informato corrupto , ergo ipsa à corpore in esse , aut conservari non pendebat.

Illi omnibus rationibus fortassis respondebit adversus : quod illis non probatur , nisi quod anima rationalis possit alias corporis partes , quibus aderat informando , non adesse , quia in reliquis corporis partibus persistat , sed quod nullis argumentis ostendatur sensibus , ab universo corpore sejunctam manere. Cui objicienti concedam ego , quæcumque dixit , & concludit. Si enim ostendi sensibus posset anima à corpore separata , incassum tot chartas consumpsisse-

mus. Sed quia in corporalis substantia existens , nostrisque sensibus incognita , nullam intuitivam notionem suorum accidentium exhibet : ratione paritatis indagare eam ab universo corpore sejungibilem esse , nobis restabit , quod ab aliquibus corporis particulis sejungatur , & in aliis permaneat , hominem constituendo. Si iterum proterviat adversus , minimè sequi , animam separabilem esse à toto humano corpore ab eodem informato , quia alias destitutæ partes , quas informabat , putâ abscessas , aut in vaporem versas. Ut non sequeretur si miræculo Deus concessisset mihi esse simul Romæ , & Methynæ , & Burgis , ac Pincie , & nunc defuisse esse Pincie , & Burgis , quod etiam non essem Romæ , nec Methynæ. Huic protervienti etiam consequens concedam , quod nobis non aduersatur. Nos enim non inferimus , animam abesse à toto corpore , quia absit ab aliquibus partibus in halitum diffatis , vel abscessis , sed quod possit ipsa abesse à toto corpore , ut potuit ab illis , & adesse cælo , vel aéri , vel alteri parti universi. Quod etiam consequens protervus in simili ab eodem adducto confiteri cogendus est , scilicet , quod possem ego non esse Romæ , nec Methynæ , nec Burgis , nec Pincie , sed in alio universi loco. Quis enim nisi infanus confitebitur aliquid posse adesse alicui loco , & non alio , & alio , & non priori , qui neget , illum utrumque ex illis locis posse destituere , & in aliis esse ? Si ergo anima rationalis potest deserere alias sui corporis partes , ut in aliis sit , & illas quoque , ut de novo aliis adsit , necessariò inferetur posse universas illius rationis deserere , & in alterius rationis partibus esse. Nam si ab illis prioribus , ut prædicti , pen-

deret in esse, vel conservari, statim ut corpus corruptum esset, ipsa corrumpenda foret, vel parum post. Ut calor existens in aqua si deseritur ab igne calefaciente, statim incipit remitti. Quod nostræ animæ non contingit, sed talem permanere, qualis ipsa est.

Porrò cogor quid, quod indiscutsum est, explanare. Illud erat. Quod tam in ratione hac, quam mox exaravi, quam in antecedentibus argumentis, semper ut notissimum, supposuerim, animam rationalem posse deserere aliquas corporis, quod informat, partes, & alias informare: & posse illas destituere, & aliis novis adesse. Quod quamplures falsum esse opinabuntur, credentes esse in nobis alias corporeas particulas ab utero animatas, quas rationalis anima non valeat destituere citra sui corruptionem. Quamquam alias partes ex sanguine genitas possit anima amittere per conversionem earum in vaporem, & aliis noviter ex alimento generatis adesse: quo potissimus vigor nostræ rationis dissolveretur.

Nempè instantia hæc apud indoctos aliquos esset alicujus momenti: quæ nullius est illis, qui novare modum, quo continuo partes humani corporis resolvuntur, & ex alimentis restituuntur. Fuit certè nonnullorum opinio, animam nostram informare hoc humanum corpus ex duabus substantiis contrariis compositum, alteram quarum humidum radicale appellare, aliam calidum naturale dixere. Calidumque semper humidum in vaporem vertendo, illum exicare, atque ex alimento deperditam humiditatem restituere, sed non talem, ut prior amissa, sed semper deteriorem & deteriorem. Quod causa senii & mortis provenientis

in decrepita ætate esse crediderunt. Alii, qui hominem constare tantum ex materia prima, accidentibus quibusdam affectam, & anima rationali opinati sunt, caliditatem & humiditatem in viventibus vigere asseverantes, dixerunt caliditatem in sibi conjunctam humiditatem agendo, eam continuo & continuo exicare, quam per alimenta restitui, etiam non talem, ut resoluta fuit, ut priores testati sunt. Horum nullis protervientibus, esse in nobis ab utero aliquam partem intactam incorruptamque: quin omnes esse corruptibles, atque ex alimento restaurabiles, dicentibus. Nonnulli indocti tantum opinati sunt, membra, quæ radicalia à Medicis nominantur, putà, nervum, cartilaginem, os, venam, & arteriam, & alias hujus generis partes easdem manere, quæ ab utero extrahuntur, semper usque ad juvenitatem, ex alimento partes novas acquirendo: quibus membra relata crescunt, & post illæs durare, usque in decrepitam ætatem, & hominis interitum. Quo decreto paucæ sententiæ absurdiores.

Sciscitor nempè ab hoc testante, an in cute, quæ membrum radicale est, vel nervo, aut alia particula ex his, quæ radicales appellantur, sensu possint discerni partes ab utero extractæ, ab his, quæ ex alimento restituuntur. Si dixerit quod sic, sectis illis, & calori expositis, experiatur protervus, an vi caloris extrinseci imminuantur, an non: & inveniet attenuari, & incurvari illas. Quo intelliget, etiam vi caloris naturalis attenuandas, & in halitum digerendas ipsas. Non enim valebit dicere, quod cum animaliæ essent, plus actioni resistenter, ideoque à nativo calore interiore non resolvantur. Experimentis etiam docentibus, quascumque

partes corporis nostri in morbis diutinis, praesertim febrilibus, ut in ethicis febribus attenuari, & graciles reddi. Nervi enim ethicorum: & adhuc ossa gracillima redduntur ante obitum, & in particulis dolore continuo afflitis, & in aliis morbis multis idem symptomata conspicitur. Quod docet manifeste, quod indistincte quæcumque partes radicales, tam ex utero extractæ, quam ex alimento acquisitæ, sive sensu decerni valeant, sive non, ut non valent, consumantur per continuam interiorem, & exteriorem actionem. Ex quo ulterius elicetur, animam destituere illas, & adeste partibus noviter genitis, & sic mutare subjecta, quod probare intendebam.

Etiam alio medio error praeditus tollitur. Quærendo iterum ab adverso, an in quovis membro radicali hominis jam adulti sit aliqua portio ab utero extracta, permanens cum anima, quæ primitus infusa est, aut quod tantum aliquibus radicalibus membris hoc contingat, & non aliis. Quodvis dicatur, in corde praesertim ullam talam particulam irresolubilem inveniendam cogendus est adversus dicere. Nam hoc est origo, & fons vitae, & quod primò vivit, & ultimò moritur, sed hoc est adeò calidissimum, ut Haly Rhodoam testatus sit, in cuiusdam animalis corde nondum mortui nianum immisso, & non potuisse ejusdem immodicum calorem tolerare ergo vi ejusdem, quæcumque partes cordis in vaporem convertibiles esse, & ex alimento restaurari necessario cogendus quivis est dicere: praesertim cum experiamur ossa multò corde duriora, & mitiorem calorem quam cor habentia, resolvi, & ex alimentis resoluta ab eisdem restitui.

Hoc idem etiam verum esse probat, quod quævis pars ejusdem cordis signetur, quam dicat adversus ab utero esse animatam, aliam similem duritie, & resistentia in corde inveniet ex alimento restitutam, ut experimenta docent, sive carnea, aut cartilaginea, aut pinguis cordis pars signetur. Si ergo nullas partes corporis ab utero extractas esse in nobis incorruptibles experimur, commentitia esse, quæ ab adversis dicta sunt, dicere coguntur: & nostram rationem, qua immortalē esse animā probabam, validam permanere fastigi sunt.

Qui impossibile putant demonstrabilem esse animā rationalis perpetuitatem, etiam aliam solutionem nostrā rationi probanti eam aeternam esse machinabuntur. Concedent quippe rationalem animam destituere posse corpusculum, quod in utero informavit, & ex alimentis aliud sibi comparare, quod in adolescentia informet. Sed non ob id dicendum eam non dependere a corpore inesse, & conservari protervient: cum nullum sit instans, in quo post amissionem alicujus partis corporalis, alia de novo non restituatur, animalibus quandiu vivunt tandiu nutriti. Ut non inconveniret eandem numero lucem medii permanere: si cum hic Sol corrumperetur per primum instans sui non esse, alias esse, incepisset in eodem instanti per primum instans sui esse. Et ultra, quod ut illa duratio lucis in medio conservata ab altero Sole, non arguit lucem possese sine utroque Sole permanere: ita non licet mihi inferre quia anima destituit unum corpus, & aliud acquisivit, illam ab utroque posse expediri, & solam manere.

Alio quoque simili eandem solutionem fortassis roborare existimabunt. Dicent enim calorem induc-

tum ab igne in aqua, post ignis absentiam eundem numero ab alio igne, vel Sole sèpè conservari: & quòd ut hoc non infert ipsum per se posse sine utroque calefaciente permanere, quòd ergo nec conservari hanc animam ab hoc corpore, & post ab illo, non possit arguere, ipsam sine utroque corpore posse perse, & solam esse.

Ut sordida metalla, & quascumque vilioris pretii herbulas universæ orbis regiones in magna copia ferunt, aurum autem, & gemmas non nisi quædam glebæ felices, pretiosum autem balsamum sola ferat Judæa: sic objectiones adversum pretiosam veritatem à nobis assertam non defuturas scio. Verum nec ob id diffido, non paucas argumentationes, quibus non tantum indocetæ solutiones confutentur, offerendas nobis, sed, & illas clariorem vim rationis nostræ quantumvis hebetibus demonstraturas indubie spero.

Prior quippè solutio in totum sufficiens esset diluere nostræ rationis vim, eamque cassam reddere, si exemplum, quo sophista instat, verum esset. Sed cum impudens mendacium honestæ veritatis prætextu ipse contegit, illud detegere, detectumque exibilare decens erit. Quis huic arguto cavillatori revelabit, quòd si Sol, quem Deus creavit, nunc corrupisset, & in eodem instanti alium creavisset, idem numero medii lumen mansisset, prius à primo Sole genitum, & sui præsentia conservatum, & post alterius Solis vi etiam durans? cum certè etsi unius Solis creatio, & alterius corruptio fieret, impossibile naturaliter esset, idem lumen medii permanere: quin ad corruptiōnem prioris Solis lumen à se productum corrumpendum, & aliud à novo Sole gignendum à doc-

tis confiterendum sit.

Quod verum esse, ratione, & experimentis brevitè docebo. Ratioque hæc sit: Quicumque effectus posterior, saltim natura, sua causa necessariò futurus est: sed ex assertis ab adverso lumen manens asservatum à secundò Sole priùs tempore genitum fuit, quam Sol secundus, & illud effectus secundi Solis est, cum pendeat suum esse à præsentia Solis, ut eventus testatur. Si enim Sol occideret, hoc nostrum emispherium relinquens, statim lumen medii corrumpetur: ergo secundi Solis effectus, & non prioris erit lumen. Aut si prioris effectus diceretur, impossibile illatum statim se offert ex hypothesi, esse scilicet, priorem tempore effectum, quam causa.

Experimenta non pauca etiam passim offeruntur, quibus fallum esse assumptum ab adverso constat. Quis enim non noscit, quod si papryum, vel ovum, aut aliam quamvis rem videat, etsi alia in totum simillima in gradu albedinis, & in figura oculis hominis, qui priorem conspexit, in eo instanti præsenteretur, in quo alia simillima jam adesse desivit, ut sit idem instans, primum præsentia hujus secundi objecti, & absentiæ prioris, quòd nec ob hoc eadem numero species, quæ fuerunt inductæ in oculo videntis à priori objecto, conservabuntur à posteriore, sed quòd ille corrumpentur, & aliæ novæ à secundo objecto quantumvis simillimo generabuntur. Si enim ita non accidisset, sed quod eadem permanissent à secundo asservata, queretur, eandem numero etiam visionem manere. Et cum prior erat notio intuitiva primi objecti, quòd etiam illo absente, erit quoque notio intuitiva ejusdem assertata à secundo objecto, ut species

pri-

prioris conservabantur. Quod non nulli Physicorum à Deo fieri non posse crediderunt, quantò magis à natura. Consequentiam bonam esse palam patet. Ut enim species pendent inesse, & conservari ab objectis: sic, & notiones intuitivæ. Et

Ulterius ut ostendamus exemplum adversi falsum esse: Lumen pendet inesse, & conservari à Sole, ut relatæ species, & visio à suis objectis, ergo ut hæc non conservant suas species, nec sui notitias intuitivas, nisi scipis, & non aliis ejusdem speciei solo numero differentibus, sic nec Sol secundus posset conservare lumen productum à priori.

Idem inconveniens, quod mox intuli in aliis objectivis visis, applicare possem ad probandum in casu adversi de corruptione unius Solis, & creatione alterius etiam inferri. Notitia enim intuitiva Solis prioris corrupti asservanda esset per præsentiam Solis novitè geniti, si verum esset, quòd idem numero lumen permanisset post prioris Solis corruptionem, & posterioris creationem. Consequentia est nota. Quia ejusdem naturæ est lumen, & species, ac notio intuitiva. Omnes enim pendent inesse, & conservari à propriis causis: ergo ut lux numero eadem mansisset ex confessis ab adverso, sic species, & visio eadem mansuræ essent. Alio etiam experimento falsitas, quæ supponebatur, detegitur. Vis illa, quæ inducitur à magnete in ferrum, à qua ferrum movetur ad magnetem productorem: ejusdem naturæ luminis, & speciei, & aliarum rerum, quæ pendent inesse, & conservari à propriis causis, est. Sed si illa vis semel producta in ferro posset asservari ab alio magnete priore absente, sequeretur ferrum illud mo-

vendum versus locum primi magnetis absentis, & non versus magnetem præsentem. Cujus contrarium experimenta docent: ergo antecedens falsum ex quo sequebatur. Consequentia per hoc probatur: quòd illa qualitas inducta à priore magnete versus regionem, in qua situm erat, ferebat ferrum. Si ergo eadem numero maneret, motum continuatura erat, etsi magnes esset corruptus. Cujus oppositum, ut dixi, eventus testantur. Non enim evadet rationis vim, qui dixerit, aliam qualitatem quoque induci à secundo magnete, qua ferrum feratur in regionem hujus secundi magnetis, & hanc versus hoc secundum agere, & movere ferrum. Quia si hoc verum esset, sequeretur motum ferri retardandum, quòd prior lapis Herculeus induxerat qualitatem, qua movebatur ferrum in dextram, verbi gratia, ubi lapis situs erat, & secundus existens in sinistra, versus oppositam regionem latus erat ferrum: ergo retardandum fore motum, quod inferebamus, benè sequitur. Sed id falsum est, ergo antecedens, ex quo illud elicetur.

Sufficere puto relatas rationes ad probandum falsum esse exemplum primum, quo adversus opinatus est refringisse nostram rationem. Secundum ergo non esse ad proposatum, quamquam verū sit, ostendamus.

Dicebat quippe adversus posse animam paulatim corrumpi, absente corpore, ut calor inductus in aqua ab igne sensim remittitur, cùm ignis abeat. Quo opinabatur nostram diluere rationem. Quod exemplum indoctos tantum seducet, decipietque, alios autem minimè. Nempe cùm absente calefaciente aquæ calor remittitur, non sibi hoc contingit, nisi quòd contraria qua-

litas, putà frigiditas remissa in aqua asservata, & illam conservans, deficiente fotore caloris, ipsum corrumpat. Contrarias enim qualitates posse compati in gradibus remissis, in sequenti opere indubius rationibus, si Deus concederit, ostendemus. Et qualiter non inconveniat gradum unum frigoris cum aquæ substantia posse in seipsum producere septem frigiditatis gradus perfectiores entitativer, & non essentialiter uno gradu. Secùs tamen in aliis subjectis. Rationemque dissimilitudinis assignabimus: quod in prima actione aqua nititur se in optimam, & sibi decentissimam dispositionem ducere, ut in actione transeunte passum sibi assimilare in eo gradu caloris, & frigoris, quo ipsa cum agit, est affecta. Aut si id, quod ut demonstrabile in alio opere nunc supponimus, nobis adversus non admittat: saltim negare non poterit, calorem à substantia æquæ corrumpi, absente igne. Itaque aliquam causam corruptivam caloris, qui effectus permanens est, assignare cogendus erit. Nihil enim immediatè, & per se seipsum corruptit. Mitorum enim diversæ, & contrariæ in qualitatibus partes, alias sibi oppositas corrumpunt, & nullam simplicem particulam aëris nec ignis synceri, & puri, nec terræ, aut aquæ seiphas corruptentes unquam vidimus. Ergo si anima rationalis permanere corrupto corpore, posset, minimè sensim, paulatimque corrumpi postea valeret. Quia cùm substantia sit, cui nihil est contrarium, non haberet causam corruptricem sui ipsius.

Nisi adeò liberè, ac petulanter respondeat aliquis, ut nec veram esse admittat proprietatem illam, quam in prædicamento substantiæ eidem tribuit Aristoteles, substan-

tiam, scilicet, non recipere magis, nec minus, & ei nihil esse contrarium. Quod non alio argumento confutare in præsentiarum placet, ne à præcipue intento discedam, quām hoc, quod numquam experiamur alicujus substantiæ operationes infirmas, & debiles reddi, nisi propter suarum dispositionum remissionem, imbecillitatemque: quæ si restituuntur, statim substantia in priorem perfectum statum reddit, duciturque. Quod ei minimè accidisset, si ejusdem entitas, cùm suæ operationes labefactatae sunt, etiam remitteretur, nam hæc per accidentia multò imperfectiora substantia restitui non valeret. Etiam ex hoc, quod si assertum ab adverso verum esset, sequeretur, quod aliqua substantia esset alia magis substantia: ut aliquis equus alio magis equus, & aliquis asinus alio magis asinus. Consequentia nota est. Nam si anima, quæ incipit corrupti statim ut corpus deserit, minus anima esset, quām viventis, cui nihil deest: cur idem non asseverandum est de aliis substantiis? Fortassis convictus his protervus dicet, quod animæ rationalis substantia non remittitur post corporis absentiam, sed quod ipsius partes successivè corrumpantur, ut stupæ quæ flagrat partes sensim esse desinunt, & in ignem vertuntur. Sed qui hæc dixerit, suis dictis confundandus est. Fingit enim rationalem animam partes habere, cùm per universum hoc opus ostenderimus ipsam indivisibilem esse, non ut punctus, sed ut Angelus, vel alia de substantiis separatis, tota, scilicet, in toto, & tota in qualibet parte.

Et ut nihil insolatum maneat, quod à quovis quantumvis cavilloso objiciatur, improbemus solutionem eujusdam, qui opinaretur ani-

animam rationalem non desinere esse corpore vitiato, quod pendeat à corpore se imperfectiore inesse, aut conservari, sed quod ex pacto naturæ hoc illi sit inditum, ut statim cum corporis universæ partes defunt, ad cuius affectionem ipsa afficiebatur, cum sentiebat, ac intelligebat, statim esse desinat, ut per mea retrò confessa, cum de deductione formarum de potentia materiæ egimus, forma misti elementis perfectior esse desinat, etiam elementorum qualitatibus vitiatis, non nisi quod desinit instrumenta, quibus alia similis sibi forma generanda esset. Nam elementares qualitates instrumenta sunt, quibus forma misti nutriendi operationes exercet.

Sed solutio hæc sive objectio nullius valoris esse, vel ex hoc constat. Primò, quod si misti cuiusvis forma manere fingeretur sine dispositionibus, quibus asservatur, & aliam sibi similem producit, otiosa, & ab omni opere vacans, instrumentis relatis ablatis, mansura erat: itaque frustra permanens, & incassum asservata à natura (cum in nullum usum) diceretur. Secundò, quod quam maximè inconveniret, ad dispositiones convenientes misto corruptas, formam misti non corrumpi, ut alia misti forma procrearetur, prærequiens ad sui esse tales dispositiones, quales aliud non poscebat, immò quibus corrumpebatur. Ratioque hujus inconvenientis hæc est: Si enim omnes mistorum formæ mansissent in materiis elementaribus cum contrariis sibi dispositionibus, & aliis mistis convenientibus, sequi videretur, omnes formas mistas posse eandem materiam elementarem simul informare: itaque eadem numero materia haberet simul equi, & bobis, & plantæ, & cæterorum mistorum

formas. Nam non esset major ratio, quod duæ formæ misti contrarias poscentes dispositiones simul esent, quām mille. Aut si hoc ut impossibile non confiteretur adversus, sed aliud testaretur, non simul scilicet, permansuras diversas substantiales formas se penetrantes eandem elementarem materiam informantes, sed quod ut ego fateor animas propria corpora relinquentes permanere sine illis: sic illi licet dicere, mistorum formas, sive quas animas vocant, sive quas non tales appellant, relictis subjectis, durare valere.

Hæc instantia majus quām relata inconvenientia pareret. Non enim immerito à natura provisum, ut nulla forma substantialis quanta, corruptis dispositionibus, quibus restituit partes resolutas, corruptatur: nisi quod si illæ formæ quantæ, mansissent, universas partes Orbis essent occupaturæ cum magno mundi dispendio. Ex enim non possent generare alias similes in specie, nec restaurare diffusa, aut dissecta ob defectum instrumentorum, quem supponimus illis defuturum, & alii innumeris hominibus usus, in cuius servitium omnia terrestria creata sunt auferrentur.

Quorum impossibilium nullum ex permanentia rationalis animæ sine corpore sequitur: nam ipsa, corrupto corpore, et si taliter, ut prius erat, esse desinat (primitus enim forma corporis dicebatur, & sejuncta à corpore non talis dicitur) non tamen otiosa manere verè dici potest, quin præcipuam operationem, putà intelligendi, ipsam tunc expeditius, quām cum informabat, effecturam, rationi consonum est. Si enim, ut in antecedentibus probavimus, intelligere oritur à sola anima, ipsa excitata ab extrinsecis objectis, vel à phantas-

matis, non est, ut quid verissimè non concipiatur eandem, corpore destituto, per alium perfectiorem modum, & citra excitatorem, entia omnia intelligere valere, quām otiosam esse? Potius enim compellendi essemus admirari, unde oriantur, quod anima sine extrinseco excitatore dum corpus informat, non intelligat, cum ipsa eundem, qui excitat, non concipiat, sed aliud diversum, quam quod possit sine corpore intelligere?

Aliud etiam, quod ex perennitate reliquarum formarum quantum sequi dicebamus, putà, occupaturas cum hominum incommmodo mundi partes, ex æternitate rationalis animæ indivisibilis, & non quantæ, minimè sequitur. Infinitæ nempè earum simul, & in eodem loco esse valent. Tandem nostris sententiis adversorum fraudulentas solutiones confutatas esse palam restat: vimque rationis nostræ, qua humanam animam probavimus æternam esse, quod eadem numero manens à conceptu usque ad hominis interitum corporis partes unas relinquat, & alias novas restituat, irrefragabilem manere, & physicam demonstrationem deinceps dícendam, meo judicio, existimo.

Sed nequid, quod desiderari possit, indiscutsum maneat, hoc quod tantum rebellissimo homini dicendum restat, animam scilicet, eandem numero non manere, sed diversam, specie eandem, & hanc ab utero usque in senectutem durare in nobis, falsum esse probemus: ac illum, qui rebellat, testem adversus propriam sententiam fore compellamus. Quis enim nisi delirus, & insanus negare poterit, se aliqua in infantia cognovisse, quorum in senectute recordatur? Qui si eandem numero animam in utroque tempore non haberet, sed

numero diversam, specie eandem, non plus recordaturus esset præteriti, quām si aliquis senex recordari velit ejus, quod mihi in infantia contigit, & illi ignotum fuit. Tanta enim differentia esset inter animam juvenis, & ejusdem senis, si non eadem numero ab infantia usque in senectutem maneret, ut inter animam Petri, & Titii. Ut ergo non recordatur Petrus eorum, quæ Titius novit: sic minimè in memoriam revocaturus esset senex ea, quæ ipse juvenis exequitus est. Cujus oppositum omnes experimur.

Dicit fortassis aliquis nullius valoris rationem hanc esse, cùm etiam bruta experiamur memorari præteriorum, & canem gesticulationibus ostendere, se noscere dominum, quem à multo tempore non viderat, iis animalibus ex confessis à nobis minimè habentibus animam indivisibilem, invariabilemque, sed, quæ ab ortu usque ad interitum deperdatur, & gignatur per partes, ut anima plantæ. Quam objectionem faciliter solvet, qui intellexit ea, quæ de causis motus brutorum scripsimus pag. 20. ubi si memores estis, audistis, phantasma corporis corpuscula esse certo modo configurata, quæ asservantur in posteriore parte cerebri, & nata sunt duci in anteriorem illam cerebri partem, ad cuius affectionem membra moventur: cùm objec- tum, quod olim ea produxit, iterum tunc ulli ex sensibus exterioribus præsentatur. Quæ phantasma ut reliquæ corporis partes resolvuntur, restauranturque, semper non talia, & æqualem vigorem re-presentandi habentia, sed deteriorem, quam prius, ut nos de nostris experimur. Hæc ergo asservata à multo tempore in occipite canis, præsente domino, moventur ad par-

partem anteriorem cerebri, ibique afficiendo non cognitivè, ut in hominibus, sed occulta vi, partem illam, à qua mediatè originantur nervi moventes crura, & corpusculum canis, gesticulari eundem efficiunt.

Si quærat aliquis, cur non eandem reddo causam in humanis motibus, quam in brutalibus. Dico, quòd insanientis esset, opinari aliam esse causam motus nostri, quam eam, de qua quisvis conscius est. Et cum nos experiamur à cognitione præcedente moveri motibus voluntariis hominem, ideo illam non redimus causam, quam in brutis, quibus denegatam esse vim sensificam indubitatis rationibus, & experimentis probavimus.

Tandem rationem illam, qua probabam, quòd si anima brutalis indivisibilis esset, etiam convincendi essemus ratione naturali, dicere eam separabilem à corpore esse, de qua in principio operis hujus, pag. 13. meminimus, vigere, insolubilemque esse deinceps meritò asseremus. Nam nostræ, quas mox audistis, rationes, huic hypothesi præcipuè innixæ, animam rationalem separabilem à corpore, æternamque esse clare ostenderunt.

Nullæ marginales notariorum positiæ hucusque sunt, ut omnes cogantur legere universa que de Immortalitate animæ scriptissimis.

Placet his speculativis rationibus finem imponere: quòd credam, per quā dilucidam veritatem per eas manere: nullamque rhetorica rationem proponere volo ex tam innumeris, ut à quamplurimis sanctis & aliis doctoribus dictatas reperio, sed tantum in genere referre, ex quibus nonnullæ ortum duxere: ac postea objectiones aliquorum, nitentium probare animam nostram corruptibilem esse, dissolvam: quibus hoc negotium de immortalitate animæ claudam.

Ex beatitudine (quæ æterna est) ab hominibus inter omnia præcipue optata, qua frustrando impossibile videtur: cùm omnia agentia finem, quem naturaliter appetunt, per se, vel per alia suæ speciei individua assequantur, ratio perpetuitatis colligitur. Etiam ex obedientia omnium animalium spontanea, vel per hominis violentiam homini ipsi idem infertur. Quid enim prodesset homini per infinitè parvum tempus (quodvis enim finitum collatum æternitati tale nuncupandum est) dominari bestiis, quibus intereundo par fatus erat, nisi ut majore moerore præmeretur, cum obiret, quā si opprimendus à brutis fuisset creatus? Ut enim jugum bestiale à se rejiceret, tunc mortem vita præferret. Eodem quoque rationis genere intelligitur, animam humanam æternam esse, cùm cælum ipsum, & tam innumera astra æterna entia famulentur præcipue soli homini, cuius animam corruptibilem esse, cælo ejusdem alumno incorruptibili existente, à vero alienum videtur. Dicere enim humanam mortem pretiosam esse, supposito tam animam, quā corpus cum morimur interire, ut Plinius ratus est, furientis sententia est. Quam tamen libr. secundo, cap. septimo de Deo, scribere non est veritus, dicens: [Imperfectæ verò in homine naturæ præcipua solatia, ne Deum quidem posse omnia, namque nec sibi potest mortem confiscere, si velit, quod homini dedit optimum in tantis vitæ poenis.] Ut enim tantoperè humanam miseriam exclamando Plinius deprimeret, infanus sibi contrarium dictum dictavit. Ubi enim ipse per universam commentationem operis de naturali historia laudes naturæ, & ejus solertiam, ac prouiden-

Primum genus sua orationis.

dentiam non buccinatur, quām jam nunc exclamando inscius improbat, & delirare ipsam, conficiendo hominem, fatetur? Ut quid nempe tam artificiosam, ac propè divinam compositionem hominis in utero fabricasset, & alimenta illic, ac post in lucem ædito suppeditasset, tantamque escæ copiam ex herbis, frumentis, quadrupedibus, piscibus, volatilibus, illi genuisset, cui obire, & auram hanc vitalem destituere, quin denique infectum esse, beatissimè (ut ipse refert) accidisset?

*Secundum ge-
nus suaforie
rationis.*

Et hoc misso, ut quod incepi prosequar, ex miraculis, præcantationibus, ostentis, futurorum prævidentia, ex divinatione per somnia quoque colligitur animæ nostræ divinitas, simulque æternitas. Utque Epicureum Plinium propriis scriptis convincam, quod lib. 7. cap. 52. ipse, ut certissimum de Gabieno scripsit, adduco, Hermotini Clazomenii prodigo dimisso, cuius, ut ipse refert, anima, relictæ corpore, per nonnulla temporis spatia erravit, vagansque per longinqua multa annuntiavit, quæ nisi à præsenti nosci non possent, corpore interim semianimi, donec crematum ab inimicis ejusdem fuit, ut qui vaginam animæ toties redeuntis igne abolerent. [Erat nempe Gabienus Cæsaris classiarius fortissimus in Siculo bello: qui captus à Sexto Pompejo, & jussu ejus inscissa cervice, & vix truncō corporis cohærente, jacuit in litore tota die. Deinde cum adhuc speravisset, cum gemitu precibusque humus congregata hominum multitudine petuit, ut Pompejus ad se veniret, aut aliquem ex charis mitteret. Se enim ab inferis remissum, habere quæ nuntiaret. Misit plures Pompejus ex amicis, quibus Gabienus dixit, inferis diis placere

Pompeii causas & partes pias, proinde eventum futurum quem optarit. Hoc se nuntiare jussum, argumentum indubitatum fore illius veritatis à se recensitæ, quod peractis mandatis, protinus exspiratus esset, idque ita evenit.] Quod quamquam aliter successit, quām nuntiatum à reviviscente fuit, diaboli seductoris dolo, non tamen Plinius, qui illud portentum à suis majoribus audire potuit, negare valebat, nequaquam contingere valuisse illud prodigium, nisi anima Gabieni relictæ corpore maneret, ipsaque tunc cognosceret, & memoraretur, et si non eo modo, ut cùm vivebat. Quo mendacii deprehenderetur Plinius, qui libro citato, cap. 55. sribens de anima, sive de manibus, negansque eam post hominis obitum manere, refert, inconvenire sui perennitati, quod non reperiatur corpus ullum, quod comitetur animæ materiam, & quod desit pars, ubi cogitatio, & visio, & auditio, & tactio exequantur: etiam locus tam innumeris animabus hominum defunctorum. Quasi anima corpoream materiam haberet, quæ humano corpore indigeret ad intelligendum, aut locum occupasset, ut entia quanta. Quæ omnia rudis hic homo in speculativo negotio quomodo animæ post hominis obitum contingant, capere non valebat, confessus ipsem illud Gabieno accidisse. Sed jam iterum hunc mitamus.

Aliud quoque genus probatioris authores faventes immortalitatì animæ invenerunt ab æquitate justitiaque elicitem. Iniquum enim opinabantur, & naturæ horrendum crediderunt, bona hominum opera irremunerata, malaque impunita manere. Quod passim accidere, si simul anima, cùm ho-

*Tertium ge-
nus probatioris
suaforie.*

mo moreretur, periret, fatendum esset: cùm quamplures flagitiosi, sceleratique homines, totam vitam felicissimè, & in otio transeuntes, pompa celebri sepulti visi sunt. Et è contra innumeri honesti probique vitam ærumnis plenam agentes, ac post obitum nec qui sepeliret habentes, sint conspecti. Durare ergo eam credentes, hæc incommoda vitari, verè dicebant: post enim hujus vitæ exitum præmia bonis, supplicia malis superesse attestantes.

Quartum genitus suæ orationis.

Ex prædictis à Christo Jesu Redemptore in evangelica lectione etiam argumenta in præcedentem usum sumunt. Ubi enim non legitur sive expressè, seu implicitè æterna proborum animis gloria, & supplicium unquam finiendum improbis? Cujus Salvatoris doctrina, vita, & mors à mundi origine Patriarcharum, Prophetarum dictis factisque præcantata, ac postea ejusdem, & Sanctorum, ac Martyrum miraculis comprobata fuit.

Par huic esset probatio, quæ ex Ethnicon libris eliceretur, ut Gregorius in Moralibus dicebat. Et quamquam innumera hujus farnæ à curioso lectore codicum eorumdem excerpti possint, placet tamē ex Suetonio in Vita Augusti, sectione 91. illud de somnio ejus referre, quod ipse in hunc modum scripsit: [Cum dedicatam in Capitolio ædem tonanti Jovi assidue frequentaret, somniavit queri Capitolinum Jovem cultores sibi abduci, seque respondisse, tonantem pro janitore ei appositum, ideoque mox tintinabulis fastigium ædis redimivit, quòd ea ferè januis deppererent.] Cujus somnii & responsionis redditæ ab eodem Augusto inter dormiendum, nullam aliam suspicor ego causam fuisse, quād quòd tunc temporis Chri-

tus nasceretur, ut Lucæ cap. 2. refertur: Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis, &c. diabolumque suspicantem, quod eidem post contigit, Christum scilicet, abducturum cultores idolorum in unius Dei veram adorationem, relatam visionem Augusto obtulisse, quòd nullum alium in terris, qui plus suis partibus favere posset, quām ipse, sciebat apud eum enim summa imperii totius orbis erat. Sed Augustus dormiens, nesciensque an benè, vel malè responderet, somniando propheticè dixit, tonantem pro janitore ei appositum, quasi explicitè dixisset: Aedes Capitolina tibi Jupitri dicata, futura est ecclesia, cuius fastigium tintinabulis, hoc est, cymbalis, ornandum est, quæ deservient ædi in modum janitorum principum. Nam ut per os licet aliquibus ingredi palatum regium, aliis verò aditus interdicitur, sic per cymbala consecrata ecclesiam ingredi cohiberis. Et christianis fores aperiendæ sunt. Augustus autem sive Jupitris sacerdotibus consultis, sive proprio capite, non capiens, quæ dormiendo prædixerat, etiam opus propheticum exequutus est, redimiens fastigium ædis Jupitris Capitolini tintinabulis, non aliter, quām nos fastigia, & turres templorum cymbalis ornamus.

Non minus mysterium includit, quod statim post somnium relatum Suetonius de eodem Augusto refert, id est: [Ex nocturno visu etiam stipem quotannis die certo emendicabat à populo, cavam manum asses porrigitibus præbens.] Conjector quippe aliquid insigne Cæsarem somniasse, de quo Romani augures elicuerint mundi Imperatorem, verumque dominum eleemosynis tunc pasci, & foveri. Ut-

que opere somnium verum efficeret, seque talem esse, qualis somnio prophetabatur, sibi suaderet, emendicabat à populo asses, manuque propria cavitatem illam habente, qua aquam ex fluminibus vasis defectu forbemus, suscipiebat Augustus. Meam suspicionem de relata visione certam efficit, quod sectio-ne 70. de eodem Octaviano Suetonius etiam scripsit. Illud fuit, eundem semel secretè coenasse, ornatum Apollineo habitu, comitatum que duodecim convivis sex habitudearum, & sex deorum. Conviviumque illud divulgatum populo appellatum Dodecatheos, id est, duodecim deorum. Quod quia in maxima penuria, ac fame civitatis fuit effectum, acclamatum facetè à populo postridiè fuerit, frumentum omne Deos comedisse. Qui eventus ab homine adeò cordato, ut Octavianus erat, factus non fuit, sine insigni occasione, ut reor. Credarem ego ipsi per aliud insomnium, aut per alium modum divulgatum fuisse, orbis verè dominum duodecim fermè divinis hominibus ante discessum à mundo coenaturum, illis facienda præcipiendo, cibumque in coena suppeditando. Quæ omnia cùm æmularetur Augustus, ansam detractori, qui in eum versibus invectus est, dedit, nominandi eundem choragum, quasi qui chorum illum cœnantium ageret, & duceret. Versus hi sunt:

Cum primum istorum conduxit mensa choragum,

Sexque Deos vidi Mallia, sexque Deas,

Impia dum Phæbi Cæsar mendacia ludit,

Dum nova divisorum cœnat adulteria,

Omnia se à terris tunc numina declinaverunt,

Fugit, & auratos Jupiter ipse thronos.

De Augusto conjectatus semper ego sum, postquam legi interrogasse clam eundem Virgilio Poëta (utpotè qui nosceret ex conspectu canum, & equorum quales patres habuerint) cuius filius idem esset, se putasse genitum ab aliquo Deorum, ut gentilitas fabulatur de Hercule, & aliis Heroibus, nec firmum habuisse Octavium genitorem ejusdem fuisse. Fortassis in hoc delirium adductus, quod suis temporibus videret pacatum orbem, si bique soli obtemperantem, ignarus natalis veri Dei, & hominis, se imperante. Quicquid de hoc sit, seu relata conjectura instigatus fuerit ad Deos æmulandum, sive alia de causa, eundem illud fecisse indubitatum habetur. Merito ergo quæcumque à me ex vita hujus interpretata sunt, quadrare sunt censenda.

Et quod de Virgilio Marone mentionem egi, de cuius scriptis non pauca hujus messis colligi possunt: tantum quæ se offerunt ex Ecloga quarta propono. Primumque fit, versus illi:

Ultima Cumæi jam venit carminis ætas,

Magnus ab integro seclorum nascitur ordo.

Jam redit, & virgo, redeunt Satur-nia regna,

Jam nova progenies cælo demittitur alto.

Tu modò nascenti puero, quo ferrea primum

Desinet, ac toto surget gens aurea mundo.

Castæ fave Lucina tuus jam regnat Apollo.

Quæ tantum de Lege Gratiae, & Christo Redemptore, & ejus Genitrici præcantata esse à Sibylla Cumæa, ex cuius libris illa à Virgilio

excerpta sunt, verosimile esse certum est, ut eorundem series docet. Etiam quod nequaquam illi, & qui sequuntur in eadem Ecloga versus Asinio Polioni, nec Salonino puer eoīdem filio, nec Augusto ipsi quadrare valent, sed quibus dixi. Magnus enim seculorum ordo, qui nascitur, Legem Gratiae venturam prædictit. Ut cum Virginem redeuntem scripsit, Mariam Purissimam Dei Genitricem præcinit. Non quod prius genita sit, & nunc iterum noviter nascendo, redeat, sed quod prophetata sit, adeoque vera sit prophetia, ut nedum effectum ut si factum esse computetur. Quæ quoque progenies magis nova ex cogitari potuit, quam Christi Salvatoris persona, de qua Deus, & homo simul dicuntur? Quasi his verbis alludat Poëta Prophetæ Isaiae 64. cap. Utinam dirumperes cælos, & descenderes.

Quam quoque putare possumus esse castam Lucinam, quæ partibus præcesset, nisi Maria Virgo. Nam de Junone conjugi Jupitris, ex qua filios idem procreavit, dici non valuit. Pariens enim casta proprietate Dea dici non poterat. Nec ullæ aliæ Deæ faventi partibus castitas sincera conveniebat apud Gentiles. Unde clarè elicitur de Dei Genitrice Maria dictum, quæ simul peperit, & casta Virgo mansit: cui Poëta congratulatur, quod Apollinem, id est, solem iustitiæ regnante jam videat. Sequentiumque versuum litera hoc, quod exposuimus, voluisse, Poëtam exprimit. Illi sunt:

Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,

Irrita perpetua solvent formidine terras.

Et statim sequentes.

Ille Deum vitam accipiet, divisque videbit.

Tom. I.

Per mixtos heroas, & ipse videbitur illis.

Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.

De quo, nisi de Christo Redemptore scribi potuerunt? Quis enim adeò demens sit, qui ausit prædicere, solvendas terras perpetua formidine: si de temporariis periculis, & timoribus loquatur, cum nulla sit ætas quantumvis pacifica, in qua nonnullæ formidines non invadant hominum vitam? Quod cogit suspicari, ducem vocare Poëtam Christum, cuius sanguine, & præceptis observatis, perpetua gehennæ formidō contemnenda est. Dum ipse Deus (sic enim legendum puto) accipiet vitam, id est, resurget. Et post resurrectionem videbit Patriarchas, & Prophetas, quos heroas nominat, permixtos divis, id est, divinis rebus, putâ Angelis, & Archangelis, Cælo, & Stellis. Et ipse Christus videbitur illis, qui gloria fruentur. Ut consonet hæc sententia illi, quæ legitur in Passione Domini secundum Joannem. Videbunt in quem transfixerunt. Tandem alii versus:

Occidet, & serpens, & fallax herba veneni.

De quo nisi de diabolo dici potuerunt? Cæteras nempè venenatas herbas orituras tunc, & nunc, non ignorabat Poëta, aut verius, Sybilla, quæ universam hanc sententiam condidit, ut opinor. Illi quoque:

Chara Deum soboles magnum Jovis incrementum.

Cui melius, quam Paracleto quadrant: qui tam ex patris persona, quam filii procedit, & amor utriusque nominatur. Unde chara soboles dicitur à Poëta. Reliqui etiam hujus quartæ Eclogæ versus in hanc eandem sententiam trahi possent, sed eos non placuit adducere, quod

majore labore intelligendi erant, quām præsentes, quos decenter esse à nobis explicatos, quivis intellegit, ac impius, non posse eos exponi ut à Servio, & Antonio, & Christophe, & aliis Maronis expositoribus explicantur, cognoscet. Quo huic satis suasorio modo probationis æternitatis animæ finem imponimus, ut rationes adductas ab eis, qui opinati sunt, animam nostram corruptibilem esse, dissolvam: & quod innumeræ sint, omnesque exigui ponderis, illas tantum proponam, quæ majorem vim habere videntur.

Rationes contra æternitatem animæ.

1. Ratio.

Primaque sit. Si ex aliquo in homine reperto rationalis anima æterna esset habenda, ex intellectu præcipue id esset inferendum. Sed hunc augeri ab infantia usque in primam senectutem conspicimus, imminuque in decrepita ætate experimur. Ergo ob hunc non plus æterna anima nostra statuenda est, quām plantarum, quæ crescit, & imminuitur, & tandem corrumpitur.

2. Etiam alio medio id probant. Nihil conditum est à natura, ut otiosum, & vacans ab omni opere sit: sed animæ post obitum manentes, nulli negotio poterunt vacare, propter defectum organorum sensuum: ergo incassum essent mansuræ, quod natura non patietur.

3. Ex hoc etiam quod nullus mortuorum ad nos redierit, ex tot ab orbe condito genitis, argumentum adversi sumunt animarum corruptarum ad hominis interitum.

4. Ex assertione quoque Aristotelia de Anima, non memorari post obitum animas defunctorum, rationem colligunt. Inquiunt enim si non memorantur, neque intelligere poterunt. Qui enim intelligit, in quantumvis parvo tem-

pore intelligendo duret, si omni memoria privatur, nequaquam poterit connectere præterita præsentibus, & futuris, sine quo non accidit intelligere.

5. Mirantur quoque isti, quomodo divina animæ natura, quæ potentior est corporis mole, in astra non ferat totum hominem, si æterna anima est.

6. Famam, gloriamque humana minimè cupere debebamus, etiam referunt illi, si saperemus. Nam hæc velut umbræ essent, æternæ durationi animarum collatae: sed has ardenter amamus, id ergo arguit in nobis, nihil tale æternum esse.

7. Quod mors quoque minimè formidari à nobis deberet, si anima æterna esset, illi asseverant. Hac ratione, quod si post obitum anima in aliam clatiorem vitam esse transitura, potius mors optanda, quām timenda eslet.

8. Supplicia quoque æterna, quæ impiorum, & sceleratorum animabus parata esse putant, qui æternas esse animas testantur, adversi dicunt, nec tyrannorum legibus statuenda esse quanto magis divinis. Referunt enim isti iniquum esse ob temporariam, & momentaneam labem, quemquam æternas luere pœnas.

9. Ex somno etiam argumentum sumunt ethnici, dicentes, somno oppressi homines, nihil sentire, nec intelligere cernuntur, expperrectique statim, ut ante somnum omnia concipere. Quod si per aliquam animam separabilem à corpore fieret, illam inter dormiendo abesse, & expperrectis aedesse confitendum erat. Sed hoc joci genus foret, tam citò scilicet, mori hominem, cùm dormit, & resurregere eundem, cum vigilat: quod in tam seriare, ut est homo, natura non

non patrasset : ergo anima sejungibilis à corpore non est credenda.

10. Numerum etiam animarum esse infinitum si , hominibus interemptis , ipsæ manent , & mundus ab æterno fuit , clarè inferunt. Ac ultra numerum hunc infinitum in dies augeri , proclaimant adversi impossibile esse : ergo antecedens undè hæc eliciuntur , falsum proterviunt.

11. Conqueruntur quoque impii isti , cur si verum est , animas post obitum manere , quòd denegata sit à natura notio adeò hominibus conducens Indis in novo orbe nostris temporibus repertis.

12. Inconvenire autem illi , animam post hominis obitum corpus deserendo , in aliud transmeare locum. Nam motum illum , vel à se fieri posse , vel ab alio quærunt. Neutro modo indivisibilia moveri ostendit Aristoteles 6. Physicorum. Ergo quævis anima manusa erat in eo loco , in quo corpus destitutum est ab eadem : quod si esset , lares , & lemures , & genios , & alias hujus generis naturas constituturi ut gentes essemus.

13. Virtutes an ipsi animæ inherentes maneant , an non , quærunt etiam adversi. Si manere dixerimus , statim objiciunt , morales , putà Temperantiam , & corpoream Fortitudinem , & cæteras corporibus inesse : quæ durare , ipsis corruptis , non valent. Si non permaneant , quòd sine virtutibus manes præmia suscipiant , inconvenire autem.

14. Ambigunt quoque illi , an naturaliter , & sine violentia manes , sint , aut animæ à corpore sejunctæ , an vi ulla detineantur , corpus , quod amiserunt , vel aliud assumere. Hoc ultimum dicendum non esse , probant ex hoc , quòd nullum violentum perpetuò duret.

Si primum , mirantur , quòd adeò pertinaciter mortem renuant , formidentque homines , anima , quæ sentit , & intelligit , sponte corpus linquente.

15. Ob discordiam inter appetitum sensitivum , & voluntatem ratione ductam , etiam instigant illi , testari animam nostram æternam non esse. Si enim æterna foret , eidem obtemperaturum appetitum corruptibilem dicunt. Cujus contrarium homines in suis actibus experiuntur.

16. Etiam ex hoc argumentum , quo suas fulciunt partes , sumunt , quòd testantur , non posse se intelligere , qualiter ex anima , quæ ens actu est , & corpore , quod aliud quoque actu ens est , unum ens fiat , homo scilicet , quæ duo entia erant.

17. Definitio animæ , quòd ipsa scilicet , sit actus corporis physici organici in potentia vitam habentis. Non minus favere suæ opinioni , quàm relata per hunc modum inferunt. Si actus corporis quælibet anima est , ergo intellectiva actus corporis erit. Et inde ulterius eliciunt , quòd sine corpore intrante sui definitionem , manere non poterit.

18. Animas foetuum nondum in lucem æditorum , quem locum possideant interrogant. Etiam foedam , indignam , futilem , & ambiguam appellant conjunctionem animarum illarum cum suis corporculis , si perpetuæ animæ essent.

19. Item non parum inconvenire autem illi , homines à brutis tantum specie differre. Cum ut brutum , quòd animam sensitivam vegetativæ additam habeat , dicitur genere differens à plantis : homo additam rationalem sensitivæ habens , dicendus esset genere differens à brutis.

20. Ex quo aliud argumentum eliciunt, quod si duas animas homo habuisset, duo entia futurus erat, & si tres, tria.

21. Item parum homini prodesse animam manere proterviunt, si quod sentit, intelligiturque, homo ex anima, & corpore aggregatum sit. Ut nihil prodesse nobis inquiunt, Solem manere post nostrum obitum, etsi Sol ut universalis causa ad nostras operationes nobiscum semper concurrat.

22. Argumentum quoque illorum, qui animam immortalem astruunt, præcipuum est, ut adversi credunt, ipsam universalia intelligere. Sed hæc figmenta quædam intellectus esse Aristoteles testatur, cum dixit, aut nihil esse, aut posterius esse. Ob ea ergo non esse affirmandum animam perennem esse referunt.

23. Memoriam, rationem, & intellectum, ex quibus animæ immortalitas elicetur, quædam esse in homine se aequè supergredientia affirmant isti. Sed in brutis hæc inveniri proterviunt, ergo etiam brutalibus animabus æternitas concedenda est.

Hæ sunt ex præcipuis rationibus nonnullæ, attestantibus animam rationalem corruptibilem esse adductæ, quas solvere decet, ac ex aliquarum solutione, contrariorum opinionem confutare, quod agere auspicor.

Solutio primæ rationis eorum, qui putant rationalem animam corruptibilem esse. Concedimus nempè iis consequentiam illam ob intellectum scilicet, compelli Philosophos affirmare animam æternam esse: negamusque minorem, putâ, hunc ab infantia usque in primam senectutem augeri, & in decrepita imminui, si intellectum nominet arguens animam intellect-

tivam. Si autem intellectum dicat ejusdem operationes, has non inficiamur augeri, imminuque in vi-
tæ discursu. Nec hoc arguit animæ augmentum, aut incrementum, ut esse ignem magis minusve calidum, aut esse ceram elegantius, aut minus eleganter configuratam, non arguit, eam augmentabilem, aut minuibilem esse. Tam enim intelligendi operatio modus animæ intellectricis est, quæ figura modus rei corporalis dicitur. Anima nempe, ut in antecedentibus pag. 273. & sequentibus refertur, corpore non indiget, ut quo intelligat, sed ut per quod concipiatur, intelligaturque. Est enim adeò arcta conjunctio animæ & corporis, dum informatio durat, ut proportionabiliter afficiatur spiritualiter anima, ut corpus, quod informat, afficitur corporaliter: id enim informando, illi accedit, quod non informando minimè accidisset, etsi simul cum corpore penetrativè esset. Certè si cerebri corpus immodicè humidum redditur, memorari non vallet homo: non quod animæ intelligibilis substantia humectetur, sed quod phantasmata, quæ corpora sunt, eundem affectum patientia, impressionem in se factam ab objectis extrinsecis, statim, ut ipsa absunt, amittunt. Ut solet cera liquidissima, aut aqua figuram sigilli amittere, cum illud abeat. Etiam quod anima informans partem anteriorem cerebri noscentem absorbitivè, non potest affici, ut eam decet, pro memorandi actibus exercendis, quod ad proportionem affectus proprii corporis à se informati afficienda est, ut diximus. Et cum corpus cerebri immodicè humidum amittat celeriter affectiōnem factam à phantasmate, inde oritur, ut spiritualis affectus non duret, sed quod citè delitescat. Ut cùm

cum cerebrum immodica flava bili redundat, illi accidit, quod ipsum semper de rixis & iracundis actibus meditetur, quia insitum est flavæ bili phantasmata illorum actuum à memorativo scrinio posterioris partis cerebri in anteriorem noscentem abstractivè ducere. Ut etiam cum melancholicus humor redundat, cogit tristia hominem meditari per modum relatum. At dum immodicè isti humores videntur in cerebro, non tantum symptomata, quæ retuli, invadere ægros conspicimus, sed delirare eisdem cernimus: adeò affecta existens aliquando anima ad affectionem assiduam factam à phantasmatis rerum tristium, aut iracundarum, ut corruptum judicium cogatur elicere anima illa rerum non sic se habentium, ut ipsa affirmat, & credit. Nec miremini, quod dixerim, animam in morbosis, quos retuli affectibus, compelli edere vitiata judicia, præcedentibus talium, aut talium phantasmatum affectionibus. Nec etiam mirandum, quod affirmem in hoc liberam eam non esse: cum ab Aristotele sive expressè, seu implicitè audieritis in primo Posteriorum, eandem compelli, cognitis majore & minore cuiusvis boni syllogismi, assentiri conclusioni, eventibus idem firmantibus. Sed de his dicta sufficient pro hujus argumenti solutione. Si qua enim de hoc dicenda restant, in solutione vigesimæ rationis explicabuntur.

Ad solvendam ergo rationem secundam transeamus, quam esse nullius valoris, non tantum docti, sed & hominum vulgus facile intelligent. Cum enim per antedicta constet, animabus manere vim intellectivam post hominis mortem: atque hanc perfectiori quodam modo (nobis tamen ignoto) ex-

qui ab eisdem, quam cum corpus informat, quod eventus probent, esse ad intelligendum impedimento animæ corpus ipsum. Nam dum illud informat, non potest intelligere ipsa, nisi illud prius afficiatur. Cur animam secedentem à corpore nulli incumbere rei objiciunt adversi? Si enim vis tanta, ut potè intelligendi, animabus se junctis ineft, nonne beatiores dicendæ erunt, quam hominum? Quorum miserias si narrare incoepisssem, & conferre illas nonnullis vitæ voluptatibus velim, brevissimis paginis ultimum perfecisssem, & primum innumeris adhuc inchoare non valerem. Porro si prandre famescenti est gratissimum, & mollibus vestiri, ac dulcia deglutire tactui dulcissimum, amoenos sonos audire, & elegantes virorum, & foeminarum formas cernere blandissimum, iisque potiri suavissimum, cum eloquentissimis hominibus confuecere pretiosissimum, pretiosius non erit relata hæc perfectiori modo assequi intelligendo, quam nunc sentiendo? Indubie sic. Illa nempè dum sensibus fruenda offeruntur, non adeò mera lætitia affluentia se nobis concedunt, quin tristitia, aut moerore aliquo nos prius opprimant. Nempè nisi famis dolore corripiamur, cibus gratus non est, si duris & asperis prius non excoriemur, aut insipidis non simus affueti vesci, mollia nec dulcia saporosa non sunt. Nisi quoque dissonis sonis, & foedis foeminarum & virorum formis non simus primitus molestati, gravatique, iisque non delectamur. Ut non immerito dictum à Platone in Phædone illud sit: [Quam mira videtur, o viri hæc res esse, quam nominant homines voluptatem. Quamque miro naturaliter se habet modo ad dolorem ipsum, qui ejus contrarius esse vide-

detur. Quippe cum simul homini adesse nolunt, attamen si quis prosequitur cupidique alterum, semper fermè alterum quoque accipere cogitur, quasi ex eodem vertice sint ambo connexa. Arbitror equidem Æsopum si hæc animadvertisset, fabulam fuisse facturum. Videlicet Deum ipsum cum ipsa inter se pugnantia vellet conciliare, neque id facere posset in unum saltem eorum apices conjunxisse.] Iis affectibus post mortem non sic conjunctis. Quin seclusa adhuc religione hominibus intelligere valentibus, posse animam separatam perpetuò incumbere cognitionibus rerum perquam gratissimarum, absque impedimento affectuum corporeorum dolorem inferentium. Tandem ratione adversorum potius convincendi ipsi essent opinari animam nostram æternam esse, quam corruptibilem. Cum videant ipsi per totam hominum vitam eos, qui artifices sunt, non incubere nisi perpetuo labore, ut alimenta sibi, & suæ proli fovendæ assequantur: aliosque quibus census quotannis pro alenda familia supereft, per totam diem otiosos in triviis, in foris, in ripis, in montibus vagantes conspici, & nulli, aut tam exigui momenti rei operam dantes, cerni, ut nisi in multo potiores usus essent geniti, quam ut deliciis relatis admisisti tot doloribus fruerentur, deliram naturam meritissimè nominare possemus.

3. Solutio. Tertia ratio falsum supponere, neminem scilicet, ex mortuis resurrexisse, non tantum sacræ Scripturæ assertionibus, sed gentium libris comprobatur.

4. Solutio. Quarta ratio ortum traxit ex indocta interpretatione Aristotelis: fatetur nempè ipse, animam intelligentem manere post obitum, quæ si intellectura est, ut ipse asseverat,

memoriam est habitura, hoc enim adversi objectione satis probatur, quod nec Aristoteles est inficiatus, sed tantum animam per illum modum per quem nunc memoratur, recordari oblita, non posse, verba enim contextus non sunt, nisi quod deficiente passivo intellectu in hominis morte, non recordetur anima: quia nihil sine illo intellectu intelligat ipsa. Quod si absolute intelligeretur Aristoteles, adversaretur parum ante relatæ à se sententiæ. Illi scilicet: [Separatus est solùm hoc quod verè est. Et hoc solùm immortale & perpetuum est.] Non enim verè nominaretur separatus intellectus intellectus, si nil intelligere valeret: nec verè ens, quin futile & perpetuò superfluum, si in æternum non esset intellecturus. Solum ergo ex literæ ordine eliciendum est, ipsum nil intelligere post obitum mediante passivo intellectu, qui sine corpore talis nominari non potest, ut qui nostram Paraphrasim tertii de Anima calluit, noscet. Non tamen opinandum est, negare Aristotelem aliter animam intelligere & recordari.

5. Solutio. Quintam rationem meditati sunt, qui credidere animam conari naturaliter in astra ferre humanum corpus. Ut ignis res quibus miscetur, sursum tollere curat. Quod nempè falsum est, nam ii, qui naturaliter & piè sentiunt, noscunt animam beatam esse posse in hoc mundo, ut in cælo. Ex loco enim non oritur ejusdem beatitudo. Cùm quicquid sursum est, infra existens anima, possit intelligere & etiam eo frui.

6. Solutio. Quod infert sexta ratio conce- detur à nobis, quippe qui verè & christianè sapit gloriam & famam contemnit, nisi prout ex illis aliquid Deo complacens eliciatur.

Etiam

7. Solutio.

Etiam septimum, quod inferunt, concederemus facturos homines, si adeò indubie, ut sciunt, se morituros, ipsi scirent eorundem animas mansuras, ac post mortem statim gloria fruituras. Sed cum primum hucusque nisi fide cognitum sit, quam imbecillam nonnulli habent, & secundum adhuc religiosi viri de seipsis incertum habeant, quod illis pro statu isto denegatum sit, noscere an in Dei gratia obeant, an in ejusdem odio, ob ambas causas mors non immerito formidatur. Etiam quod Deus hominum mentibus terrorem grandem ex mortis praesentia incussit: ne si mori gratum fuisset, passim homines mortem sibi consicerent, ut vitae poenas vitarent.

8. Solutio.

Quamquam nostri instituti non est, reddere causam, cur æterna sint præmia bonorum, & malorum supplicia, quod nos tantum physicam docemus & animæ perpetuam durationem probamus & de cætero, nec interrogandi, nec respondere compellendi essemus. Tantum ut impiis adversis faciamus satis, non nulla quæ sufficere existimavimus, adducam. Nec quam omnes fermè reddere solent causam hujus justitiae reddam, scilicet, peccatum quodlibet esse infinitum, si animadvertisse offendit persona, quæ Deus infinitus est, indeque æternam poenam poscere. Aut quod peccator non tantum factis temporariè peccat, sed voluntate in æternum præcepta Dei contemnat: et si enim in æternum vixisset, qui in Dei odio vitam amittit, etiam in æternum peccasset, secundum aliquorum opinionem. Vel quod quantum spectat ad peccatorem, etiam Deum ipsum peccator vita privasset, si id fieri ab eo posset. Qui enim noscens Deo gratum esse neminem

adulterare, alterius conjugis uxorem rapit, nonne noscit, ut aliqui inquiunt, si Deus iis à peccatore patratis, posset moerore corripi & ex tristitia interire, quod nec ob id à fornicatione se abstineret? Certè sic. Cum neque timore supplicii æterni sibi inferendi à peccato non desistat. Sed iis omnibus causis dimissis, aliam, ut promisi, assignemus. Et quæ sequitur est.

Si paria futura sunt, ut omnes scimus, præmia justis collata, & supplicia iniquis, æquius à Deo constitutum fuit, legis transgressores æternas poenas pendere: & sub legis præceptis degentes, æternis bonis præmiari, quæ utrosque suppliciis & gloria ad tempus finiendis remunerari. Ratioque in promptu est, quia puerilis locus esset, hominem iniquum per tot annos vitam in gehenna agere, per quot vixit, & bonum virum pariter gloria donari, per æquum tempus, per quot bona opera exercuit, ac post utrosque renasci, præteritis oblitis: & iterum fortasse mutata sorte, qui gloria fruebatur, tormentis affligi: & qui prius torquebatur, gloria frui. Quæ ridicula vitantur, inquis perpetuis suppliciis vexatis, & piis æternis præmiis donatis. Certè præmia hæc si temporaria essent, & ad decretum tempus defutura forent, verè præmia non dicerentur. Timor enim amittendæ gloriæ ipsam denigraret: & metus aliquando reddituri supplicii verè alacrem animam esse non sineret. De quibus non amplius. Prioribus enim assertionibus, & hac ultima, sufficienter esse objectionem solutam existimo.

Nonam rationem frivolam esse, vel ex hoc docetur, quod omnes sciamus, multa agentia naturalia aliquibus impedimentis à propriis

motibus desistere, ut gravia à motu descendendi, levia ascendendi, arbores in hyeme germinandi, herculeum lapidem trahendi ferrum ob adamantis præsentiam, & alia innumera hujus sortis ex decretis causis proprias & nativas operationes ad tempus amittere, eisdem redeuntibus, cùm quæ impedimento erant, absunt. Mirum ergo non erit, animam tempore somni non sentire, ob corporis impedimentum, & in vigilia sensum restitui citra absentiam ejus à corpore, & redditum ejusdem ad corpus. Certè, ut fruticis forma manet in hyeme, quæ in vere præfuit, in altero tempore germinando, & in alio à germinatione desistendo: sic eadem anima manere non intelligendo semel potest, quæ intelligere alias valet.

10. Solutio.

Decima ratio præcedentibus invalidior est. Etsi enim concederetur verum esse, quod Aristoteles opinatus est, mundum ab æterno fuisse, inconveniens nullum inferri posset ex permanentia animarum infinitarum, cùm illæ quantæ non sint, ad cujus existentiam impossibilia, quæ ad quantorum infinitiorum positionem Aristoteles 3. Physicorum inferebat, sequebantur. Nec plus inconveniret, infinitis animabus præcedentibus, in dies ex hominibus mortuis alias novas cum præcedentibus asservari, quæ infinitis diebus antecedentibus ex Aristotelis assertis, etiam quovis die diem unum addi præteritis.

11. Solutio.

Non est de quo conqueri, qui nos impugnant, possint: quin potius nos non abs re de eisdem, quod mentiantur, queritari possemus. Supponant enim, Indis in novo orbe repertis, ignotam esse animæ æternitatem: quod falsum esse, non tantum ex innumeris alienis testibus scio, sed ex fratre &

nepote, qui per multos annos apud Indos vixerunt, indubie factum ab adverso compertum est. Adeò enim credunt Indi post hominis obitum animas suas mansuras, ut apud eos, qui colum Provinciam Carthaginem ritus antiquissimus fuerit sepeliendi Indos cum toto auro, quod in vita possederunt, uxoribus eorundem vivis cum viris defunctis, sponte, ac libenter sepeliri se permittentibus, ut quæ statim à morte videre charos conjuges sperent. Ex quorum opinione, & omnium quantumvis barbarum gentium credentium animas superstites esse, potius eliciemus eas æternas fore, quæ corruptibles, cùm quasi à natura omnibus insita sit hujus veritatis dignatio. Præterquæ nonnullis novarum hæresum conditoribus, potius, ut insignes fiant, nova dogmata docendo, quæ quod ita, ut proferrunt sentiant: ii enim nec præmia, nec supplicia post mortem sperant, et si se manete credant. Dignum animadversione porrò sibi existimavi, apud omnes gentes in confesso fuisse, Deum morte placandum: alii juventorum, alii agnorum, alii taurorum, nonnullique hominum, quasi ab orbe condito inditum implicitè hominibus sit Christi mediatoris morte, homines in Dei gratiam restituendos.

Inconvenire non quanta, ut puncta, moveri, ostendit Aristoteles 6. Physicorum, text. commenti 32. & text. comment. 86. substantias tamen spiritales, ut Angelus, & anima, posse nunc uni loco adesse, & post alteri, nemo negare valat: cùm eventus doceant, infantium animas, exiguis corporculis suis adesse, eisdem juvenum corpora post informantibus, quæ multò majora, quæ infantium sunt.

Cum

12. Solutio.

Cum ergo quæritur, qua vi moveantur animæ separatae à corpore, & Angeli, faciliter respondebitur, quod propria facultate, & solo voluntatis imperio valeant transire de loco uno in alium, non in instanti. Ne compellamur fateri, simul in termino à quo, & ad quem, eandem animam esse, sed in exiguo tempore. Et de his hic non plura, fortassis enim Aristotelis assertio libro & loco citato non omnino vera est, ut non indoctè Scotus secundo Sententiarum, dist. 2. quæstionē 9. ad tertium scripsit.

13. Solutio. Virtutes, cum habitus sint, an corporales sint dispositiones, an animæ, inter Philosophos, ut insigne dubium tractatur: quod nobis hic discutiendum minimè incumbit, nos enim tantum durationem, ut dixi, animæ post hominis mortem inquirimus. Sed sive virtutes modus habendi animæ sint, seu accidentia ipsi inhærentia, seu corporei affectus, præmia bonis viris à Deo conferuntur propter vitam, quam honestè suis præceptis obtemperantes vixerent.

14. Solutio. Ambiguitas illa adversiorum cogit examini subjecere, quod tempus magis gratum esset animæ futurum naturaliter, seclusis præmiis & tormentis, an illud, per quod informando corpus durat: an aliud, in quo, dimisso corpore, sola manet. Tam ingenti horrore incuti, cum mori timemus, gratissimam durationem animæ in corpus testari videtur. Et ex alia parte oppositum ratio suadet. Si enim cum corpus informat anima, nihil valet percipere, nisi prius corpus sit certo modo affectum: & cum à corpore sejungitur (si naturaliter loquamur) liberè cuncta noscere valet, potius hic, quam ille status optandus ab ea futurus erat. Adeò

ratio hæc, qua probatur, præferendam durationem animæ post hominis mortem temporis, in quo durat in corpore, valida est, ut cogatur confiteri, verum concludere, & rationem reddere, cur mortem timeamus. Quod, ut intelligatur.

Animadvertisendum, animam duplices actus volitionis inter se contrarios successivè sèpè elicere. Cum enim gliscit ea, quæ toti homini complacent, tunc sensitivus appetitus nominata, quæ in præsens grata sunt, neglecto futuro, desiderat: indeque etiam mortem revertur, ut quæ homini indecens est. Per eam enim animæ & corporis connexio dissolvitur: qua dissoluta, homo esse definit. Ut cum, quæ in futurum ipsi animæ convenient, illa appetit, sive homini convenient, sive non, voluntas dicitur, & mortem præfert vitæ, per eam sperans in meliorem sortem se commutandam corruptione hominis, & ejusdem voluptatibus neglectis. Quod ita habere, beatus Paulus ad Galatas, cap. 5. scribit, cum dicat: Caro autem concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. Animam enim concupiscentem, quæ homini in præsens placent, carnem Paulus appellat. Hæc enim phrasis est Scripturæ Sacrae, ut Matth. 16. cap. Evangelium docet, cum Christus Petro dixit: [Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelabit tibi, sed Pater meus, qui in Cælis est.] Spiritum autem eandem animam Paulus dicit: prout contemptis hominis voluptatibus, quæ eidem expediunt, vult. Quos contrarios actus non simul voluntas, ut dixi, elicit: implicaret enim velle & nolle simul idem, sed successivè. Quamquam contingat esse adeò conjuncta tempora, in quo ambo contra-

rii eliciuntur, ut simul facti cresentur, eisdem hoc etiam tunc contingente, quod non intensi eliciantur, sed remissi. Ut velle exponi periculo mortis, aded lentè fæpius sit, ut sua remissione parum distet ab actu contrario, quo mors etiam veretur. Ceu in naturalibus aqua valde remissè calida remissè frigida à nonnullis censetur, quod parum distet remissa caliditas à frigiditate, etiam remissa. Hos quoque modos appetendi diversos explicuit Aristot. 3. de Anima, text. comm. 57. modumque quo anima pro homine sentit, & appetit, ut nos diximus, innuit Augustinus in libro de Quantitate animæ, cap. 23. cùm dicit: [Attende ergo, nam sensum puto esse, non latere animam quod patitur corpus.] Et eodem lib. cap. 25. cùm dixit: [Jam video sic esse diffiniendum, ut sensus sit passio corporis per seipsum non latens animam, nam omnis sensus hoc est.] Quæ de dupli appetitu dixi, notanda sunt: eisdem enim intellectis, facile dignoscitur Platonis error, existimantis appetitum irascibilem in corde situm esse, & concupisibilem in jecore, & mentis in capite, non percipiens Plato animam eandem numero utrumque dici, prout taliter, aut aliter se habet. Neque intelligens, quod si diversa entia essent, quæ appetitum irascibilem exercent, ab his, quæ alias duos appetitus exequuntur, nihil in nobis reperiretur, quod de his tribus actibus concupiscendi, irascendi, & volendi distingueret, cùm quælibet harum facultatum de proprio actu judicaret, & nulla de altero. Et ut nullus credit nos Platonis impossuisse relatam opinionem, Galenum lib. 5. de Decretis Hippocratis, & Platonis scribentem de re hac audiant omnes: [Nunc quia

neque de pulchritudine, & sanitate, turpidudine, & morbo, nec de iis tantum, quæ ad corpus attinent, absolute nobis est sermo, sed de animæ affectibus proposita erat consideratio, cætera omittemus, ad institutumque ipsum revertemur. Quod demonstrare proposueramus, id est, neque in una tantum animæ parte, neque in una facultate, & judicia, & affectus existere, ut Chrysippus sentit, sed plures esse, diversaque genere tum facultates, tum partes. Animæ quidem facultates tres esse numero, quibus cupiamus, irascamur, & ratiocinemur, vel Posidonius ipse, & Aristot. etiam concedit. Locis etiam inter se separatas esse. Animamque nostram non modò facultates multas in se habere, verum etiam ex partibus diversis genere, naturaque discrepantibus compositam esse, Hippocratis, Platonisque decretum confirmat. De cuius veritate multa à nobis dicta jam sunt.] In quibus verbis palam dicit, Platonem voluisse, quod nos prædixeramus. In quo non est mentitus, sicut in eo, de quo Aristotelem citat. ipse enim bene explicitus numquam id voluit, quod Galenus testatur. De quibus fusius (si Deus concederet) nonnumquam agemus.

Quintadecima objectio quoddam falsum supponit, putà, id, quod appetit, cùm appetitus sensitivus nominatur, esse aliam rem distinctam ab eo, qui vult. Cujus contrarium in solutione antecedente explicuimus, ideo hoc solo disolvitur.

In rigore quoque decimasexta obiectio falsum supponit. Nam nos non confitemur, animas prius tempore conditas esse, quam corpora eis animanda fiant, ut Plato existimavit, sed quod cum anima creatur, infun-

funditur in corpus. Per quod dissolvere valemus rationem adversorum : negando ex duobus actu entibus hominem constare. Quia anima numquam actu præfuit ante quam homo esset, sed in eodem instanti ambo per primum sui esse, esse incœperunt. Verum cum consciens simus, quod quamquam Deus per modum relatum naturaliter gignat homines, post sæculi finem restituturus est eosdem, quorum animæ sive quæ gloria fruuntur, aut quæ illa non potiuntur entia actu sunt, & quod corpora in morte destituta entia actu etiam manfere, ubi vis argumenti vigebit, idèo in præsentiarum à nobis solvitur, confitendo non inconvenire, ex duobus actu entibus unum ens fieri, non confusis talium entium substantiis, sed una per modum subjecti, seu materiæ se habente, & alia, in modum formæ, multis horum operationibus ab ambo bus emanantibus, non valentibus ab uno eorum tantum procedere. Quis enim verè dicere poterit, nutrictionis actus solius animæ esse? Cum notum sit, quod sine corpore ipsa minimè valeret calefacere elquareque cibum, & eliquatum ad jecur transmittere, ubi etiam sine corpore, nec sola anima in sanguinem alimentum transmutaret, nec transmutatum, in membra substantiam verteret, ut etiam solum corpus sine anima nihil relatorum assequeretur, sed anima, & corporis qualitatibus simul operantibus relatas operationes effici, ut si ab unico, & simplicissimo ente emanarent. Est enim tanta vis conjunctionis, ac tam eximia unio animæ informantis corpus cum ipso corpore informato, quod in his naturalibus operationibus utrumque ut unum reputatur.

Ignorant, qui dicunt, animam semper futuram actum corporis physici organici, quod quæ in definitionibus assumuntur, non dicant actum, sed aptitudinem. Ut cum homo animal rationale finitur, rationale non dicit hominis actualē semper ratiocinationem, fed potentiale. Si enim primum dixisset, mala esset definitio, cum nec homini dormienti, neque insano convenire, dici animam actum corporis, quæ corpus non informat, quia nata sit corpus informare.

Quem situm animæ foetuum habent, qui spiritalem aquam non receperunt, Ecclesia decrevit. De qua re non tenemur, Physicam docentes, rationem reddere. Foedam nominari conjunctionem animæ foetuum relatorum ad sua corpuscula, quod tam citò dissolvatur, non habent ut quid dicant impii: cum magis foeda dicenda foret, talium tam citò dissolvendorum generatio, si nulla partium post permansura esset.

Vocare differentiam inter homines, & bruta specificam, inventum logicorum fuit, qui non pendunt, quanto inter se entia diffent, sed genera, & species aliis methodis dividunt. Si enim homines aliqui essent perpetui, & alii corruptibles, hominem corruptibilem à brutis genere distare asseveraremus, quod homo genus tunc diceretur, & tamen non plus differret homo nostræ speciei à brutis tunc, quam nunc. Parum ergo interest, differentiam inter homines, & bruta specificam, aut genericam nominari, ad animæ æternitatem, vel corruptibilitatem astriundam.

Etsi falsum esse homines duas animas habere, probatum sit in hoc opere, pag. 60. tamen etiam illo im-

impossibili naturali admissa, non sequebatur, illum duo entia futurum, cum plures formæ possint simul, & penetrativè eandem elementarem materiam informare, dum una alteri prædisponat. In carne enim humana viva, est anima rationalis, ut præcipua forma, & carnis forma, quæ absente anima, cum homo moritur, durat. Et sunt quoque carnæ diversæ partes, quæ non omnino simplices in genere mistorum nominantur, formam misti additam elementis constituentibus carnem, & manentibus formaliter in eadem habentes, & omnes istæ unam numero carnem constituentes. De quibus (Deo ducce) agemus, cum existere elementa formaliter in mixto, indissolubilibus rationibus probaverimus.

¶ 1. Solutio. Falsum supponit adversus, attestans hominem, id est, aggregatum ex corpore, & anima tentire, & intelligere. Cum nos in prima ratione nostra, qua animam immortalem indubie probasse credimus, oppositum demonstraverimus.

¶ 2. Solutio. Veterum opinio fuit illa, quæ ab adverso ut vera supponitur. Mihi tamen compertum est, non tantum ex universalium notione animam separabilem à corpore esse, sed ex quavis sensifica cognitione id elicere posse, ut ratio, de qua in solutione præterita meminimus, exprimit. Quo argumentum adversorum casum, & nullum manet.

¶ 3. Solutio. Fingunt ex adversis aliqui, memoriam, & rationem, & intellectum esse tres res realiter distinctas. Quod falsum est. Ut quod sint virtutes, seu facultates, aut potentiae animæ realiter ab ipsa anima distantes, de quibus quod convincere adversos sufficit, jam propè principium universi hujus operis

scripsimus: & quod restat, ut copiosius improbentur, usque in sequens opus differtur. Itaque si hæc ratio ultima illis falsis opinionibus innitatur, nullius valoris erit. Ac etiam quamquam veræ opinioni afferenti animæ facultates non distinguiri realiter, sed tantum ratione ab ipsa anima, vim habere non poterit, quod supponat aliud prædictis absurdius, brutis scilicet, inesse memorandi, & ratiocinandi, & intelligendi vires: quibus si dotata essent irrationalia, futura necessariò homines erant, ut in antecedentibus docuimus, & etiam ex hominis definitione constat. Per quæ sufficienter esse solutam rationem ultimam restat. Ob quod Deo Omnipotenti, quas possumus, gratias agimus, jam quod humana hæc nostra fragilitas, quas debet, non valet, quod optatum finem consequi permiserit.

Et ut nemo opinetur, quod quidam plus pius quam doctus vir semel mihi secum disputanti de insensibilitate irrationalium, convictus meis rationibus, & mutus redditus, cum esset responsurus, objecit: Vereor, inquit, ne Sacrae Scripturæ hæ tuæ rationes aduersentur, cum apud Isaiam capit. 1. legatur: [Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui.] Ubi manifestè videtur Propheta bestiis cognitionem tribuere. Ut id ergo nemo credit Prophetam intellexisse, ut dixi, quæ à me huic religioso viro responsa sunt, attendite: Reverende pater, inquit, ut tibi in mentem verba relata venerunt, cur præcedentium parum ante sententiam non animadvertisisti? Ex quorum serie facile intelligeres, in quem sensum verba, quæ mihi objicis, scripta sint. Moneo enīte observande pater, ut numquam scrip-

scripturarum sententiam ullam elicias , nisi prius, quæ antecedunt, & quæ sequuntur perlegeris : quod si fecisses , non adeò temerè objecis- ses , quod tibi adversatur , & meis partibus favet. Namque (si memo- ror) principium exclamationis Pro- phetae verba , quæ sequuntur, sunt: [Audite cæli , & auribus percipe terra , quoniam dominus loquutus est , &c.] Ubi per metaphoram

homines spiritales cælum nominat, & brutales terram dicit. Unde fa- cilè elicitur , Prophetam etiam per metaphoram inclinationem illam naturalem , qua bestiæ ab objecto- rum speciebus ducuntur , cognitio- nem dicere : ubi , ut retuli , nos- tram sententiam Prophetæ ver- bis confirmat. Propter quod iterum Deo gratias ago.

LAUS DEO.



OBJECTIONES LICENCIATI MICHAELIS A PALACIOS,

CATHEDRARII SACRÆ THEOLOGIÆ IN SALMANTINA
 Universitate adversus nonnulla ex multiplicibus Paradoxis
 Antonianæ Margaritæ , & Apologia
 eorumdem.

AD LECTORES EPISTOLA.



T paululum sinceri amoris, quem erga vos Physicos, Medicos, ac Theologos habeo, quantumque onus, vobis ignaris, omni in tempore subeam, monstrem, & ut dogma nostra (quæ quia inaudita hucusque fuere, admirationem legentibus ingerunt) palam vera esse, quantumvis rudibus ostendam, visum est quinque adversiones, à Licenciato Michaeli à Palacios Cathedrario Theologo in Salmanticensi Universitate, atque nostram ad illum Apologiam typis mandare: objectionibus enim illis, atque nostris responsionibus, mutuisque argumentationibus adversus nonnulla ab eodem asserta intellectis, illustris, ut est, nostra doctrina evadet. Fortassis enim aliqui ex vobis nonnullis suasionibus adversi amplecti nostra placita verebamini. Neque pro his, ac aliis quantumvis improbis laboribus aliud consequi cupio, quam ut nostrum Codicem legatis, ac perlegatis, qui per priorem lectionem mentem nostram capere non valueritis. Etiam quod detrahentium & mordentium linguam vitetis, atque quod illorum autoritatem in detractionibus nihil pendatis, nisi cum rationibus sufficientibus suffultas esse noveritis. Concius enim mihi sum, nullas, quæ vigorem ullum habeant, adversus nos adduci posse, præter eas, quas nos in nostro Codice, atque in præsenti opere enodamus. Quid enim valet ab aliquibus doctis nobis objici, quod & ab imperito vulgo etiam quandoque opponitur, credibile non esse, si vera essent, quæ nos docemus, antè, & in priori saeculo nota non esse: cum omni in tempore, ea nobis revelentur, quæ prioribus incognita fuere? Quis enim nescit, ab orbe condito occiduos Indos ab habitatoribus hujus emispherii ignotos fuisse, à nobis jam à sexaginta annis adeò rudibus inventis, ut literarum usus ignotus illis fuerit, quo certè deprehenditur, nullos ex nostris ad eos appulisse: Etiam morbum, quem vocant Gallicum, ab eodem tempore inter nos grassari visum, in nullis medicorum priscorum libris prius scriptum, & aliorum sexcentorum suam primam cognitionem literis esse ostensam. Et quod in horum subtilium argumentorum solutione immorari infrugiferum est, ideo catastrophen imponere visum. Vale candide Lector. 15. die Martii, anni 1555.



OBJECTIONES

DOMINO GOMETIO PEREYRA

MICHAELIS PALACIOS.



ANTIQUORUM studiorum novellum tuum partum didici tuis literis , quem ut ais , jam olim parturiens , nunc recens peperisti , & non ad decimum , ut dixit ille , sed ad trigesimum usque annum conceptum foetum excusisti . Consultum sanè consilium , & tua arte dignum , quod in omnium ora expectandum objicitur multi ævi sinu præmere , & quod immortalitati dicatur , multo utero conditum confovere , ne quod absit , desiderata sobole emortua , præcocem causeris . Quæ enim infirmis nata sunt principiis , perpetua fore , qui fiet ? Gradu concito tui libri lustravi quædam , universa negotiis scholasticis districtus non potui , abunde illa præferunt ingenium tuum , acrimoniam cuius , disertasque vires apud me tacita extuli cogitatione . Porrò audaciam (quod venia dixerim) tuam , mirari satis non valeo , nisi parùm putas , cum omni Philosophorum gymnasio manus conferere , agminaque ipsorum ad tuam unius provocare pugnam . Acutum namque Lycaeum spernis , gravissimam Stoam depicis , divinamque Academiam nihil ducis : quæ experta , quæ recepta , quæ numerosis sæculis longa patrum serie prudentissimis calculis sunt comprobata . Tu unus quasi novus Aristarchus , quasi novus orbis censor , tui libri censoria virgula universa sapientum dogmata explodenda censes : & quod Sacra Antiquitas nescit , te reperiisse gloriaris . Aristotelem Principem , familiamque Peripateticam non esse consulendam credis , nec tibi opponendam mones , sed liberis argumentis vagandum , Authorum probatorum fide neglecta , quasi vero isti rationi in consulta placita sua scriptis mandassent . Durissimam tibi coepisti provinciam : gloriosam tamen (superbam dicit aliis) verum si labor tuus fortunatè tibi cesserit : sin reflantibus ventis , procellosisque argumentorum gurgitibus paradoxorum hæc carina involuta naufragatur , operam , & oleum , quod ajunt perdidisti . Quamquam nonnihil est , Antonianam Margaritam tui nominis monumentum in posteros æternos transmittere : ut ante te Parmenides , & Melissus , & Zeno , & Heraclitus portentosam invehentes Philosophiam , portentorum suorum famam æternam retulerunt . Cæterum quantum ad me attinet , morem tibi geram , ut hoc officio , & amicitiam tuam inire liceat , & initam devinctam ad multa sæcula teneam : quamvis novæ amicitiae infausta sint initia , cogor enim animadversionibus , & reprehensionibus illius facere initium . Neque hoc factò esset opus , tuæ nisi literæ istud vehementer efflagitarent . Præstabat etenim beneficiis te delinire : quam morosè opuscula elaborata

tua cauterio inurere. Tu tamen illum amicum exigis , cuius vulnera inimici osculis commodiora credas , candidioreque , & æquiore animo feras. Sub hæc unum est, quod me à gerendo tibi more, vel in primis retrahit, immò absolvendo operi exanimat, illud est, hæc tua scripta diù jam est quòd medulis tuis glutino haeserunt intimè: illa lustrasti, tua sententia oculatissimè, numerisque omnibus absolvisti, quantumque veri, quantumque falsi contineant, liberata lance pendens, ultrò, citròque dispexisti: & priusquam prælo committeres, doctorum virorum collatione explorasti , & quasi ad coticulam, vel legitimi ponderis libram tui libri valorem , & dignitatem , expertus es: tandemque digna judicata sunt tuo arbitratu , quæ in omnium manus evulgarentur. Jam verò admiratio , & non vulgaris mihi subiit quid sit, quòd judicium meum , censuramque meam poscas , si quæ falsa scripta sunt , correctionem subire non possunt. Quod si alii ad sententiam tuam retractandam non compulerunt , & quid ego potero ? Porrò si tua digna sunt laude, tenue est testimonium meum: nec est cur illud affectes. Ego tamen , ut cesserit , postulata præstiti , dictis tuis audiens. Animadversiones aliquot in scripta tua tibi lego , plures legaturus , si tui instituti ratio mihi fuisset in absoluto. Has igitur si receperis , operæ meæ erit pretium , si non receperis , quod meum erat præstiti , mea intererit nihil, quando potentibus amicis opellam meam non subduxì.

ADVERSUS PARADOXUM PRIMUM.

ADVERSIO PRIMA DE BRUTORUM SENSU.

QUOD igitur petis per epistolam tuam , hoc aggredior , & inter tractanda primò quod maximè omnium portentosum videtur illud est, Bruta carere sensu. Aut enim sermo est de sensu exteriori , aut interiore , quamquam philosophorum sententia sensus germaniorem habet significantium , si sensum exteriorem indicet , quem primò significavit. Hic enim sensus fuit primo notus , quam cæteri sensus , qui dicuntur interiores : quare qui negat bruta sensum habere , proprietate vocis observata, negat externos sensus brutis: id quod ipsa experientia abunde demonstrat. Neque qui hoc affirmaret , curandus esset admodum , sed relinquendus cum suo cerebro , verùm quia jam philosophi vocabulum sensus significando vim animalium quandam intimam usurpant, hanc oportebit probare, animalibus brutis natura concessam. Statuamus igitur in entibus non esse omnia æqualia , sed nobilitatis habent gradus distributos. Inferior igitur gradus rerum omnium inanimatarum erit, superior, animatarum. Hæc autem animata gradibus item suis distinguuntur, ut nos ipsi cernimus , latam , longamque differentiam in animatis ipsis. Sunt enim plantæ animatorum gradus insimus. Quippe radicibus terris infixæ neque progrediuntur, neque vim cognoscitivam habent: quare cum bruta diversam habeant, & nobiliorem naturam plantis, necessario conficitur, animas nobiliores , præstantioresque operationes potitura , hæc autem nobilitas , quæ est nisi in vi sentiendi , & in vi progrediendi? Plantæ enim vi sensifica orabantur , quod terris infixæ in aliud locum non se transferunt, vi tamen altrice illis indita cibum nativum exugunt. Verùm animalia , quæ se de loco in locum transferunt , donanda erant sensu , quo cibum sibi natura non præstitum procul præsentirent: id quod primum sensu exteriori perficitur.

Pos-

Postremò verò sensu interno ad præsentem cibum , atque potum sensu exteriori diriguntur , quo sibi quærant , & sibi curent , aut conquirant quæ sibi sunt necessaria. Verum cùm hujusmodi aliquando absint , non poterant se movere in illa , nisi vi cognitiva interiori ducerentur , ut vultures ad cadavera longè sita odoratu convolant : & bobes ad prata ad pascua nuper degustata , ducente nemine se agunt , & equi , & jumenta , & cætera domos pristinas nullo agitante revisant. Verùm argumentorum tuorum pondus , quo nostram Philosophiam premere contendis plus revellit sensum interiorem , quàm exteriorem. Vereris enim si sensu sint prædicta bruta , ratione item esse prædicta , quod argumentum quàm placidum sit , tu ipse adverte. Primum enim facile tibi dicerem , vim sensitivam interiorem esse solum apprehensivam , & non judicativam , in brutis : & si tu tamquam axioma philosophicum diversum credis , quod enim neque axioma est , nec propinquum axiomati. Sunt enim plerique nobiles Philosophi , qui probabile dicunt , apprehensionem interiorem satis esse ad concitandum appetitum , qui concitavit motum exterum : id quod nos ipsi experimur in repentinis motibus fugam captare ex apprehensione mali terribilis de repente oblati , qui bombardam numquam audivit , aut si securus audierit , quando tonaverit , tremunt membra , certè ex apprehensione sola citra judicium : natura enim animalis apprehenso malo , refugit ipsum , quia apprehendit malum , & quamquam vi ordinatis motibus judicium sit prævium : in repentinis malis prævenitur judicium , & apprehensio sola mali fugam rapit , & apprehensio boni perfecionem. Sed nihil horum necessarium est mihi. Donemus tibi , ex abundantia , judicium necessarium esse ad motus prædictos peragendos : judicat igitur brutum hic cibus est mihi conveniens , ille noxius , fateor , distinguit qua propter inter cibum , & cibum : Item donamus colligis habent rationem , quia ratio est vis distinguens , collectio est infirma. Bruta distinguunt verum inter sensibilia , & adhuc non perfectè inter hæc. Bruta enim non percipiunt omnes differentias sonorum æquè , ut homo , eoque melodiis non delectantur vocum , neque cordarum , neque fidium , frustraque canitur illis lyra : quamquam equi concitentur ad bella commitienda tubarum clangore , propter soni vehementiam in aures ipsorum præstinentis. At verò minutulas sonorum differentias tonorum , & semitonorum proportiones animalium omnium solus homo sentit. Et quod de sonis , idem de odoribus , quorum differentias non admodum sentiunt. Neque foetoribus offenduntur , neque fragantiis delectantur rosarum , aut violarum , aut gariosilorum , undè in proverbium abiit , amaracus non spirat sui. Missum faciamus tactum , cuius differentiam in homine facile sentit , qui levi iictu concusus perit , id quod in brutis minimè experimur : & per tactum multa judicamus , quæ subtilia , quæ grossiora , quæ mollia , quæ aspera , quæ brutis non conceduntur ita exactè : cuius judicium est cutem humanam tenuissimam esse. Quod si gustus perfectionem in hodie quærimus invenire , ipsa culinaria ars , quam coqui exercent , docebit quantis differentiis saporum humanus gustus afficitur. Hæc quæ diximus , apud Arist. 5. de Generatione animalium , cap. 2. breviculo sermone sunt scripta. Perfectum igitur judicium sensibilium in homine est. Quamquam bruta suasensiones ad majorem producant distantiam , quia spiritus grossiores habent : verùm in propinqua distantia subtilior est discretio sensus humani , quam brutalis. Jam ergo quale erit argumentum tuum , distinguunt sensibilia ,

ergo prædita sunt ratione. Distingue antecedens , & nihil tibi dubii restabit in argumento. Bruta distinguunt sanè, sed imperfectè, eò quod non habent rationem, quæ perfectè est discretiva, & distinctiva. Sed age , fac bruta discernere perfectè sensibilia , nonne propterea rationalia sunt proclamanda? Non arbitror , ratio namque est universalium, & singularium: universalia autem brutis non sunt concessa , quamquam tibi videatur virile esse argumentum tuum : bruta habent sensum , igitur cognoscunt universalia. Ad cognitionem universalem non satis cognitionis hujus, vel illius particularis , est , ut tu reris ; sed necessaria est discursio perfecta , qua ex singularibus universalem notitiam comparemus id , quod brutis negatur. Quamquam non defuerunt Authores , qui imperfectum ratiocinium brutis dederunt. Verùm universalis cognitionis cùm contemplativa sit potius quam practica , bruta , quibus contemplatio non congruit , nec universalitas ipsa competere potest : actiones autem cùm sint de singularibus , bruta , quæ activa sunt , suaptè natura practicam notitiam de singularibus habent , qua instructa se moveant ad sequelam , vel se parent ad fugam : inanimata verò cùm se non moveant , sed ab alio dirigantur : ut lapis suum motum non initiat , & quieto loco residet , donec initiantem habeat : quapropter inanimata non sunt donata cognitione , satis namque illis provisum est à diligentibus esse movenda , quæ notitiam motus perficiendi abundè habent. Neque aliud est in causa : quòd quædam se moveant , alia verò quieta jaceant , nisi quòd illa per internam notitiam motum suum initient , nullo extrinsecus vocato initiante , hæc verò forinseco egent motore. Quod si sensum à brutis subtrahis , convinceris negare , quod oculata experientia confitetur , bruta se movere. Scio hoc argumentum ad calumnias posse verti , si confundas se agere , & se monere , quæ lata distantia discrepant. Bruta enim scholæ Philosophorum , & Theologorum concedit non se agere : agunt se enim illa , quæ suum motum habent in propria potestate , qualia sunt rationalia omnia : verum se movere hoc non profert , sed initium dumtaxat motus habere in semetipso. Et ut apertiùs proferam , quod habeo , se movere , est excitare proprium motum : bruta autem se excitant: quando enim expurgiscuntur à somno , illa nullo impellente , aut prorritante erigunt se , & transferunt se cibi digestione completa. Quapropter hæc tria distincta credo , facere motum , & se movere , & se agere : inanimata enim suum motum faciunt , terra suum , & reliqua elementa proprios. Arridet enim mihi quorundam Philosophorum placitum formas elementorum factivas esse proprietum motuum localium. Movere autem se , est facere proprium motum , verùm initiando , & excitando illum. Postremò agere se non solùm est excitare , & initiare motum , sed ipsum habere in propria potestate. Quare cum cognitione expectet motum ; secundùm mensuram motus Philosophi rimati sunt cognitionis principium , & mensuram : quæ ergo imperfectos gerebant motus , ut in anima , cognitivo principio orbaverunt : quæ verò perfectos , illa altiori principio motus sunt donata , quæ sunt bruta animalia : & hoc principium altius vocaverunt sensum. Quæ verò perfectissimè motus administrant , altissimo sunt decorata principio motus exercendi , quæ sunt rationalia rationali mente potita. Neque tu , aut quisvis alter Philosophorum , hanc ordinatissimam Philosophiam jure infringere poteris , secundùm qualitatem operationum principia operatoria esse disjudicanda. Quòd si objiciis plantas etiam se movere citra sensum , &

animalcula quædam non se movere cùm sensu, qualia sunt conchæ, & pisces alii rupibus marinis infixi: jam tibi paratam offero responsonem, plantas siquidem movere dùm cibum fugunt, & à radice in truncum, à trunko in ramos, à ramis in culmen distribunt, natura intrinseca, quæ est anima plantalis, hoc operante. Atque cùm hæc non se transferant de loco in locum, sed fixa conquiescant, sensu prædicta non fuerunt, quem otiosum habuissent. In genere igitur animatorum illæ infimum tenent gradum in mouendo se, conchæ autem animalium cum teneant postremas partes, ad planitarum naturam degenerant: quæ cum pressa constringantur, & libera non nihil dilatentur dilatatione, & constrictione in numero sunt animalium, ipsa tamen defixione, & immobilitate, sensuumque raritate plantarum vicinitate gaudent. Ipsa disputatio sensim labens digressa est à prima institutio-ne, ad quam regrediamur, si libet, de universalibus notitiis disputatio agebatur. Illud contendebam, argumentum esse infirmam, bruta sensu sunt prædicta, universalia igitur consequuntur. Persistis tamen hoc pacto, brutum novit hunc ignem calefacere, & illum, ergo omnem. Primum concessimus nos, alterum necessario arguento putas concedendum. Ego tamen negandum credo. Nam sèpè rusticani homines nesciunt has inductiones colligere quicquid bruta nesciant? sensus namque brutorum non est collativus inter singularia infinita: quapropter universalem notitiam colligere non potest, quæ infinita confusè repræsentat: potentia autem brutorum cùm materialis sit, id est, non habens illum gradum spiritualitatis, quem habet intellectus, non potest ad illa infinita cognoscenda se extendere. Judicat igitur hunc ignem calefacere, & illum calefacere, nec tamen confert hunc ignem cum illo igne, neque potest conferre: illud enim spectabat ad vim contemplatricem, qua bruta non egent.

Accedat omnibus istis, si à te sciscitemur, an pueri inter crepundia recente inque partum sint donati sensu, an orbat? Si donati à te creduntur, propè modum, & bestiæ cùm habeant conditionem infantium, Authore Aristotele, imò experientia commostrante, bruta quoque habebunt sensum, quemadmodum & pueri, qui cùm habeant intellectum consopitum, sensu reguntur solummodo bruta, igitur citra intellectum, quid oppedit, quo minus sensu, regantur? Quod si propter dogmatis tui contumaciā pueros insensibiles facias, injuriam generi humano infers, dūm hominem concedis aliquando, & sine ratione; & citra sensum esse. Quale igitur est illud, quo ad ubera matris se conferunt? quale illud, quo ad risum concitantur? rident enim aliquando, flent sèpissimè, quid ergo sine sensu risum laxant, & lacrymas demittunt? Sed age injurius non sis, contumeliam istam donent tibi pueri. Si infantuli sensu carent, cùm procedente ætate sensu fruantur, undè nam illis convehitur novus sensus? quæ vehicula finges, aut secretos naturæ cuniculos, per quos subrepens insinuetur sensus, aut per quos canaliculos descendens instillabitur hominibus sensus iste? Obscurō partus esto in dogmatibus istis; sensibilitas enim differentia essentialis est, nisi novam cùm Philosophia dialecticam imagineris. Quare si in ætatis profectu sensus est accesio, & sensibilitatis erit conquisitio, & differentiam essentialē novam ætatis incremento sibi conciliabit homo, advertis quo se præcipitem det tua hæc Philosophia? Propter hæc statue, quid animal sit. Credo vulgarē omnium Philosophorum diffinitionem recipies substantiam sensibilem, & syllogismum, quem Græci aphycton vocant concinuabis, quod animal subs-

Substantia est animata sensibilis. Brutum animal est, igitur substantia animata sensibilis.

Credis ad hoc motum brutorum in principium alterum esse referendum citra sensum, succinum trahit paleam, magnes ad se cogit ferrum: ita & bruta trahi à sensibilibus. Sed collatio hæc toto cælo errat. Sensibilia enim non sunt prædicta vi tractiva, experiretur enim humanus sensus hunc tractum, quem non experitur, & initium motus extra bruta esset locandum, id quod dudum rejecimus. Et rursùm omnis tractus tractum qualitate nova afficit, quod experti sunt Physici, magnetem lapidem aliis oblinientes tractionem suspendisse. Quas ergo fluxiones concedens in sensibilibus omnibus, quibus ministrantibus bruta trahantur in ipsa? atque cum effluxiones istas trajectorias corpulentas cogaris concedere, qui brutam animam divisibilem affirmas, consentaneum erit perpetuas effluxiones sensibilia extenuare: perpetuus namque ille propriæ substanciæ fluxus istud conficiet. Et tibi in hujusmodi paradoxo contingit planè, ut Democritam doctrinam ab orco (quod ajunt) revocare videaris. Quippè Democritus effluxiones istas in orbem intrusit, quibus & tensiones sensuum exercebat. Et lupum fugiens, habens obvium Leonem. Quod si adeò tibi tuum arrisit placitum, opportuisset has vires tractivas, ad quas refugis, legitimis probationibus introducere. Quis enim gratis tibi credet in colore, & in odore vim esse sensuum compulsoriam, si tracti à colore videmus, cum tractio sit localis motus, visio igitur citrè motum localem non contingit? Verum potentia quieta sensibili immoto visum experimur: quis ergo, aut qualis est iste tractus tuus novus? Et demum quantum ego conjicio, doctrina hæc tua potius vulgaris est, quam philosophica. Vulgus enim bruta sine sensu credit: & scommate isto insipientes homines ferit, estis bruta sine sensu, nescientes distingue-re inter sensum, & intellectum, quemadmodum, & quidam prisci Philosophi nihil distinxerunt: sed confundentes utrumque, sensum crediderunt intellectum: quos acriter Aristoteles reprehendit in primo de Anima, & 4. Metaph. text. 21. & 22. Empedocles, Democritus, Parmenides, hujus placiti referuntur, horum cineres jam diù combustos, & oblitos, in orbem nostrum excitas, ut verum sit peripateticum verbum, opiniones recurrent in infinitum. Atque hæc duo sunt maximo intervallo disjuncta, sensum habere, & sentire, se sensu gaudere, quæ enim credis se mutuo consequi. Nos verò nullam consequtionem mutuam hic arbitramur, sunt enim duæ mutationes diversæ, & sentire, & sentire se sentire. Altera quidem directa est, ut nosti, altera verò reflexa, quare dissociantur sæpiissimè in hominibus, nedum in brutis. Fieri igitur poterit brutum tensionem habere, & sensum potiri, citra reflexionem. Et ne molesto rem faciam disputationem: postremò addam nonnihil de seminibus: siquidem capis tuo judicio non leve exemplum, ut motuum brutorum causam sine sensu invenias. Advertis enim semina vi divina esse prædicta, innumerabili operatione formare foetum. Ut igitur non adjuvante sensu à seminibus formatio, & organizatio materiae, partium distributio, nervorum consolidatio, carnis mollificatio, cartilaginis diductio, nervorum, atque venarum, & arteriarum extensio, calori, aut frigori tribui non possunt, sed altior causa est repetenda: ita in motibus brutorum, si exemplum bene colligit, collendum videtur. Ego autem scio Aristotalem virtutem seminarium contemplantem in admirationem fuisse ductum, illamque intellectui practico contulisse. Scio Avicenam suam colchodeam in-

introduxisse, Galenus his non contentus, etiam voluit illam esse vim divinam. Sed quid hæc ad motum animalium brutorum? propèmodum nihil. Bruta enim cùm animalia sint, à se ipsis habent undè moveantur, & initient motum, semina verò inanimata cùm sint, non habent undè initient motum, & nisi aliundè actuentur à calore receptaculi proprii operatione, desistunt. Quodque hoc verum sit, ipsa plantarum germina haud dubiò demonstrant: quæ si peregrina in nostram terram infundantur, ut Asiatica, aut Africana, aut Indica, à propria natura degenerent, & in nostrorum germinum quantitatem, saporem, colorem, declinationem. Hoc qui hortos colit, in rapis, raphanis, brasicis, & id genus facile judicabit. Id quod indicium est, à terra nostra illa moveri, atque actuari. Et reverà motus brutorum angelicæ tribuere virtuti, quæ tamquam præfens sit in motibus his administrandis, incommodum majus est in vera Philosophia, quam sensum internum concedere. Propterea scitè admodum dixit commentator, inter varias Philosophorum vias, quæ minori periculo laborat, est via peripatetica: hæc si displicerit, in alias divertens, magnis periculis se dabit.

ADVERSUS SECUNDUM.

Alterum, quod item magna censura eget, illud est, actum sentiendi non esse accidens diversum re à potentia, sed potentiam esse suam sensionem. Idem arbitratis de intellectu, & intellectione. Et omnium confessione doctrinam firmatam contendis evertere argumentis tuis. Præstuerem tamen volo, ut tecum agam paucis, quandoquidem multis non licet, nobiliora paucioribus motibus egere, quam ea, quæ sunt viliora. Hoc quidem fundamentum peripateticum est. Quod si negligendum judicas, ratione ostenditur. Primum mobile unico tantum rotatur motu, & eo simplicissimo: quod tamen est corporum cælestium nobilissimum. Inter elementa ignis paucioribus convolvitur motibus cæteris elementis, eoque magis liber est à corruptione, & putrefactione. Elementa reliqua pluribus agitantur motibus, ac variis, propter mutuam mistorum corruptionem, & generationem, eaque cernimus jam frigere, jam calere, jam densari, jam rarefcere innumerabilibusque concretionibus, & dissolutionibus ea affici. Is solus ignorat, qui non advertit. Jam si missa machina mundiali ad ea, quæ manibus contractamus, oculos referamus, clarissima sunt hujus fundamenti testimonia. Homo ille ingeniosior judicatur, qui paucioribus eget exemplis, quibus erudiatur. Stomachus ille sanior, qui aut medicamento nullo, aut paucissimis suam sanitatem incolumen. Et hinc rursus ad suprema non referentes, divina, & beatissima omnium entium unica intellectione comprehendit infinita, & inter Angelicas substantias, quæ paucioribus speciebus, & intellectionibus intelligendi munus obit, illa quidem nobilior est, ut facer Dionysius dicit in libro suo de Cælesti hierarchia. Accedat istis, quæ nobiliora sunt, necessarium est majorem tenere unitatem: quod si unitatem, & simplicitatem: & ubi major simplicitas operationum, est paucitas in numero, in unitate multitudo, ut quæ sparsa sunt in inferioribus, collecta sint in superioribus. Unum dumtaxat est, quod fortassis huic obstat fundamento, & illud est, hominem nobiliorem esse brutis, qui tamen compostior, & multiplicior est ipsis: verum comparatio necessario est tractanda inter proportionabilia. Quam ob rem si consideremus, qua hoc est,

operationem habet simpliciorem, & magis unam, quam operationes omnium brutorum, quae est operatio intelligendi homini propria: qua verò animal est, & consortium habens cum brutis, habet sanè operationem plures brutis. Istud namque non habet, quo simpliciter animal est, sed quo operatio sensitiva servit menti, eo multiplex est. Adde leonem, qua leo est, operationem habere simpliciorem, quam mulus, vel equus, verum etiam si hujusmodi operatio nobis oculitur, quibus postremæ differentiæ rerum maxima ex parte occultantur. Jam ergo ex hoc fundamento advertere possumus, quid movit Aristotelem 12. Metaph. lib. actum intelligendi divinam substantiam credidisse, & non accidens: id quod solum legimus Deo tributum in peripateticis libris. Advertebat enim ille Philosophiæ Princeps, Deum solum inter omnia entia liberum esse ab omni compositione, liberum ab omnipotencia, eoque simplicissimum, & universum, quare coactus fuit concedere Deum esse suum intelligere, & suum velle, & suum scire. Ab hac simplicitate ruunt creata omnia, etiam supernæ mentes. Unde acutè Philosophi vestigiis primarii magistri inhærentes, potentiam, & actum in ipsis distinxerunt: & probè commentator in 3. de Anim. in Angelis potentiam fatetur, & actum diversa. Qui fiet igitur brutalem potentiam tanto honore gaudere, ut per semetipsa sine aliquo actu adventitio posset agnoscere, cùm hoc solum dandum sit supernæ, & divinæ simplicitati? Verum in tanta materialitate, & compositione visum esse suam visionem, auditum auditionem quis crederet? Quòd si speciem concedis diversam à potentia, quid moraris, & actum concedere? Nisi velis, actum esse speciem, quod alterius loci, & temporis est disputare. Præter hæc velim sciscitari, an in intellectu, habitus concedas, item in voluntate, rursum in parte sensitiva concupisibili, aut irascibili. Nos si fatearis, cum isti sint diversi à potentiis, sunt habitus adquisiti ex actorum frequentia, ut sunt qualitates, sive promptitudines, quibus potentiae habiles redduntur ad suorum operum exercitium: quod si hujusmodi habitus diversi sunt à potentia, actus quid nisi erunt? Postquam enim deglutieris distinctionem habitus, & potentiae, cætera levia sunt, quae deglulantur. Verum habitus distinctio realis à potentia, nisi protervia summa negari non potest. Siquidem facilitas illa labore nostro parta nobis ita socia, ut sive advertentibus, sive non advertentibus nobis inhæreat, protervè dicetur eandem esse cùm potentia. Est igitur intellectus intelligens per intellectionem diversam, & voluntas per volitionem, & est falsigraphum argumentum, voluntas seipsa est voluntas; ergo seipsa vult; plus enim requiritur, ut velit, quam ut sit voluntas. Ut enim sit voluntas, ipsa sibi sufficit, & semper est voluntas: non tamen est semper volens, etsi objectum habeat cognitum, sive præfens, plura ergo necessaria sunt, ut velit, quam ut sit voluntas. Quod autem velit modò, non est ratione prioris volitionis, ne procedamus in volitionibus in infinitum. Aliquandò vult unum, quia aliud voluit, priusquam hoc voluisset. Objecti igitur natura, quae est propter se bona, hæc est, quæ voluntatem provocat, ut velit, quod non volebat. In singulis motibus Aristoteles docuit unum esse primum, in quem cæteri referuntur. Ita in motibus voluntatis (si tamen motus sunt dicendi) unus est primarius motus, in quem reliqui reducuntur: & hic motus est velle finem. Hæc igitur ratio advertenda est in motibus voluntariis, & non regula Scotti à te inducta, ubi est quod, & quo, &c. Quod ergo voluntas voluntas sit, non habet ab objecto, sed à creatore, quod autem velit, ab ob-

jecto: at vero quia ejus natura libera est, objectum præsens provocare potest, compellere non potest. Argumentum quare tuum per fallaciam consequentis peccat, malisque est elenchus. Colligamus igitur omnia, quæ adversus opinionem tuam inveximus. Intellectus noster, item, & voluntas, habent actus à se diversos, quia non sunt puræ naturæ, ut divina natura est, ideoque vocat sibi compositionem accidentium, quibus abeuntibus, & advenientibus, passione quadam immutantur, & variantur. Quare recte dixit Peripateticus: Intelligere est quoddam pati, quia non fit sine actus variatione, & vicissitudine. Id quod intellexit de intelligere nostro, excepto dixi vino, quod cum immutabile sit, non est accidens, sed substantia divina. Rursus quandoquidem scientia est in intellectu, ars, sapientia, & cæteri habitus recensiti. *Ethic.* Justitia sit in voluntate relata, quanto fortitudo in irascibili. Temperantia in concupisibili, reliquum est, ut operationes fateantur diversæ à potentiis ipsis: ne cogamar credere voluntatem amare, & odire, sperare, & desperare, gaudere, & tristari, amplecti, & abominari sine ulla immutatione sui, & in tanta mutatione ipsa immobilis perficeret. Idem in reliquis. Quod vero te movit ad actus diversitatem revelandum: quia vel actus sensitivus, ut visio, esset divisibilis, an indivisibilis; id quod probare magnoperè persequeris sermonis sumptu, memini me illius argumenti legendō perspectivam olim. Docui enim sensionem, aut quamlibet visionem indivisibilem esse suapte natura: quippè quæ qualitas est, quæ omnis per se indivisibilis est, cùm divisibilitas quantitati sit germana, ex qua velut fonte cætera divisibilitatem hauriunt. Quapropter visio divisibilitatem habet ab organo, per quod transfertur, & à potentia, in qua conditur: verum ut potentia ipsa indivisibilis est actu, divisibilis vero potentia. Partes autem ex quibus conflatur ipsa visio, partes singulæ præstant, repræsentare totum, & partes objecti. Quod vero pars una dextrum solum repræsentet, alia vero sinistrum solum, false concipit, qui ita opinatur. Neque hoc à te exigam mea autoritate, sed ratio exigit sua vi. In fractis speculis imago tota repræsentatur in particulis divisis, quæ in toto speculo resplendebat. Componentes jam singula, visio una est, unum repræsentat, tota totum, indivisa indivisum, habet partes, sed non divisas, habet partes, sed similares cùm toto, eoque totum unum per totam repræsentatur, & per partes singulas. Quare tuo argumento motus, actus diversitatem non debuisse tollere.

ADVERSUS TERTIUM.

VExat te præterea generationem actus ab objecto, & potentia, & propter tui placitum commentis nescio, quibus Augustinum interpretaris: nos vero potentiam, & objectum, duas causas confitemut sensionis particulares: non quod altera medium, & altera medium operis compleat, sed quod una sine altera poterit nihil. Nisi velis patrem, & matrem coeuntes in generanda prole, medianam prolis partem alteri tribuere, medianam alterius. Cum enim tota proles ab utroque indivisum est, & sentio, quæ tamquam proles est, indivisim ab utroque est. Ordo autem inter potentiam, actum, & objectum, iste est. Potentia est inferior actu, quippè potentia est gratia actu, ut ensis est gratia incisionis: & quod est alteri gratia, est illo inferior. Rursus actus est gratia objecti: eo enim actum parit potentia, ut illo adjuta, objecti naturam consequatur: quare cùm finis sit objectum,

præstabit actui. Neque detrahitur perfectioni objecti, quod actus sit vitalis, objectum non sit vitale, quando vitalitas hæc tota actus, spectat objecti comprehensionem. Porro vitale excedit non vitale, quando alterum non est gratia alterius.

Quod si contra acciderit, cessabit illud, vel axioma philosophicum peribit, quæ ad alterum ordinantur, illo sunt viliora. Potentia ergo moveatur ab actu, actus ab objecto, objectum immobile, & se ipso movens: ideo in hujusmodi ordine movendi primum cum sit subjectum, hoc est maximè perfectum. Verum tamen advertere oportebit, objectum habere considerationes duas, & secundum essentiam suam, quæ est essentia coloris, si de visibili agatur, aut quatenus visibile est, essentia objecti relata ad visum inferior est: at verò, ut visibilis est, nobilior est potentia actu: quia utriusque finis est. Quod si te urget argumentum tuum, actus vitalis est, & objectum non vitale, urgeberis item hoc argumento, pulex vitalis est, & cælum non vitale, ut plerique probabiles doctores dicunt. Et vitam cæli Hieronymus adversus Originem damnat. Cessant igitur argumenta tua de potentiis, & actibus, & objectis. Neque ut semel finiam mirereris jam si aliquid perfectius se gignat, quando objectum, ut jam collegi ratione mihi insolubili, nobilior sit actu. Quare vanida est admiratio, qui fiet objectum causare actum vitalem se nobiliorem, cùm contrà hic sit vilius. Erant hic multa repetenda altius, si ex professo hic coepissem: verum cùm hæc non ut instruam te dicto, sed ut exequar, quod præcipis, non amplius deducendus est sermo de re hac.

ADVERSUS QUARTUM.

Quartum, quod non solidis radicibus tanto culmine extruendo necessariis, fundasti, est sensum communem non esse potentiam organicam, neque potentiam particularem, sed ipsam animam esse sensum communem. Primum quartum abhorreat à vestigiis peripateticis, peripateticus ipse, me tacente, clamat in libro de Somno, & vigilia, cap. 2. cuius verba sunt. Est autem quadam, & communis potentia sequens omnes, quæ & quod videt, & audit, sentit, non enim visu videt, quod videt, & judicat utique; & potest discernere, quod alia quidem dulcia sunt ab albis, neque gustu, neque visu, neque ambobus, sed quadam communi particula omnium sensoriorum. Nam quidem sensus est unus, & principale sensorium unum. Jam ergo si sensus communis habet sensorium unum principale, cùm sensorium sit id ipsum, quod organum, erit potentia organica. Advertendum tamen sensorium principale dixisse Aristotelem esse unum, subintelligens sensum hunc communem. Alia item sensoria habere non æquè principalia, quæ sunt sensoria aliorum sensuum. Neque inconsideratè dixit Aristoteles particulam esse unam, credens particularem esse potentiam sensuum communem à cæteris sensibus diversam. Verum si anima ipsa est communis sensus, absurdissimè dixisset Aristoteles, sensum esse particulam animæ. Clarius vertamus sermone, & videbis quanta sit absurditas. Anima est particula sui ipsius: totum est pars sui ipsius. Adde quæ scripsit Aristoteles 2. de Anima, textu 146. quod si Aristoteles non est audiendus, sed ratio sola est persequenda, tibi neganti sensum, non erit facile sensum communem probare particulam diversam à cæteris sensibus. Verum argumento antiquo

molienda est probatio adversus tuam sententiam. Brutum videhs lucem sentit se videre lucem, & non per visum, ergo per aliam potentiam. Primam partem antecedentis probo, quam tu inficiaberis. Credis enim bruta non sentire suasensiones, quod hoc est officium mentis, id quod contradicit, & Græcis, ac Latinis authoribus contrà sentientibus, Themestium dico in Paraphrasi, ad 2. de Anima, textu 148. Alexandrum item in Paraphrasi de Anima, Philoponum in Commentario, item, & Simplicium, & Divum Thomam in prima parte, quæstione 78. articulo 4. Sed ut video Doctores negligis, nisi tibi suffragentur. Hoc igitur jubeo valere, argumentum tuum exviceremus, & vires illius excutiamus. Primam igitur partem antecedentis probo. Fac brutum esse in tenebris, tunc sentiet, se nihil videre: quod si inficiaris, ostendam tibi. Tenebræ sunt sensibiles per accidens, ut silentium, quemadmodum Augustinus in quodam sermone dixit cum Aristotele, si sunt sensibiles per accidens, sentiri potest à bruto tenebra, dum sentit se non immutari à luce. Jam verò cùm privatio, & habitus in eandem spectent potentiam, si brutum sentit se non immutari à luce, ergo sentiet se immutari à luce. Alteram partem antecedentis probemus. Vifus enim non potest videre se videre, cùm visio non sit visibilis, cùm color non sit, nec lux, restat ergo per aliam potentiam. Scio te jam subridere argumentum. Ex vestigio respondebis non per alteram potentiam, sed per animam communem. Porro autem cùm anima sit diffusa in totum corpus, & officium sensus communis maximè exerceatur in certa parte corporis, & non in toto corpore, oportebit proferre rationem, cur in certa parte corporis, sive cor sit sive cerebrum curamus nihil, sit communis sensus, & non in reliquis partibus corporis, maximè si persistis in fide tua, animam sensitivam esse divisibilem. Si ergò certa pars corporis illi tribuitur ad officinam suam, restat sensum communem potentiam esse organicam. Aut dicendum est quare visus potentia organica est: certè non ob aliud, præterquam quod certam partem corporis, id est oculos, his muneribus obeundis concreatam habet. Ex quibus omnibus planum erit colligere veram esse Philosophiam, quam tu magna contentione diffiteris, & sensum habere judicium, quod Aristoteles expressè docuit in libro de Somno, & vigilia, cap. 2. Etenim sensus communis judicat de sensionibus aliorum sensuum, item sentit easdem sensiones.

ADVERSUS QUINTUM.

Quintum est illud, quod tritam, & regiam Philosophorum viam obscurit, & quod Philosophorum in doctrinis erat proloquium, materiam esse primam: tu antiquam dum doces, universamque Philosophiam invertendam, & innovandam. Mitto quod tecum pugnant Theologi omnes, credentes hanc materiam esse, ut in omni schola receptam, Platonica inquam, & Peripatetica, quæ reliquarum scholarum sunt antesignanæ. Mitto præterea oraculum sacrum in libros sapientiæ, Deum omnia fecisse ex invisibili materia; tecum non est agendum testimoniiis, sed argumentis: non enim de fide est modo disputatio, sed quantum argumenta physica poscunt. Etenim si theologica censura esset adhibenda, tua hæc propositio de hæresi esset taxanda, aut saltim temeritatis notam non evaderet. Verum physica sit militia. Materiam primam negas, continuò concedis elementa simplicia esse, citrè illam compositionem materiæ, & formæ.

Itaque cum elementum corrumpitur, in nihil resolvitur, nulla superstes manet pars, nec integralis, nec essentialis. Jam ergo cùm ex elementis mixta conflentur, ut ipsa mistorum resolutio ostendit, ipsa elementa quæ mixta conflant, qua ratione causæ coēant in mixto, est à te petendum: num tamquam formæ mixtorum, an tamquam materiae, an efficientes, an finales causæ? Si materiae sunt mixtorum, materia erunt prima. Prima enim materia est ex qua aliquid fit primò Metaphysicorum, cap. 5. de Elemento, & saltim in nominum diffinitione, non est discrepandum ab usu majorem: ædificabit enim quilibet pro suo arbitrio diffinitiones. Imò verissime non erunt elementa, quia ex elementis nihil primò fit, eodem Aristotele afferente in eodem loco, consultèque; ob eam causam quatuor non vocavit elementa, sed vocata elementa, quia illa non erat prima in mixtorum compositione. Cæterū si tibi sunt prima ex quibus mixta componuntur, jam non erunt elementa, sed materiae primæ, indeque conficietur quatuor esse materias primas specie diversas, id quod quām absurdum sit, facilem habet ostensionem. Si causæ sunt efficientes, opponitur tibi item esse materiales, ex ipsis enim aliquid fit, & efficientem causam, & materiam primam credis idem: cùm ex diametro pugnent: illius enim est pati, hujus vero agere. Si formas concedis, consequens tibi est, & materiam primam, & formam in idem coire. Accedit eodem, si elementa sunt substantiæ simplices, & incompositæ ex materia glutino, & formæ, vix intelligibile est, ut extenſæ, ut quantæ sunt, ut item corruptibiles, ut generabiles. Credebat commentator in libro de Substantia Orbis Cælum simplex esse, & quantum, id quod tu elementis tuis tribuisti, inductus enim fuit in ea sententia commentator propter cæli incorruptibilitatem. Durum enim credebat compositum aliquod esse incorruptibile, ideo voluit simplex, ut incorruptibile cælum crederet. Quod si elementa simplicia sunt, & incomposita, incorruptibilia erunt. Refugies argumentum affectiones qualitatum contrariarum parere corruptionem. Verum argumentum persistet in robore, si elementa essent simplicissima, ut credis, affectionibus istis orbarentur. Adjungamus Deum esse purissimum actum solum, ut jam suprà meminimus, quare, quæ viciniora sunt substantiæ divinæ, puritatis actus magis sunt participia: quæ verò maximè distant, tenuiter admodum sapiunt actum, multa verò potentia sunt imbuta. Etenim substantia rationalis, quæ inter spirituales procùl abest à natura divina, exile est quod habet de actu intelligendi, ut scitè Arabes Philosophi dixerunt eam esse in umbra intelligentiæ. Rursùm in ordine corporum, corpora coelestia, quæ totius mundanæ machinæ jugo sunt posita, actum nimium participant, sunt enim incorruptibilia, quippe ad aliam formam potentia carrent: elementa autem, cum insimam sedem teneant in corporibus, actus participant parùm, cum facile corrumpantur, abundabunt ergo altero opposito, putâ materia, & potentia: potentialitas autem propria est materiae, præsertim potentialitas ad corruptionem, & generationem, quæ est in elementis: habent ergo materiam elementa, & illa erit prima. Præter hæc brevicula sit collectio, corrumpuntur elementa, igitur materiam habent. Ignem corrumpi, corruptio illa cùm sit mutatio in quo est? in toto igne dices. Atque ignis corrumpitur per primum non esse, quando corrumpitur, igitur non est: quare mutatio illa erit in non ente: quod cùm sit impossibile, restat mutationem in aliquo ignis esse. Istud non est forma, quæ evanuit, igitur erit materia. Rursùm in elementis experimur, corruptibilitatem, item,

item, & in mistis, ut in animalibus mortem. Hujusmodi corruptibilitas cum passio quedam sit, aut competit mistis, propter materiam, aut propter formam. Forma non est principium passibilitatis, cum sit actus: statuere igitur oportet alterum principium, quod potentiale sit, unde contrahat sibi passibilitatem, & istud est materia. Perfertio responsonem tuam. Dices mista passibilia propter elementa ex quibus conflantur. Pergo tecum. Mista habent esse actuale ab elementis, ut ergo habebunt esse passibile, quod est esse potentiale? Præter hæc elementa cum sint passibilia non ratione materia, à qua illa penitus liberaisti, si tibi consentis: sed dices per se passibilia esse. Verùm si seipsa passibilia sunt, & seipsis agunt, contrarios effectus eidem principio tribuis secundum idem. Scrupularis elementa passiva, propter affectiones qualitatum in qualitatibus, non quedam activæ; aliae sunt passivæ, & in elementis eadem deductio est: quedam activa, quedam passiva, 4. Meteorum. Sed nosti præterea passiva dicta, quia facilia sunt, quæ patiantur: non eo quod actio subtrahatur, humidum enim, & siccum agunt humectando, & exiccando: jam verò non est hæc passibilitas, quam ego quæro, neque quam argumentum contendit ad suum favorem arripere, sed ea est, per quam elementa solvuntur, & perirent. Hujus passibilitatis queritamus principium, cum totum elementum se toto non sit principium. Probavi enim se toto esse activum, id quod concedere debes, itidem se toto passivum, habet ergo argumentum lineam suam, fortassis memor cavillorum sophismatum nihil duces hoc incommodum, referens rem unam esse eandem, & se tota diversam, maximè in simplicibus. Angelus enim se toto idem sibi, & se toto, diversus ab alio est, verum nihil modo de eodem, & diverso, quæ relativa sunt. De actionibus realibus, aut passionibus vertitur sermo noster, credentes impossibile esse agere, & pati in idem principium esse reducenda secundum idem, ut axioma peripateticum in 1. de Cælo monstrat, idem secundum idem, natum est facere idem. Venit in mentem dum hoc scriberem, argumentum unum, quod mihi est in usu ad colligendam materiam. Ignis si producendo ignem alterum totum producit, ut tu credis, totum igitur esse habet ignis productus à producente: hoc autem fieri non potest. Etenim ignis producens cum sit particulare ens, particulam entis habens: qui poterit non particulam esse, sed plenè suum esse? Quod si materia non requiritur, quid impediet quominus quodlibet non fiat ex quolibet? Id quod vitio datum fuit Anaxagoræ à Peripatetico, etenim hoc necessarium est, ut ignis fiat ex non igne, nam generatio est, ex non esse ad esse: jam verò si materia determinata non est necessaria ex qua, ut ex subiecto fiat ignis, quodlibet, quod non est ignis, erit terminus à quo undè ignis: ita ex quolibet poterit fieri ignis: & cedo, quo pertinebit tantus apparatus præparationum ad generandas res physicas: nisi materia subsisteret? Calor ille afficiens aquam, frigiditatem depellens, siccitate exuccante humorem, hæc utique aquam non præparant quam corrumpunt: ignem generandum præparare non possunt, cum non sit: supereft, ut tertium dones, quod præparatur, quam materiam vocamus.

Et in nutritione viventium cibus quando convertitur in substantiam viventis, restat ne aliquid cibi, totus ne absumitur? Si restat aliquid, forma cibi corrupta, quid aliud sit illud, etiam fingenti aliud nihil restat præter materiam. At, scio, respondebis corpus cibi manet ablata forma.

Imaginaris enim exhalata anima viventis corpus manere nulla alterius formæ accessione facta. Porro autem si ita philosopheris, quod modo non juvat controvertere, quandoquidem corpus illud cibale ablata forma piri, vel pomi totus incorporetur animalis corpore, igitur penetratio erit dimensionum. Etenim corpus illud, & corpus animale unum corpus efficiatur est necesse, postrema digestione completa, id quod citra laborem declinant Peripatetici, materiam cibi, non corpus aliquod Phisicum concidentes. Neque pori suffragantur, qui & si in digestionis principio penetrationem tollant, in digestionis complemento, quando perfecta est incorporatio, & conversio in substantiam pori, quid restat. Alioquin si in loculis pororum reciperetur substantia cibi, non esset conversio, sed immissio, aut migratio à cibario rore, instar mellis, quo favorum ædicularæ implentur. Sin vero restat nihil cibi, ut ergo confortatur vivens cibi conversione? Aut augetur, si nihil restat? Si nihil capit, ut nutritio est, quæ est conversio alimenti in substantiam nutriti? Haec tenus de ipsis dixisse sufficit. Non enim mihi fuit institutum singula percurrere, quæ tuus dictavit calamus. Selegi mihi hæc excutienda, vel castiganda, tua venia, & jussu, benigno amore recipias, integroque amicitiae jure illa leges. Si æquè, ut spero, boni consuleris, & efflagitaveris alia, præstabo, si potens fuero. Verum si iniquo animo tractaveris, & offenso pede non retraxeris gradum, & in eadem salebra hæresis, ego suspenso calamo, te, & tua, nostris discipulis commendabo. Vale in Christo.

Michael Palacios.



APOLOGIA GOMETII PEREYRAE
ad quasdam Objectiones adversus nonnulla ex
multiplicibus paradoxis Antonianæ
Margaritæ.

DOMINO LICENCIATO MICHAELI
à Palacios, Cathedrario Theologiæ in Salman-
ticensi Universitate, Gometius
Pereyra. S.



UAM, quam ad me misisti Epistolam, scriptam fermè per mensem postquam in tuas manus meus liber de-
venerat, ex professo, & non obiter legi. Et si te non-
numquam aliquibus devinxisse officiis, auderem
nempè nostri libri contemptum tibi objicere. Fateris
quippè in Hispana Epistola intra triduum, aut qua-
triduum eum cursim, non tantum legisse, sed & de-
creta eidem adversa absolvisse. Quo si impatiens iræ
forem, meritò indignarer: & quod nulla sit Comædia, neque scurrilis jo-
cüs scriptus, qui ut legatur, plures non poscat: ac quod ego fatear, quod
tibi notum est, par tempus consumpsisse inter absolvendum librum cùm
Saturno sydere regredienti ad sedis suæ principia. Verùm cùm à quo nihil
debet, quæ gratis obtulerit, alacriter fuscipienda sint, ideo boni consu-
lui de hacce re non conqueri? Dum tibi amice dixerim, quod tuis verbis
ansam dederis detractiori rejiciendi in te scomma illud, quod Alcestidi
tragico Poeta Euripides respondit: apud quem cùm quereretur, quod eo
triduo non ultra tres versus maximo impenso labore deducere potuisset, is
se centum præfacile scripsisse gloriaretur. Sed hoc, inquit ille, interest,
quod tui in triduum tantummodò, mei verò in omne tempus sufficient.
Consultius secundum meam sententiam egisses, si nobis responsum diffe-
rendo trimū, vel quadrimū mississ, quam fermè diarium, cùm tri-
cendium sit. Nam vir apprimè doctus, ac cordatus ut tu ab omnibus doc-
tissimis meritò haberis, non adeò præceps futurus eras, ut quæcumque in
mentem venirent, ne dicam in buccam, statim dictares: cùm si scholasti-
cis negotiis esse districtum causeris, tuis verbis confutaris. Quæ enim plus
scholis physicis conducere excogitari queunt, quam quæ à nobis exarata,
si vera sunt, ut sunt, missi? Decebat tantam prudentiam dicenda excogi-
tare, conditor operis hujus grandævus est, studiis physicis deditus, nec
adeò hebes, ut opus hoc, quod manus multas poscit, condere, & in lu-
cem edere ausus temerè sit: legamus, ac relegamus novum hunc autho-
rem: quem si facinorosum esse invenerimus: explodamus, exibilemus, pe-

de supplodamus: sin autem vera prædicare noverimus, foveamus, manum ei demus, adjuvemus, ac ad cætera, quæ promittit edendum, invitemus. Quæ si animadvertisse, & exequeris, o quantis laboribus me extricasses. Primum respondendi ad aliqua adversus nos argumenta, quæ non objicis-
ses, si relata fecisses: quod nonnulla tuo acri ingenio, si nostrum volumen altius rimatus essem, frivola esse facile intelligeres, alia impertinentia, quæ-
dam inibi à nobis objecta, & soluta, undè tibi scrupulum injecerunt. Se-
cundum, improbandi nonnullas sutes solutiones, quibus solvi nostras ra-
tiones credis. Tertium, precandi te, ut epistolium nostrum ad Lectorem
inscriptum legas, ubi meam conscientiam sum testatus, & nunc Deum, ut
credas, testor, in meam numquam devenisse mentem Parmenidem, Meli-
sium, Zenonem, & alios hujus generis homines amulari: quorum decre-
ta ego idem in ædito opere jam obiter increpavi, quod à mendacibus ma-
xime abhorream. Si quos quandoque imitari cupivi Hercules, & Perseus,
& Bellerophontes, & universos vindices oppressæ veritatis fuere, & for-
tassis ab illis non dissimilis evasi. Ut enim anterior orbem à grassatoribus,
& portentis liberavit, sic ego physicos præsentes, & futuros à falsis dogma-
tibus extricare conor. Interest tamen, quod illi in quorum gratiam ab Al-
cide facinora sunt effecta, animo, & nutibus, qui facultatibus carebant,
donatam libertatem pensabant. Hujus ævi philosophi, ut præsentire inci-
pio, mala pro bonis sunt retributuri. Sed quid mea, si non derelicturus,
neque discessurus à me est dominus Deus meus. Secundum, & tertium in-
totum me referre, si antiquis illorum gestis nuper à nobis condita contu-
leris, facile intelliges. Ut enim Bellerophontes ille chimæram Lyciam inte-
remit, sic ego chimæricas fictiones universalium, actuum animæ distincto-
rum ab ipsa anima, specierum intelligibilium, factæ materiæ, & alia mille
jugulo, interimo, & radicitus evello. Ac ut Perseus Minervæ clypeo mu-
nitus Medusam vertentem eos, qui se aspiciebant in lapides: occidit. Sic
ergo homines, qui lapidei effici erant soliti, motus brutales tantum in-
tuentes, & ulteriora non rimantes, à tanto malo per me intectum Minervæ
clypeo vindicantur, bestias ipsas lapidibus, & truncis quibusdam in-
tiendo pars esse docendo, ut similem ei, quam nobis intulerunt, patian-
tur ignominiam. En vides jam, quam aliena hæc sint ab Aristarchi Gram-
matici instituto? Ego non Stoicos, non Academicos, minimè Peripateti-
cos despicio, aut contemno: compulsus insolubilibus argumentis, ac ex-
perimentis eadem roborantibus, à nonnullis falsis horum dogmatibus dis-
sentio. Et ne mihi yitio daretur talentum collatum terra effossa sepelisse, in
lucem edidi, sperans me fæneraturum id vobis doctoribus, & aucupaturum
innumeram sobolem veritati. Si id superbire quis dixerit, sciant omnes
quoad vixero superbitum, dum non inveniam, qui nostris objectionibus
faciat satis. Ideoque doctissimos quosque consului, inter quos non tem-
rè te delegi. Sed neutquam tuis scriptis, ut statim monstrabo, palinodiam
canere me coges: quin plus, si plus esse potest, eisdem sum instigatus co-
dicis nostri decreta mordicus tenere, cùm tantum virum, ut tu es, nostris
telis confossum conspiciam. Veniam da. Quæ vulnera si sopore lactis ab in-
fantia sueti non essem oppressus, persentisceres. Sed jam in duellum hoc,
in quo cùm victus evaseris, majus emolumenatum, quam ego excepess,
descendo.

*cum electe suis tunc ferme sit: ieiunias, ac ieiuniorum donum sit:
tunc etiam it pectorotomum ergo ieiuniorum: expolosum: expeditum:
de*

APOLOGIA PRIMI PARADOXI.

VIDE quantum intersit in degustandis modis diversis. Quod tibi corticem brutorum rodenti portentosum videtur, mihi accuratius, & penitus eorundem medullam ruminanti sic non se habere, ut retuli, impossibile scio. Quis enim lectis nostris improbationibus, & multi modorum motuum eorundem brutorum cognitis originibus, statim in nostram sententiam non descendat, admiror. Diximus enim, & iterum asseveramus, bruta sensu carere. Dictiones enim quæcumque aliquid negant, implicitè voces immediate sequentes confundunt, & distribuunt, ut catere aliquem numis dicimus, non eum, qui tantum argenteis est privatus, sed qui in simul quibusvis aureis, & æreis caret: & privatum sensu, qui nullum sensum habet. Quod si perpendere placuissest, jam distinctionem illam primam vitasses; præsertim quod tu, quamquam infeliciter, conaris dissolvere quandam rationem, qua ego demonstrativè probavi, quod si bruta videarent quanta, animas indivisibiles essent habitura. Ubi palam est, me sensum exteriorem eisdem non contulisse: quod si cum fateor, sensum humandum negasse, meritò cum meo cerebro essem relinquendus, & non ulterius essem processurus. Sed Diogeni cynico similis, ut ille deambulando Zenonis argumenta confutavit, tu id probando, sistere gradum tenebaris: quod si vicisses, nobis Anticyram navigate consulturus eras. Sed en quod vice versa res habent. Quod ut ita esse manifestissimè intelligas, scito, ut per nostra scripta videbis, numquam nos affirmasse bruta non moveri versus nonnulla, ab aliis fugere, quandoque ululare, nonnumquam gemere, sæpiissimè gesticulari, quæ omnia humanis sensibus subjacent. Quod ego attestor, firmissimis rationibus probo, hoc est, illos motus brutales, & quicumque alii in eisdem visuntur, non fieri à brutis videntibus, aut audiencibus, aut gustantibus, seu per quemcumque alium sensum exteriorem, seu interiorem vitaliter sensificè immutatis, sed vel ab speciebus objectorum inductis in eorum organis, nostris sensitivis similibus, cum præsentia sunt sequenda, vel fugienda, vel à phantasmatis cum hæc absunt. Et quod aliqui, qui ab his duabus tantum causis fieri non sufficiunt, rari si sunt, ab intelligentia aliqua simùl cum altera ex relatis causis, vel ambabus adjuta bruta exequantur: ubi nostrum uterque in motibus, quos sentimus, cum altero convenit, super reddenda eorundem causa, est omnis lis. Vide quam aliena hæc nostra assertio ab illa, qua nos infamas, sit: nisi ut dicta defendas, fateri velis cum Pythagora, tuam animam quandoque informasse brutorum aliquid, & quod nunc recorderis, tunc ipsam sentire. Preco ne dictis offendaris, compulsus enim verba tua irrita non facere, nullum alium excogitavi modum, quod nullus alius sit, per quem evaderes, quam relatus.

Rhetorum ratione quadam gradum viventium relatorum ab Aristotele, in tertio de Anima, text. comment. 59. quæ nos exposuimus, diruere nostra placita tentas. Lana iliacos muros oppugnaris, butyro molle reddere ferrum inniteris. Non hæc aggrediaris adversus nos, durioribus telis confliqueris, quæ nedum sufficient. Nam quæ à te sunt de hoc exarata, unico verbo absolvuntur, placuisse naturæ inter orbis viventia tres gradus constituere, insimum viventium vita vegetativa tantum, supremum eorum,

quæ simul rationalem, & sensitivam vim habent, medium illorum, quæ in motibus, & organis sensitivis, & motivis æmulantur partes, quibus sensitimus, & movemur. Patienterque cum natura agas, & non quæcumque commentus fueris, credas ipsam ad tui libitum facturam. Si enim id hominibus concederetur, justius, aut (ut proprius loquar) minus ineptè conquerer ego, cur non generit quædam animalia, quæ cum obeunt, statim in totum esse desinerent, & alia, quorum nulla pars corruptioni esset obnoxia, sed anima, & corpore æternis fruerentur, & media, quæ corpore corruptibili, & anima incorruptibili conflarent. Jam fortassis iterum objurgas, meam querelam injustam esse: cum id, quod à me est postulatum, ab eadem sit à mundi initio effectum, & quod quæ tu optabas, si vera fuit nostra dogmata, non sint constituta. Testemque ducere Augustinum in libris de Cœitate Dei, non placeat tibi, quod physicam tratemus, sed Platonem, & Platonicum Apulejum definientem in libro de Deo Socratis in hunc modum dœmones. Dœmones sunt genere animalia, ingenio rationablia, animo passiva, corpore aërea, tempore æterna. Sed quod tu cum pius sis, iis non protelaberis, ideo adversus ea non insurgo. Sed tacere quædam parùm infra scripta non possum: ubi cum tu docebas me formam, quam servant irrationalia, quando absentia consequi desiderant, in hac verba prorupisti. Non poterant bruta se movere in ea, quæ absunt, nisi vi cognitiva interiori ducerentur: ut vultures ad cadavera longè sita odoratu convolant. Si enim odore trahuntur vultures ad cadavera, ergo non vi cognitiva interiori. Ni protervias duplēcē habere odoratum vultures, quemdam exteriorem, aliud interiore. Cæterū fateris, me sic collegisse, si bruta sensu sunt prædicta, ratione etiam futura participia. Hoc argumentum quam placidum esse objurgas. Vera quippe fateris, si ego ulterius non processissem: sed cum multis modis illationem esse inculpatam demonstraverim, nullum absolvis. Quandam enim distinctionem, quam ex authoribus affers de vi sensitiva interiore apprehendente, vel judicante, causam in hoc negotio esse ex nostra libri exacta lectione dilucidè colliges. Non enim sciscitamus causam horum motuum, qui in animalibus indistincte fūnt, ut exempla tonitruum, & sonitus bombardæ, & aliorum consimilium, sed eorum, quæ à brutis in certa loca certis gressibus semper fermenti fūnt, ut agnorum, aut hædorum versus ubera matrum, aut boum ad prata, veterinorum ad hordeum, & aliorum hujus generis. Hi enim fieri, si bruta sentirent, nisi cognitione rei assequendæ, & loci, in quo sita res est, non valerent: aliter, ut ibi dixi (compellis enim nos, quia ignoravimus, iterum referre scripta) non plus versus illum locum, quam in oppositum: aut impertinentem esset agendum brutum. Sed quæ impossibilitia sequantur ad consimilem distinctam cognitionem brutalem iterum exarare molestum est, illic perlegito. Hoc tamen non prætermittam, quoad praesens sit propositum, quod tuis exemplis excussurus eras somnum. Si enim in te excitato fūnt quandoque motus quidam naturaliter solum ex inductione speciei objecti convenientis, aut inconvenientis in organum facultatis sensitivæ, objecto in totum non cognito, cum alicui rei intentus propter præsentiam rei tendentis in oculum claudis ejusdem genas, te tunc rem illam non videbis, sed qui tecum loquebatur, hoc contemplante: etiam cum dormis, sicuti tenus pungaris, crus retrahis, & si voce aliqua statim excitareris, fateberis non esse punctum: cur ambigis, brutis non sentien-

tibus, fieri ab his posse motus per modum à nobis excogitatum? Alia distinctio, qua evadere conaris vim argumenti probantis irrationalia rationem habitura, quia distinguunt, inutilis est. Si enim tantum illi dicendi sunt rationem habere, qui distinguunt inter vestra universalia, ex hominibus paucissimi inter rationales recensendi sunt, quod per pauci sciant machinari tot abstractiones, quae numero vincunt tuniculas, & involucra palmarum, quot vos praescribitis illis, qui universalia sunt intellectui. Cetera, quae infers in modum acetarii, quorum potior pars à nobis est scripta in commenticulis Paraphrasis nostræ tertii de Anima, majore multo examine indigent, quam huic conveniat loco.

Porrò si non ab omnibus famigerareris vir probus, qualem te esse putto (de facie enim non te novi) ansam mihi sapè das, suspicandi te vix mecum agere, assumis enim ex meis rationibus portiunculas quasdam tantum, discerpisque earum soliditatem, & compagem, adeò ut, si liber meus præ oculis mihi non esset, me dubium reddidisses tuæ probabilitatis authoritate fixum, rem sic se habere, ut tu profers. Inquis non nos sic collegisse, bruta habere sensum, ergo cognoscunt universalia. Ergo inter multa impossibilia, quae sequi ad brutorum sensibilitatem (validissima non & potissima recites) hoc quoque est, illationemque bonam esse evidenter, probavi, tu probatione non solvis, neque de ea mentionem facis, vereris enim tantum militum cuneum aggredi. Sed ne evasisse astu putes, accipe quae videre in codice nostro potes. Primum, quod si verum est, quod ex Aristotele primò Posteriorum colligitur, impossibile esse assentiri antecedenti alicujus optimi syllogismi, quin conclusioni prolatæ assentiamur, indè inferendum esset, quod si bruta noscunt hunc ignem esse calidum, ac illum, & sic singulos, quod antecedens sufficiens esset, ut inductione inferatur mentaliter hæc, omnis ignis est calidus, quod eam inferent bruta, & sic universale cognoscent. Nam subjectum illius propositionis est universale. Referebam enim ego, quod si homo, qui libertate fruitur, non potest non assentiri conclusioni, quod bruta multò minus valebunt. Quod in evitabile argumento adversus vos, qui sensum brutis tribuitis, reborabam, sic procedendo. Vos, qui ex hoc quod videtis ignem hunc contactum fugere bestias, infertis ea ignem sentire, cur cum experiamini ea, quosvis ignes, quos numquam viderant, cum proximè adsunt, fugere, etiam non infertis, illa universaliter ignes cognoscere. Respondere enim non poteritis, ex hoc fidem vos non tribuere illis motibus, quibus omnes ignes fugiunt, ut indè cognoscere universalia inferatis, quod multa inconveniant, si universalia bestiæ novissent. Nam statim ego vobis objicio, quod vestram methodum observando, non fido operibus bestialibus, ut indè suspicer illa sentire, quod innumera impossibilia ex tali assertione elicantur.

Neque utique tua objectio de rusticis hominibus, qui ab omnibus ignibus fugiunt, & universale illos non elicere assentis; vera est. Nam his concessa est vis noscendi, quae verè universalia sunt. De quibus in nostro codice scripsimus, ac ita esse eventus monstrant. Infantuli enim cum isti fuere, ignem non timebant attingere, donec sapientius usti, neverunt, omnia entia illius tribus cremare. Commentitia universalia latere hos, non inferior. Sed de his non est nostra disceptatio. Post hæc adeò diffunderis in res non adeò serias, ne dicam in nugas quasdam, quod si tenacis memorie non

fuisse, ad exordium reddire non valeres. Neque mireris, quod dixerim non valde serias res, quas illic congeris esse. Nam si tibi gratum fuerit, ut id scriptis ostendam, postquam hanc epistolam receperis, cum mihi, si libuerit, scripseris, jubeto, libenter enim efficiam. Inter cætera iterum nobis objicis oculatam experientiam me negare cum bruta non sentire doceo. Quod increpare nolo: quia suspicor, cum ad hos legendos versus devenis, præterita lectione edoctus, te poeniteret rei mihi innocentis objectæ. Sed alteri tuo decreto veniam dare nolo, ut cautiùs deinceps nobis senescentibus scribas. Profers enim quæ sequuntur. Bruta enim se excitant, quando enim expurgiscuntur à somno, illa nullo impellente, aut prorritante erigunt se, & transferunt se, cibi digestione completa. Quod esse non potest ut, dixisti, vel Aristot. de Anima 3. text. comm. 57. docet: Bruta enim electionem ut homines minimè habent, sed compulsa à validiore cognitione abstractiva, vel intuitiva, ut ipse dixit, vel ab intensiore specie, ut ego fateor, potius surgunt, quam jacent, & huc feruntur, quam illuc. Ubi sine instigatore motum in brutis fieri, neque ego, neque Aristot. neque nisi qui desipuerit, confitebitur, ne bruta esse donata à natura libero arbitrio concedatur. Homini tantum permisum est jacere, & si instigetur ad surgendum, aut stare, & si prorritetur ad recumbendum, & nullo incitante surgere. Bos enim qui jacebat, cum in pedes surgit, non tantum causa ulla prorritante, aut impellente, sed cogente, & vim inferente, compulsus surgit, cum naturaliter vitaliter moveatur. Quod etiam si exactè tu, & cæteri, qui sensum brutis tribuistis, novissetis, sine mora oppositum verum esse intelligeritis. Quippè si felis, exempli gratia, cum pede aurem scalpit, aut faciem lavat, seu alium quenvis motum expellendo rem immicam exercet, sequendo vestra placita id efficit, quod species rei prurientis inducta in tactivam potentiam illius animalis, sensationem, seu notitiam rei disconvenientis naturaliter producit, & hæc producta, necessariò actum appetitivum gignit, qui hujus disconvenientis rei excretionem, ac extirpationem suadet, quod aliter fugi nocua res non valeat, quia errodens causa intra corpus inclusa est: inde que ultimò pes catti ad scalpendum, aut lavandum, seu alium motum efficiendum necessariò movetur. Cur tam longis ambagibus, de quibus incerti estis, motum brutalem exerceri opinamini, valentes hujus causam dicere, esse tantum unicum accidens, putà speciem rei inimicæ inhærentem tali facultati brutali? Et ut methodis Logicæ procedam, rationem contra adversos sic formo. Si species rei inimicæ in potentiam sensitricem bruti producit naturaliter sensationem, & sensatio naturaliter gignit appetentiam fugæ rei disconvenientis, & appetentia naturaliter motum pedum bruti efficit, ergo de primo ad ultimum species rei nocuæ motuum pedum bruti causa est, seclusis intermedia sensatione, & appetitione, ad placitum fictis à vobis, in nobis enim hominibus motus fieri præcedentibus sensationibus, rationi, & veritati conforme est. Quod sensatione producta, potest appetitus humanus, quia liber, in contrarios actus insurgere, respundi rem cognitam, & appetendi eandem, quod ut dixi, brutis minimè concessum est. Etiam quod ex sensatione unius rei alteram notitiam elicimus. Quod non exempli gratia, video albedinem adesse, & abesse parieti eidem infero naturam subjecti illius substantiam esse, alterius autem accidens: ulteriusque procedendo in Dei cognitionem per alia media devenio: quo quoque & brutum privatur, nisi rationale esse credideris. Opinari enim, quod

hominum vulgus credit, verum esse, ideò scilicet canem caudam concutere, cùm Dominum videt, quia illo caudæ motu, & aliis gesticulationibus benevolum se domino reddat: aut quia ipse canis præsentia heri gratuletur, sive quavis alia de causa, insanum est. Nam id effici non posset, nisi per notitiam intuitivam, quam habet canis de hero, inferret brutum hoc, id expedire sibi efficere, quod agit. Ergo si non aliter quam naturaliter, sive ex instinctu naturæ (parum enim interest sic, vel aliter loqui) canis viso hero gesticulatur, testari solam speciem visivam, aut olfactivam esse causam motus rationi physicæ quadribit, & sentire, & appetere cani, & aliis bestiis tribuere, ad libitum potius, quam ulla ratione assertum videbitur, jam quod nullum impossibile ex brutali sensatione sequeretur. Cùm ergo innumera ad brutorum sensibilitatem inferantur, hanc illi concedere, delirantium potius quam protervientium, decretum esse videtur. Porro tamen craffa est fictio illorum, qui dicunt bruta sentire, quam vana esset assertio eorum, qui referrent, eliquationem ceræ, & duritiem lutifactas à calore producto, à luce solari, non immediate à calore fieri quod contrarii effectus sint, alias disgregandi, & alias congregandi, sed per aliquam qualitatem occultam productam à luce eliquari ceram, & per oppositam à luce quoque genitam densari lutum. Nec dissimiles sunt fictiones. Nam, ut omnes testimini, à multiplicibus qualitatibus antecedentibus motum brutalem, motum eorum oriri, putà ab hac specie, & sensatione, & appetitione brutum taliter moveri, & ab alia aliter: sic illi fingerent, ab hac proprietate lutum densari, & ab alia ceram eliquari, ac, ut qui hoc ultimum affirmant, infani sunt: solo enim calore id effici rationi consonum est, cùm etiam igneo idem concessum est: sic fingere tamen innumeratas qualitates speciem, sensationem, appetitionem praecedentes motum bruti vanum est: cùm sola species diversa sufficiat diversorum motuum causa esse in bruto eodem modo disposito, aut eadem in ipso diverso modo affecto. Sicut quoque quodam accidente emanante à magnete in ferrum movetur ferrum magnetem versus, & alio fugit eundem. Precor quippe mihi respondeas, unde potest oriri, certas avium species taliter nidificare, qualiter nullæ aliæ, & diversæ ab his aliter quam illæ: & hirundines universas nuper natas, nullo duce, versus meridionalem plagam devolare tempore autumni, grues, & coturnices in easdem partes tranare, alias certo anni tempore disparere, alio passim errare, quafdam certis mensibus cantillare, alio mutas esse, nisi ex hoc, quod naturaliter vitaliter hos motus hæc animalia exequantur? Si enim sentirent, ac extimativam, ut physici hucusque credebant, haberent, verò simile esset, hirundinibus quibusdam quandoque placere non in domibus, sed in aliquibus arboribus nidos carduelli similes fabricare, & apodibus, non in turrium foraminibus, sed supra cacumina earumdem, ut ciconiæ, prolem edere: & passeribus ex luto nidos tales facere, quales hirundines solent, & proprias naturas universa animalia in alias operationes quandoque commutare. Quod nullus unquam nisi monstruosè vidit: quia non per sensum, & extimationem, irrationalia moveantur, sed naturaliter, ut in opere nostro demonstravimus. Certè irrisione digni sunt, qui non discurrere bruta, ut verum est, testantur, & statim huic decreto, non intelligentes quæ asseverant, contraria affirmant, irrationalibus tribuendo extimativam vim, qua viso laqueo venatorio, &

esca famem pati decernunt, ne laqueo capiantur, nisi cum terra, vel alia re adeò occulitur laqueus, ut bestiam lateat. Nempe si laqueo conspecto bruta existimant, hic in meam perniciem fuit armatus, quem vitare, & famem tolerare, me decet, jam haec discurrunt. Discursus enim est, & non parum calidus, illud sic fabricatum est, ergo ad capiendum me, & alia mei generis factum fuit. Et ulterius, si capior, interim a venatore, vel aucupe. Ergo consultius agam tolerando famem, quam vescendo escam. Si enim haec non existimant, in quos alios usus extimativa, quam his trahutis, deserviet illis? Etiam si hoc discurrere non appellatis, quia circa vestra ficta universalia non versatur, nescio quis vobis suasit, naturam metam posuisse irrationalibus discurrendi tantum ex particularibus particularia elicendo, plus quam ex universalibus, cum acrioris ingenii, ac temperatoris hominis sit elicere particularem collectionem præteritæ consimilem, quam formare hanc ex universalibus; omne malum est fugiendum, sed omnia vitia sunt mala, ergo omnia illa sunt fugienda. Propter Deum quod verbis tantum indoctis quibusdam vitare, haec putatis, audentes confiteri discursus, quos inutili, bestias efficere, sed tales non minari, quod ab extimativa brutorum oriantur, & non a cogitativa hominum: quasi intersit aliquid, sic, vel aliter facultatem ullam nominari. Sed de his in præsentiarum satis, quod multa ex relatis recensita sint in opere nostro, maximè in Commenticulo Paraphrasis tertii de Anima, pag. 206. & sequentibus. Subticeo verba illa, bruta autem se excitant, ne scrupulosior dijudicer: non enim te æmulari placuit, qui distinguis inter has voces, se agere, & se mouere, tribuens illis quasdam, quas vobis placuit imponere significationes. Si enim Ciceronem, & quovis Latinissimos consulas, & ipsum Ambrosium Calepinum, synonyma in significando aliqua esse invenies. Ego cum res pro scopo habeo, & ex hoc verè realis nominandus forem, inutilia haec nomina contemno.

Ne vererer plures consumere chartas, quas in compositione libri, monstmando impertinentia esse multa, quæ interseris, examini subjicerem distinctionem illam mobilium facientium motum, & se moventium, & se agentium, & gradum eorumdem, & fortassis nonnihil taxandum reperissem. Sed quod tibi videtur apprimè eos distinxisse (nam gloriabundus in calce addis: neque tu, aut Philosophorum quivis alter hanc ordinatissimam Philosophiam jure infringere poterit) accipe verum, & certum modum dividendi entia in diversos gradus. Ut quicumque actus, qui propter aliquem finem fiunt, non æquè perfecti cum fine sint, ut Aristoteles i. Ethicorum, cap. i. ita quæcumque entia propter alia funt, non æquam perfectionem, ut illa sortiuntur. Unde cum quæ infra Lunæ concavum creata fuere, in hominis unius servitium producta sint, quæ in plures, & perfectiores operationes hominibus deserviunt, perfectiora habentur. Indeque bruta plantis multò perfectiora funt, quod innumeris ruris relictis muneribus, vehendo homines nonnulla deserviunt, alia onusta materiis, lateribus, clavis humanis domibus ædificandis sub ingentibus oneribus premuntur: quædam pelle, alia plumas, alia corium, nonnulla lanam, quibus vestiamur, gignunt. Rara ordinatissimis cantis nos demulcent, aut festivissimis gesticulationibus nos fovent, & omnia fermè seipsis nos alunt. Quod munus ex vegetabilibus aliqua etiam exercent. Id quippè Genesis cap. i. exprimebatur, cum cæteras creaturas in antecedentibus diebus, homines in sexta die Deum

creasse testatur. Quod enim est primum in intentione, est ultimum in executione, ut dici solet motibus omnium entium non per eundem modum factis, per quem tu præscribis. Gravia enim, & levia, remoto prohibente, semper in propria loca referuntur, aut aguntur, seu moventur. Differentias harum vocum, quæ à Latinis non probantur, ego despicio, ut dixi, quod mihi cura sit, rem ipsam explicare. Utrum autem egeant relata gravitate, aut levitate accidentibus distinctis à substantia, ut nativos motus exequantur, aut non, idoneus locus hic non est huic disceptationi. Vegetabilia alimentum radicibus infixis terræ ex ipsa facultate attractice consimili illi, qua magnes ferrum, & succinum palas trahunt, tractumque inibi in diversis porositatibus radicum concoquunt, prout nos in ventriculo cibum: ex quibus radicibus tamen à vi expultrice earumdem, quam attractice truncorum, & ramorum, vel cauliculorum totum alimentum necessarium ad alendum cæteras partes, prima jam coctione elaboratum, per singulas particulas distribuitur, superfluo in folia converso. De his facultatibus si Medicus fores, legere posses libros Galeni de Facultatibus naturalibus. Itaque qui relatus est motus plantarum alimento earum collatus à natura fuit, non ipsis plantis, cum brutis aliam movendi rationem natura præscriperit: tunc quod alimentum sibi adecens tæpè distantissimè abesset, quam ut hominum necessitatibus suis motibus succurrerent. Nam in utrosque usus commenta fuit vim alimentis, & amicis rebus dare trahendi ad se bruta, cum sic disposita sunt, ut eo egeant, ac illo ori bruti præsente movendi maxillas eorumdem ad alimenti passionem, & inimicis rebus oppositam vim exhibuit. Hanc motricem vim inferentibus amicis, & inimicis rebus in animalia non ullis corporeis partibus expulsis ab ipsis in bruta, nam hoc delirium, & furor esset imaginari, ut iis, qui aliquid physicum sapiunt, constat: sed tantum quibusdam accidentibus, nominatis species, rejectis in organa proportionalia nostris sensitivis, quod ille sit aditus ad eam partem cerebri, unde nervi motivi oriuntur, quam affici ab speciebus relatis cum objecta præsentia sint opportet. Nam quæ adeò absunt, quod neutiquam suis speciebus possunt bruta afficere, si aliquando affecerunt, suo phantasmate relicto in parte posteriore cerebri, & inde moto in illam originem, unde nervi motivi nascuntur mediate, vel immediate, causa sunt aliquorum motuum brutalium. Neque lubens immeritoque relatum artificium natura fabricabit, sed quodammodo compulsa, & invitata ab arte, quam præcinimus. Si enim vim sensitricem brutis tribuisset, animas indivisibilis concessura illis erat, ut sufficienter demonstravimus, indeque separabiles à corpore. Quam etiam rationem collegimus in ultima parte libelli nostri de immortalitate animarum. Erumnosam quoque miserrimamque vitam vivere irrationalia compulisset, quæ ambo vitabit motu à nobis excogitato, ab eadem facto, hominibus multò diversum modum motus concedendo. De quo in Paraphraſi tertii de Anima egimus, & antecedentia non longè à principio nostri operis scripsimus. Sed compulsus tuis scriptis iterum scribo, ac ut si tempus nullum tibi vacaverit, legendi illa, cum hanc epistolam legeris, jam tunc legas. Et quæ attinent ad differentiam sensus, & intellectus in medio fermè volumine, si videre placuerit, invenies. En quam perlucida, quam clara, quam undique pervia, sine nebula, sine caligine, sine trica, hæc nostra philosophia est: quæ quantum à Democriti decretis differat, & quæ digna sit inscrinio consimili illi, quo Darii unguenta asser-

vabantur recondi, potius quam illud perpeti, quod tu ominatis, maturis physicis decernendum relinquo.

Oblivioni tradideram respondere cuidam tuo argumento, quod aliquid efficere adversus nos, qui fatemur speciebus objectarum rerum trahi bruta, opinaris, inferendo, illud quam maximè inconvenire, ne humanus sensus etiam ab speciebus his esset movendus, quod non experimur. Profectò ratio hæc adeò fragilis est, ut te ipsum judicem efficere libeat. Nempe non tu vides, quod si ob id quod ego confiteor, bruta trahi speciebus amicarum rerum, inferendum esset, etiam homines trahendos, quod pari argumento insurgerem ego adversus omnes Philosophos, quod si succinum trahit paleas, aut magnes ferrum, quod magnes tracturus erat aurum, æs, margaritas, & succinum triticum, hordeum, & cætera semina, & quæcumque arguens objicere velit? Natura enim speciebus objectarum rerum vim dedit, non ut omnia entia movere possent, sed certa.

Reliquum, quod objicis de infantibus admodum bestiarum sentientibus, ut Aristoteles testatur, non majoris ponderis, quam præcedens est. Nam si ego fidem in hoc negotio Aristoteli tribuerem, cassa esset hæc disputatione: experimenta potius nostris partibus favent, quam tuis: cum omnes fermè infantes intrà bimatum loqui discant, & nullæ bestiæ quadrupedes quantumvis vivaces sint, per totam vitam id assequuntur, & si doctissimos magistros fortiantur. Neque defectum instrumentorum in bestiis caufari poteris, cum multi homines nutibus conceptus suos exprimunt, ut vocales vocibus: quod si sentirent bruta, erant effectura, præcipue illa, quæ adeò ingeniosas operationes exercent, ut homines superent, & multò difficiliores, quam loqui discere. Aves enim, quæ cantillare discunt, per quem modum sine sensu garriant, in nostro opere docuimus.

Tertium de sensibilitate differentia essentiali corporis eam vim habet, quam rationes, quæ petunt principium. Audiveras enim nos privare sensu irrationalia, & soli homini concedendum esse contendere, & insurgis adversus me cum illa arbore Logicorum, qua genus substantiæ digerunt, ac secant in corpoream, & incorpoream, in quo ambo non convenimus. Et postea corpus in animatum, & inanimatum, in quo etiam utrique coimus, & tertio corpus animatum in sensibile, & insensibile, super quo non fixamur, sed tantum in hoc, quod ex corpore, & sensitivo differentia logici animal constituunt. Ego autem, si sensitivum nominant, quod sentit, secum non consentio: si autem sensitivum dicunt, quod sentit, aut in organis sensitivis, & motivis æmulatur hominem sentientem, cum illis conuenio, vox enim incomplexa, per quam brutalis differentia significetur, ignota hucusque est, nec mirum quod differentiæ rerum sint nobis ignotæ. Statimque ad tuam objectionem, quam in summa infers: est animal, ergo vim sensitivam habet. Nego consequentiam: quia debebas addere, ut totam significationem animalis evacuares, vim sensitivam habet, vel in organis sentiendi, & movendi æmulatur animal, quod sentit, qui est homo: quod cuique bruto conveniet in totum, vel in parte. Etiam supra relata inseruisti quandam illationem, quam crediderim ego te oscitante dictasse: aliter enim fieri non potuit à tam insigni Cathedrario esse conditam. Inquis enim quod necessariò quæ à rebus objectis rejiciuntur, aut propriis gignuntur in organa brutalia proportionalia nostris sensitivis, futura sint corpulenta, quia ego animam quantam brutorum esse dixerim. Quod unde

vim teneat, ignoro, nisi ab angulo ad parietem, ut inquiunt. Dic mihi, quæsio, ligna quanta non sunt, & calorem suscipiunt, corpore carentem? & aqua quoque, & quæcumque qualitatibus primis, & secundis, ac tertiiis afficiuntur corpora, quanta sunt: non tamen, quæ afficiunt illa, corpora sunt. Nisi quandoque somniasti relata accidentia corporea esse, & quod simul cum corpore de prædicamento substantiæ se penetrativè habeant. Quod si confiteris, ut scio te esse inficiaturum, ulterius non procederem, quod sensum negasses. Cæterum irridendo nostra placita, & conando illa similia efficere Democriti decretis, ubi toto cælo erras, adducis illud Aristotelicum, easdem opiniones infinites reddituras, & verum esse testaris. Quod etiam scio à tam piissimo homine scriptum non fuisse, ut in totum verum, sed ut Hispanè dicere solemus. Nam si illud Aristoteli opinatum verum foret, mundus initium non habuisset: aut humana species semper infra concavum Lunæ duratura erat: aliæ enim infiniti homines, aut infinitæ opiniones in tempore finito fierent, quod citra miraculum non contingit. Verum hæc mittenda sunt, quod tamen tu, quām ego in hac philosophica palestra semper loquamur: præmissa obedientia suavi jugo Ecclesiæ. Ultimum de motore semen, quod ex Aristotele ducis, qualiter sit intelligendum, & in quo Aristoteles meritò est à nobis taxatus, in opere nostro legere fuscè poteris, si sententiam mutaveris, cum hanc nostram epistolam perlegeris, ut prudentes efficere sunt soliti. Quod te facturum spero, ac mihi te tunc gratificaturum laborem meum confido.

Si quod nobis objectit quidam illustris vir, tu objectasses, scilicet, si oculus bruti talis nominatur oculaturus erat; & si auris auditura, & si nasus olfacturus, aut si per relata organa non fierent prædicta munia, ut ego attestor, æquivocè auris, & oculus, & nasus talia dicerentur, essentque analogicæ voces illæ, quæ organa sensuum brutorum, & hominum significarent, primitus dicenda de humanis organis sensuum, & postremò, ac secundumquid de brutalibus: ut homo dicitur æquivocè de picto, & vivo. Huic argumento idem, quod illi præsuli insigni responderem, verum esse in rigore aurem, quæ ab audiendo nomen assumpsit, brutorum non esse simpliciter nominandam, nec oculum, qui ab oculando nomen derivavit, parti illi faciei bruti simpliciter non convenire, si oculare idem cum videre significasset. At si oculare illuminare nominetur, tamen bruti, quām hominis oculo nomen conveniet. Et cæteris organis brutalibus idem contingit, non tamen vocem illam dici adeò secundumquid de bruti partibus recensitis, ut de pictis attestor. Nam si Logicis notum esset, quod nos docuimus, bruta scilicet non sentire, relata nomina æquivoca à consilio nominarent, & per prius dicta de partibus organicis sensuum humanorum, & subinde de partibus bestiarum, quia humanis similia sint in recipiendo species, & essendo post receptionem causa motuum eorundem, ut sensationes humanæ humanorum motum, postremò, ac ultimò depictis auribus, ac oculis, & naso, & cæteris, quæ vocantur sensuum instrumenta, dici. Etiam si amplecti nostram doctrinam vereris, quod putes multos Sacrae Scripturæ locos legi, in quibus bruta sentire asseritur, quos sic sancti Doctores intelligendos, ut sonant suis commentationibus super relatis locis exprimunt, quorum expositioni adversari ex sententia beati Augustini temerarium est: lege nostri libri ultimum folium, & timorem amittes. Certè illud Job cap. 39. de Aquilis: inde contemplabitur escam, & de longè oculi ejus prof-

picient. Et 28. cap. Semitam ignorabit avis, nec intuitus est eam oculus vulturis. Et Psalm. 57. Sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, ne audiat vocem incantantium. Et mille alia hujus fortis adeò exprimunt mentem Prophetæ explicando sententias relatas non in sensu merè literali, quem faciunt (nam hic vitandus est in quamplurimis locis Sacræ Paginæ, ut in cap. 6. Genes. ubi hoc legitur: Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, poenituit eum, quod hominem fecisset in terra. Et in aliis innumeris locis) sed in sensu literali, in quo fiunt, quem statim dicamus: supponendo quod bruta sentiant, ut physici falsoe opinantur, sicut vere sciendo ipsa non sentire. Nam locus ille ex 28. cap. Job, si sensus literalis tantum perpendatur, mihi favet, & physicis nobis adversantibus contradicit, cum ibi Job refert, quod avis, quæ sensu caret, ut cæteræ bestiæ, ignorabit semitam, ut ignis, & si sursum fertur, aut terra deorsum, minimè sursum, & deorsum, in quæ feruntur, noscunt. Et quod vulturis oculus viam non intuetur, sed quod trahatur, vel fugatur per eam ab specie odoris, aut coloris, aut soni. Aliud quoque, ex cap. 39. de Aquilis, quas dicit ex rupibus escam eas contemplari: cum in hunc usum præcipue scriptum sit, ut nos doceat mirabilia avium, & animalium à Deo facta, ut per hæc Deo fidere debeamus, ut inscriptio cap. citati ostendit, tale est quod sequendo nostra placita, quæ maximè suadendi sunt hujusmodi omnes, fiduciam Dei habere: cui cura fuit, alimentis convenientibus aquilæ concedere vim tractricem aquilarum in se ipsa, per species impulsas ab ipsis rebus valde distantibus ab aquilis in earundem oculos, indeque in cerebrum aquilarum, ut per hæc vehantur in alimenta, quæ specierum inductio in oculos videre nominatur, per analogiam quandam ad nostrum conspicere. Ut enim nos, qui intuemur res convenientes, & inconvenientes mediante visu sequimur, vel fugimus nonnulla: sic bestiæ speciebus rerum feruntur in eas, vel fugantur à rebus. Et ut illud quoque de aspide, quæ obturata aure non audit vocem benefici incantantis, scrupulum non inferat tibi, relieto decreto Plinii lib. 30. cap. 1. ubi de magia non pauca scripsit, scito quod tibi ignotum non esse puto, voces scilicet nihil aliud esse, quam aërem taliter motum, qui prout calidus, frigidus, humidus, aut siccus, vel alia qualitate affectus est, taliter, aut aliter operatur, & non quod sic, aut diverso modo fingatur à proferente, & quod si nonnulla verba vim habent, ex divino pacto, aut Dei permissione, & non quod verba sint, operantur. Vide ergo, quod incantatoris vox potius, Deo permittente, extra naturæ cursum stupidam, & soporatam reddit aspidem, quæ ideò vox illa, quæ aëris est, ingrediatur autem aspidis, aut non ingrediatur in eam. Permissit quippe Deus, quod voce magici subintrante aurem venenatæ aspidis, diabolus posset soporem inferre illi, & noluit omnium conditor, quod citra hunc ingressum aëris in relatam aurem, relatus effectus fieri à diabolo posset. Cuius consimile beatus Augustinus, in libris de Civitate Dei testatur, agendo de Magicis Pharaonis, de quo nos in opere nostro meminiimus: neque ex hoc sequitur, eas audire propriè, ut homines, sed ad similitudinem humani auditus concussionem factam in aures bestiarum, quæ instigantur naturaliter vitaliter ad motum, quod cerebrum earum sui motus principium ferit, ut diximus, auditum nominet Propheta. Cavet autem aspis nova ingressum vocis incantantis in suas aures, non ut quæ praeficiat

ciat vocem illius soporem inducturam sibi , potius quām formica nova futuram hyemem , & tritici germinationem , non erosis extremitatibus , nam hoc si scirent , divinare esset : sed tām aspis , quām formica naturaliter relatōs motus exercent , qui de quarto genere eorum , quāe nos bestiis convenire præscripsimus , sunt. Ut etiam omnem suspicionem , quam sacræ literæ tibi inferre possent , tollam (ad scribendæ enim expositionis formam , universas consimiles explanabis) attende , quod cū David dixit Psalm. 10. Nolite fieri sicut equus , & mulus , in quibus non est intellectus , non permisit bestiis illis sensum : ut qui verè dixit , me non habere mille aureos numos , non fatetur me habere mille argenteos , aut quingentos aureos. Ex negativa enim affirmativa ab his , qui aliquid Logices sciunt , non inferuntur. Similitudo hominum intemperatorum cū bestiis magis quadrat afirmando eas non sentire , sed trahi ab speciebus rerum , quāe naturaliter ad se , vel à se movent , ut ego refero , quām opinando eas cognoscere , & extimationem habere , ut vos fatemini. Acerbior enim increpatio est , dicere , nolite trahi à foeminarum pulcritudine , aut ab alimentorum delectatione à vobis concepta , vel à ficta gloria mundi vana , ut equus , & mulus trahuntur naturaliter ab speciebus herbarum inductis in propria organa , aut à phantasmatis stabulorum solitorum tegere eos , ut palea succinum versus , non sentiens , neque concipiens , an commodum , seu damnum inde sit assecutura , quām referre , quod nolint esse similes homines relatis irrationalibus , quibus physici conceditis , ut parūm antè dixi , vim sensitricem , & extimaticem proficuorum , & nocuerunt. Nec enim petenda omnimoda similitudo in relatis sententiis est : cū si id deceret , gnavi , & pigri non exemplo formicarum essent increpandi , ac suadendi in labore , iis bestiolis industriam , & operam impendentibus , suffurando , & grassando , quāe non seminarunt , nec falsè secuerunt. Ut ego non parcere has labori , & condere alimentum in futurum , tantū ob oculos secordis proponitur , ut his excitetur , & somnum excutiat piger , vitio furti imitari denegato : sic sentire irrationalium , quod in sacris literis refertur , non propriè simile humano intelligendum est , sed per relatum synonymiam ad nostrum. Sacri enim Doctores , qui recentitos locos explicant de proprio sentire , mirūm non est quod decipientur , tam quod nullus præcesserit , qui negotium hoc de sensatione brutalī ambigeret , quām quod in naturalibus nonnumquām deficiant. Certè scimus Augustino , Hieronymo , Ambrosio , & Gregorio , & Cypriano , & aliis Sanctis Scripturæ Sacræ Expositoribus ignotam fuisse habitationem sub aequinoctiali , ut commentationes eorum , quibus sors obtulit de re hac loqui , palam monstrant , quam plagam innumeris Hispani hac tempestate inhabitant. Erit ergo observanda Augustini methodus , & ne temerarii dicamus dissentientes ab horum Sanctorum expositione , falsam opinionem eorumdem veram esse proterviemus ? minimè quippè. Neque hoc unquam Augustinus jussit. Quod enim ipse præcipit , est , ut in his , quāe ad Christianam pietatem attinent , fidem sanctis Expositoribus non mutuò dissentientibus demus. Quod omnes amplecti debemus , in naturalibus liberè vagando , ut in operis exordio monui. De quibus nihil plus : adeò enim docto viro , ut tu es , recensita non tantū sufficere , sed superfluere existimo.

DEFENSIO SECUNDI PARADOXI.

INcips evertere secundum paradoxum censoris verbis: refers enim alterum, quod item magna censura eget, illud est, actum sentiendi non esse accidens diversum re à potentia: idem arbitraris de intellectu, & intellectione: & communem Philosophorum consentiēt me subvertere objicis: semper delinquens cùm in me aliqua probra objicis, vel in ea, quæ mihi infers, aut in majora multò incidente. Quippè si nostrum librum legisses, palam vidisses, nos non primos Inventores esse hujus placiti, sed Aristoteles in 3. de Anima, & Augustinus in libris de Trinitate. Si quid nobis debetur, hoc est, quod veritatem hanc indoctis Expositoribus oppressem, & innumeris sensibus convolutam non tantum vindicaverimus: sed extricaverimus, & esse qualis est, insolubilibus argumentis ostenderimus. Statimque cùm adversus me contendere incipis, in limine, ut inquiunt, offendis, placitum quoddam proponendo, id est, nobiliora paucioribus motibus egere, quam ea, quæ sunt vilia: quod non distinguis, ne sufficienter explicas: alias cùm minimè necessariæ distinctiones sint, multis nos confundens. Si enim in decreto tuo dicere velis, quod nobiliora, ut sint, paucioribus indigeant, falsum certè manifestè est: cùm quæcumque perfectiora sint, & effici ab alio poscunt, aut perfectiore agente indigent, aut materiam artificiosorem requirant, aut utrumque. Probant hæc tam cælestia, quam terrestria omnia: quæ exemplis monstrare non placet, ne tempus consumam. Et si id dicere nolis, sed quod quantò perfectiores res sunt, tanto minores motus, seu operationes, seu effectus producant, an verum, seu falsum sit, tu videris: qui non ignoras Deum Optimum maximum creatorem omnium esse, eorundemque asservatorem, illorumque motuum præcipuum motorem. Vides ne, quantum aberraveris in his, quæ nullis incompta sunt, quia præceps sententiam tuam edideris? Primi mobilis motum, ut simplicissimum testem tui decreti adducis, immemor eorum, quæ nos scripsimus: quod neque constet hunc perfectorem esse, quia simplicior, cùm elementa multò mistis imperfectiora sint, & tamen simpliciora. Etiam ex hoc quod plura conservet, si enim inferiores orbes à superioribus pendent, multò plures operationes, & motus hunc exercere, quam alii cuivis constare certum est. Ex alio etiam (quod non tantum ipse rotetur ab Oriente in Occidentem intra diversa spatia temporis prout diversos orizontes regio sortitur, verum, & suo rapidissimo motu, inferiores orbes per eundem modum circumagat) multiplicior hic nominandus esset, quam aliorum inferiorum orbium motus. Alii enim distantiores exequuntur, quod fermè contrarios super diversis polis, sed multò pauciores. Hic ignem quoque trahere, ut testem relati decreti, quod paucioribus motibus agitetur, quam cætera elementa, quis tolerare potest? Illo contermino existente lunari lationi agitatæ velocissimo duplice motu, violento diario, & nativo menstruali, ut Aristoteles in Meteorologicis, & de Cælo docuit, à quibus infima elementa, indèque vilia expertia sunt, ob idque putrere magis parata per oppositum quam tu dicis, motus enim à putredine excusat. In mistione etiam hæc infima elementa pati densitatem, raritatem, calefactionem, frigefactionem, corruptionem, generationem, & ignem ab his immunem esse, quis verè dice-

re poterit, ipso intrante omnium perfectorum mistorum compositionem? Neque si recordareris Aristotelicæ tententia, primo de Anima, text. comment. 20. in præfatum errorem incidisses. Ibi enim legere poteras, ob id Democritum, & Leucippum animam esse ignem opinasse, & calorem conflatum ex sphericis atomis, quia maximè possint seiphas penetrare, & alia, & movere, quod anima præstet animalibus multiplicem motum. Ubi perfectioni tribuitur esse causam multiplicium motuum, & ignem omnibus illis moveri confitendum necessario est. Hanc enim ignis perfectionem ex multiplicitate motus Aristoteles non increpat. Et si tu quoque conspexisses ignem, quem præ manibus tractamus, vidisses etiam illum mobiliorem multò cæteris elementis, neque iis imperfectiorem. Et sive hic infimus ignis sit mistus, ut est, aut simplex: non propterè quod magis quam elemen-ta infima movetur, imperfectior, sed perfectior habetur. Cætera testi-monia de humanis actibus, & de homine ipso, ut non sigillatim singula percurram, quam à veritate aliena sint, nostræ methodi, pag. 173. docet. Sed cùm nos compellis tuis scriptis, iterum eadem refero. Substan-tiæ corporeæ diversa multò regula metienda sunt, cùm earundem perfec-tionem examinare volumus, quam incorporeæ. Primæ enim quanto magis compositæ sunt compositione partium essentialium, aut integralium: tantò perfectiores sunt cæteris paribus habendæ. Quæ enim continent ali-qua, & aliquid plus, perfectiora sunt, quam quæ unica ex his includunt; undè, ut superius dicebam, mixta elementis perfectiora habentur. Nam ut causa efficiens perfectior est effectus, aut minus perfecta esse non potest, sic materialis imperfectior, ut arte fabricatae res probant. Domus enim pretiosior, quam lateres, & materiæ, & clavi est: & statua, quam æs, & theca, quam lignum. Ultrà autem si procedamus in entium perfectio-ne, animalia inanimatis perfectiora sunt, quæ compositionem multiplicio-rem quam inanimata possident. Et inter ipsa bruta etiam, quæ excellunt artificiosiorem compositionem, & majorem quam infima. Et homo cæ-te-ra viventia intra cavum Lunæ contenta antecellit, qui quam maximè omnia irrationalia superat. Incorporeæ, quia nullas essentiales partes ha-beant, ideo non per modum, quem diximus, metiuntur, sed tantum quadam consideratione nostri intellectus imperfectiores à perfectioribus distinguntur penè potentiam ad plures actus perfectos habere, vel ad pauciores. Nam differentiæ essentiales aliæ, si quæ sunt, nobis non con-stant. Quæ enim perfectiores sunt intelligentiæ, ad pauciores actus ex per-fectis, ut dixi, potentiam habent, quod semper eos exerceant: & quæ imperfectoriæ, ad plures potentiam habere dicuntur, quod eis aliquando uti liceat, aliæ non. Hoc aliis verbis dicitur plus potentialitatis habere imperfectiores substantias separatas, quam perfectiores: & è contrà, quod plus actus hæ possideant, quam reliquæ, non fieta ulla essentiali compo-sitione, ut alii falsò sunt opinati, sed tantum per considerationem intellec-tus. Hisque sic consideratis, accidit, quod de divitibus, & pauperibus garrire aliqui sunt soliti, cùm dicunt, pauperes majorem potentiam ad divitias habere, quam divites, id est, pluribus divitiis, quam divites, pau-peres sunt privati: indè quod nullas habent, & possunt habere eas, quas divites possident, & quæ divitibus deficiunt: quod divitibus minimè con-venit. Undè simplicissimus, & unicus Deus nullam compositionem rea-lem: neque intellectualem admittit. Nam si est sapiens, ut numquam di-

ci aliquando ignorans , & posteà sciens posuit , cùm omnia scibilia ab æterno sciat : sic ubique est , ut non mutans locum concipi valeat : sic omnipotens in præsentiarum , ut ab æterno , & in æternum fuit , & est , & erit . Denique interdicitur humanus intellectus aliquid intelligere de Deo , quod ascititum , & non nativum illi sit : à quo plus distat anima sentiens , aut intelligens per alios , & alios modos se habendi , & promptior ad intelligendum aliis existens , quām quæ per species à se genitas cognosceret . Nam primum attestando , dissimilem Deo in modis illis habendi , eam constituimus . Sed cùm secundum singimus , quamquām dissimilem Deo in accidente eam intelligimus , maximè in alio cùm eo convenire fatemur , quia animæ gignendæ species vim conferimus , in quo Deo omnium gennatori similitudinem nonnullam animam habere confitemur . Vides ne iterum , quod hic philosophandi modus noster nullis indigeat distinctionibus subtilibus ? Quæ cùm nulli veritati innitantur , mutuò inter se dimicant , & pauco negotio improbari , & radicitus evelli possunt .

Jam cùm accingeris solvere rationem , qua probavi intellectionem non distingui realiter ab anima intelligenti similitudine voluntatis , quæ non distinguitur à volitione , qua vult , palam monstras tibi ignoscendum esse : ut qui aut nostra verba non legeris , aut illis scholasticis negotiis occupatus , illa concipere non valuisti . Numquām enim mihi in mentem venit , quod tu fateris ; id est , quod ego sic processerim arguendo , voluntas seipsa est voluntas , ergo seipsa vult . Ego multò aliter sum argumentatus : ut pag . 74. nostri libri , & sequentes docent : ubi intuli , quod si verum esset , quod est hucusque opinatum , voluntatem per actum à se realiter distinctum velle , sequi , non posse ipsam unicum actum voluntarium elicere , quin infinitos eliciat . Quam illationem sufficientem esse probavi , hanc tu adversus me assumis . Quod non sine cachinno legi : ut etiam inconveniens illud adversus Aristotelicam doctrinam de motu primario , in quem reducendi sunt posteriores motus . Quod nisi tu felicius , quām ante hac argumentum nostrum solvis , confiteri cogeris : & cùm consulto legeris , ea , quæ de re hac nos dictavimus , vera hæc esse invenies . Sed quid magna ; cùm jam tunc in nostram sententiam descendes : nam si quod scrupulum te tunc torserit , ad nos mittes , & absolvemus .

Reliquum de indivisibilitate visionis adeò oscitantè scriptum à te ut præcedens rerer , nisi legissim te confidente jam olim ea , quæ ad me de re illa mittis , aliquando docendo perspectivam viva voce protulisse : quo non exigua admiratione corripior . Nam in conclusione trigesima nona primæ partis perspectivæ Pisanus Carturiensis hæc scripsit , non sub quo cumque angulo rem videri , non enim est visio sub angulo acutissimo , id est , angulo contingentia , quia talis sicut probat Euclides , est indivisibilis : angulus autem , sub quo videntur res , dividitur per axem per quam visio rei completur . Et in sequenti quadragesima conclusione iterum dicit , visum fieri sub curta pyramide , & angulo inchoato . Sed authore misso , & ad distinctiones tuas deveniendo : prima nescio in quem usum hic est allata . Refers enim visionem suapte natura indivisibilem esse , & à quantitate habere divisibilitatem : quod omnibus quantis convenire secundum opinionem eorum , qui distinguunt quantitatem à re quanta , manifestissimum est . Et aliud , quod hoc sequitur , falsum certè quibusvis constat , illud est , quapropter visio divisibilitatem habet ab organo , per quod transfertur , &

à potentia in qua conditur. Nam visio, quæ vitalis immutatio est, aut qua vitaliter immutamur, non est accidens secundum vos ipsos, qui distinguitis eam realiter ab anima sentiente, quod transfertur, aut transmititur ab extrinsecis rebus in potentiam videntem, ut tu dicis: nam si sic contigisset, in medio diaphano visio esset, & in cornea, & omnibus humoribus, & tuniculis oculi antecedentibus crystallinum, aut cancelationem nervorum opticorum, in quorum altero visio, & non alibi fit. Consequentia est nota ex tuis assertis. Confiteris enim transferri visionem per organum, & inde divisibilitatem acquirere, ut si corpus ullum esset, omnibus scientibus accidentia naturaliter non mutare subjecta. Statimque non fessus distinctiones impertinentes, & rudimentarias scribere, dicis, quod ut potentia indivisibilis est actu, divisibilis verò potentia, sic visio: quasi hoc peculiare esset visioni, & potentiae sensitrici: quod quibusvis rebus quantis convenit. Omnes enim quotquot sunt, tales sunt, ligna, lapides, elementa, mista, & cælum ipsum. Sed ultimum, quod te docuisse discipulos tuos gloriaris, intolerabile est, visionem esse homogeneam, & quod partes ipsa habeat similares cum toto, unde mox infers, itaque quælibet pars visionis visio est, quod tota igitur præstat ipsa visio partes singulæ præstant, repræsentare totum, & partes objecti: quod verò pars una dextrum solum repræsentat, alia verò sinistrum solum, false concipit, qui ita opinatur. Quo, & quibusdam aliis improbandis te nos viciisse, & nostræ rationis vim confregisse putas, sed ut resipias, quæ sequuntur, attente legito. Si adeò exercitatus es in Physicis, ut in Theologicis, scires indivisibiles res, id est, quæ totæ sunt in toto, & totæ in qualibet parte, non nominari homogeneas. Nemo enim Angelum, aut animam homogeneam appellavit, quod prima conditio homogeneorum his non conveniat, hæc est, habere partes. Sic enim si memor sum Aristotelis sententiæ 1. de Generatione definitur, homogeneum esse, cujus partes quantitatibæ ejusdem denominationis cum toto sunt: ac propter hoc carnem, & nervum, & alia homogena nominamus: horum enim quælibet pars similem denominationem toti habet. Crus autem, aut brachium, aut caput eterogenea dicimus: quod non quælibet horum pars similis toti sit. Si ergo visio talis naturæ foret, ut anima, & Angelus, & aliæ separatae substantiæ, ut tu dixisse videris, non ei eras collaturus partes dextri, aut sinistri, nec dicere, quod id præstat pars quælibet ejus cum toto. Deciperis enim, si putas hoc proprium esse homogeneorum: quia nulla homogenei pars potest, quod totum: neque quod major efficere valet, minor assequitur: quod à multitudine formæ actio sequatur: & in majore parte homogenei, major multitudo formæ sit, quam in minore ejusdem. Item jam quod tibi demus visionem partes habere, & quod non sit indivisibilis ea indivisibilitate, qua anima, si verum esset, quod id præstaret quælibet pars visionis quod visio, cur natura ipsam non genuit in infinitum parvam, id est, non adeò parvam, quin parviorem? Si enim ejus quælibet pars præstat idem quod totum cæteræ superfluæ fuissent: quod quantumvis exigua dextrum, sinistrum, sublime, infimum, anterius, & posterius repræsentaret, ut tu fassis es. Vide iterum quantis te irretias vinculis, & nodis, cum nostris veritatibus non ascentiris. Quod ego pag. 12. dicebam, id erat, esse necessarium bruta habere animas indivisibiles, si quanta objecta cognovissent. Nam si divisibilis esset anima brutalis, ut est, visionem divisibilem gigneret,

ret, indivisibilem enim se perfectiorem non posset. Et tunc procedit ratio nostra de partibus visionis, quibus diversæ partes animæ quantæ bruti diversas partes objecti essent percepturæ, cùm nulla una entitas omnes posset cognoscere: quia anima eadem numero in pluribus partibus non est. Unde sequebatur, non plus diversas illas animæ partes posse cognoscere objectum quantum, quam si tu tantum novisses digitalem quantitatem, verbi gratia, unius rei centipedalis, & alius tantum aliam consimilem digitalem quantitatem percepisset, & alter tantum aliam, & sic plurimi signarentur, qui totam quantitatem istis singularibus cognitionibus absolvissent: quorum nullus posset percipere aliud illius magnitudinis, quam digitalitatem: & nulli concederetur omnem centipedalitatem cognoscere, præterquam alteri, qui de singulis pedalitatibus notionem haberet: hoc non accidente, nisi illi, qui animam indivisibilem habuisset, hoc est, eandem numero in pluribus partibus cognoscentibus. Patentissimis exemplis exposui, quod dictaveram: spero jam tibi nullum scrupulum de hac veritate superesse. Et si quod manet, ut magis in hac nostra sententia roboreris, si tibi placuerit, legit rationem aliam ejusdem formæ cùm præcedente, agentem de tactavis sensationibus, pag. 13. Placuit hanc rationem fusiūs quām cætera rescribere, quòd putem tibi gratum fore.

Et ut noscas imaginem speculorum in hoc negotio tibi imposuisse, & hanc invitasse te, ut crederes visionem brutalem, esse totam in tota potentia bruti, & totam in qualibet ejus parte, ut tu opinaris imagunculis speculorum contingere, scito, quæ fortassis jam diu est, quod sciveras, sed mihi revelare per epistolam noluisti, ut de me periculum faceres, & nostras experireris vires, illudque sit, quod citatus author Pisanus Carturiensis in 19. conclusione secundæ partis suæ perspectivæ scriptum in hunc modum reliquit, formas in speculis apparentes per impressionem in speculis factam minimè videri. Credunt enim homines nonnulli, quod res apparent in speculis per idola, quæ speculis imprimantur, & res quasi in idolis apparere, idola tamen ipsa primò videri, & iste error geminatur. Quidam enim dicunt, idolum imprimi speculo, & ibi esse, ac visum movere: quod multipliciter falsum esse ostenditur, cùm in speculis ferreis, & adamantinis videtur res, in quibus nulla est perspicuitas receptiva impressionis. Et amplius si res, quæ videtur, imprimetur speculo, diffundet se undique in speculo, & posset res videri in omni parte speculi, quod est falsum. Non enim videretur res nisi ipso oculo existente in eadem superficie cùm puncto viso, & cùm puncto reflexionis, æquilibus existentiibus angulis incidentiæ, & reflexionis. Amplius quantitas idoli numquam excederet quantitatem speculi, quod est falsum. Amplius si idolum imprimetur speculo, appareret in speculo, & non ultra speculum, quod est falsum: appetit enim essentiæ idolum in concursu imaginario radii cùm catheco. Amplius perspicuitas nihil facit ad essentiam speculi per se, ut suprà docui septima propositione hujus partis. Idcirco dicunt allii, idolum non imprimi speculo, sed ubi res appetit in concursu radii cùm catheco, scilicet ultra speculum, ubi appetit idolum, quod est falsum: quoniam in aqua turris appetit, tantum esse in terra, quantum est in aëre. Sed si ponatur mons æneus in loco apparitionis, ita limpidè appareret, ac si ponatur aër, vel aqua, ergo nihil ibi imprimitur. Quid ergo est idolum?

Ium? Dico quòd est sola apparitio rei extra locum suum. Verbi gratia, aliquandò oculus, ut supra patuit, de uno judicat duo esse: quia res apparet non solùm in loco suo, sed extrà locum suum. Sic etiam in proposito quo ad hoc: quod res in speculo secundùm veritatem videtur, sed in situ erratur, & aliquandò in numero, ut infrà videbitur. Quæ sententia Carturiensis in totum adversatur tuæ, volenti dicere, imaginem speculi fracti manere in qualibet parte fractarum, indeque nimurum visionem brutorum esse totam in toto oculo, & totam in qualibet ejus parte. Nam relatus author evidentè probavit, nullam imaginem imprimi speculis, neque ultrà illud, sed quod res ipsa, à qua species in modum pyramidis protrahuntur, usque in speculum, indeque reflectuntur in oculum videntem, sit quæ videtur. Quamquam cùm visio illa non fiat per radios directos, & si potentia sit in nativo situ, & debitè disposita accidat judicium corruptum elici circa situm rei visæ: judicatur enim esse, ubi minimè est. Si tu tamen confitearis etiam non esse imaginem, quæ videtur, sed diversam reflexionem radiorum esse causam, ut cùm frangitur speculum plures imagines appareant, ut in facto accidit, per hoc nihil hæc tua similitudo valet ad solvendum meum argumentum. Primò, quia non idem valent singulæ imagunculæ partium fractarum, quod tota: tota enim rem multò majorem repræsentabat, quām singulæ. Secundò, quod in diverso situ res apparet, cùm in toto speculo integro conspicitur, quām in particulis confractis, & etiam in qualibet particularum in diversis sitibus positis imago alibi repræsentatur, quam in alia. Tertio, quia & si in hoc essent compares omnes partes cùm toto, quod est impossibile, quis adeò demens esset, quod crederet partem visionis, qua videtur mentum, aut nasus, si ipsa esset partibilis, ut brutalis necessariò futura erat, esset ejusdem vis in repræsentando ut cæteræ? quia si ita foret, sola visione menti, aut nasi, crura, & collum, & cæteræ hominis partes essent cognoscendæ, quod eventibus adversatur. Ecce quòd cùm adversus veritatis stimulum calces rejicis, semper offenderis: sed quòd relatus Pisanus Carturiensis de speculis fractis propositionem vigesimam quartam dictavit, eam trahere consentaneum judicavi: hujus series hæc est. In speculis fractis mutato situ partium diversas imagines apparere. Hoc patet per experimentum, quòd si partes speculi fracti ad eundem situm coaptentur, ad quem ante fractionem, non plures apparebunt imagines in fracto, quām non fracto: plurificatio enim apparitionum non est propter fractionem, sed propter situs partium mutationem. In speculo enim concavo integro plures apparerent imagines, ut infrà patebit, quia docuit duodecima propositio, & etiam quinta decima, quòd à qualibet parte speculi fit reflexio, sed in partes diversas ex mutatione situs partium fractarum fieri non potest, ut sit reflexio ad eandem partem, & per consequens diversas imagines simul apparere, non plures, sed unam rem ostendentes. Quibus verbis manifestè Pisanus docet idem, quod nostra expresserant.

Compellor hìc inter alia, quæ ex meo codice transcripsi, ut tuæ epistolæ satisfacerem etiam transcribere solutionem cuiusdam argumenti objecti à te adversus meum decretum de identitate animæ rationalis cùm suis actibus sentiendi, & intelligendi, & volendi, & nolendi, quod hujus formæ erat. Quòd si res sic se haberet, ut ego fatebar, sequi eandem rem esse

odium, & amorem, sensationem, & intellectionem, scientiam, & ignorantiam, & mille alia inter se mutuò pugnantia. Cui, ut dixi, objectioni objecta à me ipso adversus me ipsum idem quod nunc respondit, omnes illas illationes à me concedi, ut quæ veræ sint in sensu identico, easdem tamen negari in sensu formalis. Ut enim confitemur, sessionem, nequè elevationem distingui realiter à Sorte, sed Sortem sic se habentem esse suam sessionem, & eundem aliter se habentem esse suam elevationem: & veras esse has, Sortes est suā sessio, & Sortes est sua elevatio, & sessio est elevatio: si omnes hæ propositiones in sensu identico concipientur, quæ hoc valerent, quod eadem entitas sit sessio, & elevatio, sic & nos cæteras concedimus. Si tamen in sensu formalis, qui est sensus, quem propositio facit, & non in quo ipsa fit, aliæ mihi objecta, & hæc neganda est: sessio est elevatio: quia ista item significaret cùm hac, sessio ea ratione, qua sessio, est elevatio, quod falsum apertè est. Sessio enim dicitur situs, ubi crura hominis sic incurvata sunt, ut alium situm ad reliquum corpus servent, quam cùm extensa, & totum corpus rectum supra se sustinent: qui modi hominis diversi sunt, & incompossibiles. Et si etiam confitendum non est, animam eo modo, quo se habet, cùm vult, se habere, cùm non vult: & eundem modum se habendi servare cùm sentit, ut cùm intelligit. Sufficient hæc, ut puto, ne dumtaxat ad defendendum secundum Paradoxum, verum ad offendendum ejusdem oppugnatorem? Ad tuendum ergo tertium transeamus.

DEFENSIO TERTII PARADOXI.

Tertia tua adversio, qua putas dilui rationem nostram ostendentem impossibile esse ab accidentibus visibilibus gigni visionem, quam prius monstraveram, esse necessariò entitatem indivisibilem, id est, totam in tota facultate vidente, & totam in qualibet parte ejus, si facultas partes haberet, nullam esse, vel ex hoc patet quod tu credis, posse sic concurrere potentiam visivam, & objectum in generatione actus visorii, ut mas, & fœmina in generatione fœtus. Nam & si hoc tibi concedatur, de quo non pauca in nostro opere legere poteras, quid hoc confert ad solvendum, quod ego inferebam, sequi scilicet in brutis, quæ animas quantas habent, relatas visiones indivisibles gigni non posse, indeque bruta non videre? Nam neque ab objecto illa perfectio indivisibilitatis tribui actibus potest, cùm illa quanta sint: neque à potentiis brutalibus propter eandem rationem. In homine quoque visiones, & alias sensations (si distinctæ realiter essent ab anima sentiente) non posse esse indivisibles probatum fuit pag. 36. nostri Codicis, per hoc, quod neque objectum eas potuerit producere, cùm imperfectius eisdem sit. Neque anima rationalis sola eas non esset productura, quod si eas sola produxisset absentibus objectis visibilibus, posset visionem gignere, & videre, & absentibus tactilibus tangere, & sic de aliis inferretur, quod notoriè falsum est. Et quamquam has nostras rationes minimè solvis, & complures alias, quæ ante citatum locum sunt scriptæ, indeque sufficientem excusationem non ulterius procedendi arripere possem, ne tamen te crassis illis tuis decretis deceptum linquam, simque ego occasio tacendo, ut eosdem errores tuos discipulos doceas, quos ad me mittis (nisi ut sursum dixi, callidè à te erratum sit) ideo quæ tu scripsisti, huic loco insero, ut posteà eadem enodem. Ordo autem inter potentiam, actum,

&

& objectum iste est. Potentia est inferior actu : quippe potentia est gratia actus, ut gladius est gratia incisionis, & quod est alterius gratia, est illo inferior. Rursus actu est gratia objecti, eo enim actu parit potentia, ut illo adjuta, objecti naturam consequatur : quarè cum finis sit objectum, præstabit actu. Post quæ quædam impossibilia, quæ insurgere vides adversus tua dicta, quibusdam inanibus distinctionibus, quas ego dicere verecundor, solvis. Sed has mittendo, priora examinemus. Primum enim potentiam, seu facultatem quamlibet esse propter actum exercendum ab ea, verum certè est. Et si tu hanc veritatem sufficienter examinas, non parum tibi conduxisset, ad noscendum impossibile esse sensationes quasvis esse accidentia distincta à rebus sentientibus. Quia sive potentia sensitiva sit anima rationalis, ut verum est, sive sit ipsa anima informata accidente, naturalis potentia, nominato de secunda specie qualitatis : sive sit organum animatum, & simul relata naturalis potentia (aliud enim nisi unum ex tribus recensitis esse id, quod sentit, non potest) horum nullum valebit esse propter actum sensitivum, si actus sensitivus entitativè accidens esset, ne perfectius per se, & non per accidens genitum esset propter se imperfectius? Nam potentia, quæ sentit, substantia est. Et ex tuis, & aliorum confessis visio, tactio, auditio, & cæteri actus accidens realiter distinctum à substantia, & infinitum ea imperfectius. Ac, tuo exemplo, ut utar, si incisio, cuius gratia gladius factus est, esset accidens, de genere motus distinctum à substantia inscidente, nonne vides, quod statim sequitur relatum inconveniens, esse scilicet factum gladium, qui est substantia, ratione incisionis, quæ est accidens? Quod evadere non poteris dicendo gladium non nominari à te nisi figuram illam in ferro fabricatam, qua ipsum evasit aptum ad secundum. Primò, quod figura illa, quæ etiam ex vestra realium opinione distinguitur realiter à re figurata, non posset secare sine substantia, ut esse sine ea non valet. Secundò, quia reduco argumentum ad substantiam ipsam ferri, & quæro propter quid, seu gratia cuius ipsum genitum sit? Et negari non potest, quod ad fissionem, incisionem, punctionem, & alias secandi usus, qui accidentia realia sunt, ut vos creditis: statimque impossibile præfatum infero, perfectius esse genitum per se gratia imperfectioris: quæ inconvenientia, & quævis consimilia evadit, qui nostra dogmata sequitur. Nam cum sensatio sit anima actu sentiens, quæ se perfectior est illo modo habendi, quam alio, putà cum ipsa actu non sentiens, apta est sentire: meritò dicemus, potentiam sensitivam esse propter actum sensitivum, quod tantum valet, ut hoc, quod anima cum non sentit, non sit, ut non sentiat, sed potius ut sentiat. Et eodem modo evadimus reliquum inconveniens de gladio, confitendo gladium esse propter incisionem, id est, ferrum taliter se habens, ut cum gladius dicitur, esse propter se aliter se habentem, cum inscindens nominatur, & non è contrà, quod verum est: nam talis modus habendi ferri, qualis est inditus à Fabroferrario conficiente gladium, imperfectior est, quam ille modus, quo secat: nam priorem modum ferrum potest habere postquam fabricatum est, ipso quiescente, & secundum secandi nequaquam, nisi ultrà relatam figuram sibi inditam, ferrum ipsum inscindendo moveatur, ut incisio sit quædam ulterior perfectio addita gladio. Hac priore parte sufficienter explicita, & eadem nostra assertio validior reddita, superest aliud apertissimum impossibile explicare. Illud est, actu esse gratia objectorum, ex quo statim sequitur, si potentia, quæ

sentit, est propter actus ab eadem productos adjuta ab objectis, ut tu fateris, & actus propter objecta, quod ergo de primo ad ultimum, potentia est propter objecta. Nam si a, esset propter b, & b, propter c, de primo ad ultimum inferre liceret, a, esse propter c, indeque quot enormia sequantur, tu videre vales, animam, scilicet rationalem esse creatam propter colores, & sapores, & odores, & cetera accidentia, quae objecta sensata ab eadem sint. Aut si animam nolis nominare potentiam, qua sentimus, sed organum animatum relata quantitate naturali potentia affectum, sequitur quod predicta accidentia sensibilia sint perfectiora relato organo animato. Quae absurdum si confiteri mavis, quam in nostram sententiam descendere, quod ego non sim tantus, ut propter mea scripta nuderis a dogmatibus, quibus in adolescentia fuisti imbutus, te cum tuo cerebro linquo. Et ut plus expurgiscaris, & in totum somnum discutias, vide quod contradictria simul vera attestaris. Dicis enim, rursus actus est gratia objecti, eo enim objecto scilicet, parit actum potentia. Nam si actus est gratia objecti, priusquam objectum futurus erat. Quod enim est propter aliud: illo prior est, ut Arist. 1. Ethic. cap. 1. docebat, cum artem conficiendorum frenorum dixit esse propter militarem, quae ars prior necessariò est militiae equestris. Statimque contradictriam affirmas, objectum esse coadjuvans potentiam ad productionem ejusdem actus, ubi relatum actum posteriorem objecto ipso constituis, quia effectum ejusdem esse attestaris. Nisi protervias non inconvenire effectum esse priorem causa, ut quoque fateris posse aliquid se perfectius producere, quod esse impossibile sufficienter in nostro opere monstravimus. Deceptus nempe fuisti, cum dixisti, actum esse propter objecta, cum res è contra se habeat. Colores enim, ut visum afficiant, geniti sunt.

Tua enim illa distinctio objecti visibilis in diversas considerationes, putata in quantum naturae accidentalis est, & in quantum visibile est, nihil tibi prodest, ut vites nostri argumenti vigorem. Cum enim fateris, essentiam coloris in sua natura essentialiter imperfectiorem esse potentia vidente, & actu visorio: in quantum tamen objectum visus est, perfectiorem esse, nihil, ut dixi, vitasti. Nam si essentia coloris imperfectior essentialiter est actu visorio producto ab objecto partialiter, vel totaliter, ergo objectum quid se essentialiter perfectius genuit, quod erat impossibile, in quod te, & ceteros nobiscum non sentientes protrudere nitebamur. Quamquam enim in quantumvis perfecto officio deserviat color, non poterit ullum gradum perfectionis essentialis acquirere, quod perfectio illa nullo munere vitiatur, augetur, aut imminuitur, ut tu nosti, qui Aristotelem, & veritatem secutus, fateberis substantiam non posse suscipere magis, aut minus perfectionis essentialis. Merito ergo mirari possem de tua prudentia, quae haec a me scribenda non perpendens, aula est dictare taxata. Nec minus miror de alio satis docto magistro tuae universitatis Cathedrario, qui ad me scripsit, quod si bona esset consequentia Codicis mei, de qua statim agam, inde sequi, quod nemo vere dicere posset, oculo aliquid videri. Nostra consequentia haec erat. Si visio divisibilis esset, & potentia brutalis suscipiens etiam divisibilis, inde inferretur, quod visio dextræ partis objecti inhæsura erat dextræ parti oculi, & sinistræ portionis sinistram. Unde iterum eliciebatur, quod neque dextra pars oculi valitura erat cognoscere sinistram; neque sinistra dextram, & nihil totum objectum sensaturum, nisi tantum illud idem

numero, quod simul dextræ, & sinistræ parti adesset: quod animæ indivisiili convenit, & brutali divisibili convenire est impossibile, hanc enim adaptavit ille magister oculo humano: intulitque indè, ergo visione dextræ partis tantum dextrum objecti percipiems, & sinistræ sinistrum, & oculo totum objectum non sentiemus: quod absurdum putavit esse. Nam si ego fateor objectum visibile cognosci ab oculo hominis, ut oculus significat aggregatum ex anima indivisiibili, & corpore, sua consequentia necessaria esset: nihil posset oculo videri. Idque idem ego in nostro opere intuli adversus eos, qui fingunt sensationes distinctas realiter à facultate sentiente. Verum cùm ego confitear, animam absque corpore esse quæ sentit: corpore deserviente illi, non ut instrumentum, quo sentiat, sed per quod, ut medio illo afficiatur anima, in promptu est responsio, confitendo consequens verum in rigore esse, scilicet, oculo homines non videre, sed in hoc sensu concedi orationem illam, ut id significemus, principaliore parte essentiali oculi, putà anima, videmus: ut etiam sæpiissimè testamur, nos intelligere, quod etiam in rigore falsum esse, omnes fatemur: quia simul anima, & corpus, pro quibus, ego, supponit, non intelligit, sed hujus aggregati pars principalior, anima scilicet intellectiva. Nempè sistere gradum, ne exarata iterum scribam, censeo: dum te, & reliquum Cathedra-
rium precer, ne vestris dogmatibus imbuti, contemnatis nostras lucubra-
tiones ad unguem legere, ac docere. Minutula alia hujus tertiaræ aduersio-
nis si prosequeret, etiam non pauca, quæ meritò calumniare possem, inve-
nirem. Sed omnia illa dimitto, ut quartam adversionem examinem.

DEFENSIO QUARTI PARADOXI.

A Deò tenues sunt tui sermones, quibus inniteris prosternere veritatem profundissimis radicibus cælo ipsi infixam, quæ quoqvis turbines, & procellosos limbos, ac sævissimos ventos contemnit, & despicit, ut nisi te authorem suspicerem, hanc adversionem sine responso transigerem. Sed ut omnibus tuis dubiolis (tales enim crediderim ego, à te hos haberi) faciam satis: primitus scito perquam facillimè Aristotelis contextus ex libro de Somno, & vigilia, cap. 20. posse sine scribendis à me sententiis in sensu Aristotelico interpretari. Solum, quòd legere placuissest tibi Paraphrasim nostram, quam supra textum commenti 144. 2. de Anima adduximus, pag. 62. nostri operis. Et ut te ab hoc labore relevem, vide quòd ego non nego esse aliquid unum sensorium: sed hoc animam rationalem dicendum reor, pro quanto hæc cognoscit diversarum potentiarum actus, & objecta, & inter ea distinguit. Et quod tu ulterius infers, cùm sensorium sit id ipsum, quod organum, erit potentia organica, facillimè à me diluitur, negando antecedens: nam isthinc minimè sensorium pro organo ab Aristotele sumitur, sed ut dixi, pro anima distinguente inter actus, & objecta diversorum sensuum particularium: qua ratione principale appellatur, si confertur eidem animæ tantum videnti, aut præcisè audienti, aut dumtaxat gustanti. Fragilius etiam est aliud, quod tu aliquid esse putas, id hujusmodi est, Aristoteles dixit sensum communem esse particulam animæ, si ergo anima est sensus communis, anima erit pars sui ipsius, & totum erit pars sui ipsius, quæ tibi absurdâ videntur: & nimirum quòd sis assuetus solvere mille insolubilia nostra argumenta, quæ agunt de rebus,

bus, & non de nominibus distinctionibus tantum verbâlibus, & nunc cùm non de alio, quâm de nomenclaturis sit tota disceptatio, mutus redderis. Nescis substantiam indivisibilem à diversis officiis diversas denominationes forti? Angeli enim dicuntur, quia nuntii substantiae separatae, quia à corruptilibus degeneres, cælum, quia divinitatis quid habent, & alia mille nomina, quæ tu in Divi Dionysii doctrina versatus, multò me melius scies. Quod cùm ita habeat, quid inconvenire putas, quod anima in quantum afficitur ab objectis visibilibus per oculum, & non per aliam corporis particulam dicatur ipsa videns, & eadem pro quanto alteratur ab objectis tangibilibus per organa tactiva, & per nullam aliam partem dicatur tangens, & prout non tantum relata duo munia exercet, sed & cæterarum trium exteriorum facultatum, & inter actus, & objecta illarum distinguit, nominetur sensorium commune, seu sensus communis: & pars, ac totum: pars, ut unicum tantum videndi, aut audiendi, aut gustandi munus exequitur: totum, eo quod omnes operationes sentiendi exteriores efficiat. Opinari enim animam habere partes, ideo quod dixerit Aristoteles in citato loco esse sensorium principale particulam quandam omnium sensoriorum, absurdum est: & craſſam ignorantiam testaretur, habere illum, qui sic interpretaretur Aristotelem: cùm nullus sit adeò parum versatus in libris Aristotelicis de Anima, qui ignoret, partes animæ ab eo nominari facultates diversas ejusdem. Et ex multis locis hunc singularem, qui textu commenti primi tertii de Anima legitur, adducere placet, cuius series hæc est. De parte autem animæ, qua & cognoscit anima, & sapit, sive separabili existente, sive non separabili, secundum magnitudinem, sed secundum rationem considerandum est: quam habeat differentiam, & quo modo tandem fiat ipsum intelligere. Ubi expressè facultates animæ, partes animæ nominat. Nam jam quod ut ab hac nostra expositione fugias, attestaris partem animæ diversam esse, quæ sentit, ab ea, quæ intelligit, fingendo in homine esse duas animas, unam sensitivam tantum, aliam intellectivam etiam: non sic illarum alterutram nominabit aliquis ullius unius entis partem, ut ambæ constituant unum ens, sed diversas partes nominari ab Aristotele, quivis indubie sciet. Quibus tollitur tui cavilli vis. Nam cùm cavillaris, sequi quod anima sit particula sui ipsius, totum sit pars sui ipsius, negabo consequiam, in sensu, quem illæ propositiones faciunt: nam hunc, anima in quantum anima est pars sui ipsius, quod falsum est: quia non sit pars ipsa in quantum anima, sed in quantum sic noscens, dicitur enim anima pars, cùm ut tantum videns consideratur, non in quantum anima, quod sic omnimodo sentiat, intelligat, concoquat. Si expositorio syllogismo iterum adversus nos prosequaris. Hæc anima est potentia visiva, & per hoc pars, & eadem est sensus communis, & per hoc commune sensorium, ergo idem est commune sensorium, & potentia visiva. Concedam hoc consequens, & negabo aliud, putâ, commune sensorium esse potentiam visoriam, ut sit diversitas in appellatione. Prima enim significat, quod illa entitas, quæ est facultas visoria, sit communis sensus, quod non negamus. Secunda, quod illa entitas, quæ est facultas visoria, in quantum talis, sit sensus communis, quod nos minimè confitemur, si defecutum expositorii syllogismi, quem nos, ut audistis solvimus, non versari in appellatione aliquis contendat, sed alium pati dicat, non cùm eo rixabor.

Quod postea subjungis de brutis noscentibus objecta positiva, ideo quod,

quòd , ut tu fateris , noscant per accidens privativa , si nostrum codicem adamussim scrutareris , novisses hac ratione nos processisse adversus vos , qui opinamini sentire bruta , quod privationes non nisi ab intellectu noscantur , & si indigeat ipse sensu antecedente , ut illas intelligat , quod illi in hoc tantum opere peculiare non est . Hic etiam interseris , me negare sensum . Quòd cùm mundus sim à tanto crimine , patientè tolero : ut tu mihi veniam des , si aliquandò immodicus fui , aut ero . Meam enim fidem tibi astringo , non ut te lacestam id fecisse , sed ne à disputatione de corem tollam : & ut te à lethargo , quo opprimeris , excitem : & sis primus in resipiendo , ut fuisti anterior in diffidendo : ac in hoc Principem Apostolorum æmuleris , & nostras veritates totius orbis mentibus tuo eleganti , & facundo docendi modo inseras : quod indubie spero te facturum .

Hoc misso alias minutias parùm infrà à me ex te citatas , quibus etiam adversus nos conflictaris , non sigillatim solvo . Primo , quòd principium petant : scilicet bruta sentire . Secundò , quòd ex relata solutione facile endantur . Ultimum , quo hæc tua quarta adversio clauditur , hoc est , me protulisse animam sensitivam quantam esse . Scito me numquam dixisse de anima rationali , quæ est verè sentiens , quod adversus me assumis . De brutalitatem , quæ ob id appellatur sensitiva , non quia sentiat , sed quia vim motricem sensitivæ , & organa illi paria habeat , verum est : quo nihil nouum nobis infers : neque injustè , quod nos omnibus sumus proficiui .

DEFENSIO QUINTI PARADOXI.

TN exordio adversionis contra nostrum quintum paradoxum statim admiraris , & quasi suclamando dicis , me tritam , & regiam Philosophorum viam obstruere , & quod eorum erat proloquium in doctrinis , materiam esse primam , censem ego esse abolendam . Et ut exclamando tui æmulus reddar , jam quod vera docendo , à te dissentio , eadem serie auspicor . Pro Jesus Salvator , quæ adeò ingens cæcitas sensim à tempore Magni Alexandri , usque ad Imperium præsens Caroli Quinti Magno majoris Philosophorum mentibus irrepsit , ac cordibus omnium illorum altè insedit , ut cùm per invias , asperas , & salebrosas semitas ad inaccessibiles scopulos , & præcipitia loca perducentes hi vehuntur , alacriter incedant : non viam , neque scopi sævitiam animadvertis : & cùm amplissimum , & planissimum iter ob oculos sibi proponitur , id minimè videant : malint que se præcipites agere cùm præteritis , quæ in optatas veritatis sedes cùm nobis præsentibus devenire . At ut me meritò conqueri intelligas , quæ deinceps scribuntur , attentè legit . Quis te adeò scrupulosum fecit , ut cùm nos non de alio disceptemus , cùm fictam Aristotelis materiam primam abolemus , quæ à quatuor elementis illam fictionem subtrahere , in cæteris cùm illis , qui elementa manere in mistis formaliter verè contendunt , nobis coëuntibus , sævisimo hærefoes crimine nos maculare innitaris ? Quasi intersit aliiquid ad christianam pietatem , & salutem animarum an terra , aqua , aër , & ignis partes essentiales duas habeant , aut unica simplex corporea substantia illa sint . Profectò si ego clarè non conciperem puritatem , ac sinceritatem mentium aliquorum attestantium , ut fictam materiam errore defendant , Omnipotentem Deum non posse servare materiam primam

sine

sine forma substantiali, minus injuste eos calumniare possem, ut in meo opere clarè probavi, quām tu in præsens nos, qui non de alio, quām de rebus merè naturalibus, & merè naturaliter loquimur, objurgas. Illud nempe, quod ex undecimo capite Sapientiæ adversus me trahis. Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia invisa immittere illis multitudinem ursorum, aut audaces Leones, &c. Quām parūm adversus nostra decreta pugnet, tu in theologico negotio adeò peritus facile intellexurus eras. Si enim putas illud significare, fuisse materiam primam coævam Deo creatori, & quod ex illa omnipotens cuncta procreaverit, primò aliquibus tuæ factionis adversaberis, qui innixè proterviunt, id efficere Deum non posse, quod materia prima sine substantiali forma unquam fuerit. Etiam D. Augustino sententiam contrariam exprimis in primo libro de Genesi ad literam, sic eo dicente. Non quia informis materia formatis rebus tempore prior est, cùm sit utrumque simul concreatum, & undè factum est, quod factum est. Sicut enim vox materia est verborum, verba formatam vocem indicant, non autem qui loquitur priùs emitit informem vocem, quām possit postea colligere, atque in verba formare: ita creator Deus non priorem tempore fecit informem materiam, & eam postea per ordinem quarumcumque naturarum quasi secunda consideratione formavit: formatam quippè creavit materiam. Sed quia illud undè fit aliquid, & si non tempore, tamen quadam origine priùs est, quām illud, quod indè fit, potuit dividere Scriptura loquendi temporibus, quod Deus faciendi temporibus non divisit.

Fortassis ex hac eadem sententia Augustini argumentum adversus me assumes existentiæ materiæ primæ, quam ego explodo. Dices nempe, non de alia materia potuisse intelligi Augustini nomenclatura illa informis materiæ, quam de ipsa, quam descriptis Aristoteles 1. Physic. & in libris de Generatione, & aliis locis plurimis, quæ omnia generabilium, & corruptibilium prima est. Quod sic intelligi non posse, statim ostendo: dum prius dixerim, Augustinum in negotio de prima materia secutum fuisse Platonem, quantum ego conjectari possum. Porrò si materiam primam illam Aristotelis intellectisset D. Augustinus, ut tu forsitan oppones nobis: quomodo stare poterit cùm præcedente contextu ejusdem, sententia illius in libro primo de Genesi contra Manichæos, quæ hujus seriei est: informis ergo illa materia, quam de nihilo Deus fecit, appellata est primo cælum, & terra, & dictum est: In principio fecit Deus cælum, & terram: non quia jam hoc erat, sed quia hoc esse poterat. Nam, & cælum scribitur postea factum. Quemadmodum si semen arboris considerantes, dicamus ibi esse radices, & robur, & ramos, & fructus, & folia, non quia jam sunt, sed quia indè futura sunt. Sic dictum est, in principio fecit Deus cælum, & terram, quasi semen cæli, & terræ: cùm in confusò adhuc esset cæli, & terræ materia. Certè quod hæc verba de illa materia Aristotelica non intelligantur, constat ex hoc, quod ex potiore Philosophorum sententia cælum, aut ex nulla constat materia, aut si ex aliqua, diversa multò ab ista generabilium, & corruptibilium. Sed Augustinus utramque ejusdem speciei facit, cùm dixit eam esse quasi semen cæli, & terræ. Ergo certum supereft, diversam fuisse ab eo intellectam, & non quæ mihi opponebatur. Id ita esse nonnulla verba, quæ infra mox citatum contextum leguntur, manifestè probant, illa sunt: Hanc autem adhuc informem materiam etiam ter-

terram invisibilem , atque incompositam voluit appellare , quia inter omnia elementa mundi terra videtur minus speciosa , quam cætera. Invisibilem autem dixit propter obscuritatem , & incompositam propter informitatem. Eadem ipsam materiam etiam aquam appellavit super quam ferebatur spiritus Dei : sicut superfertur rebus fabricandis voluntas artificis. Quæ verba metaphoricè , & non in rigore literæ nonnulla Genesis intelligenda esse docent. Si enim adhuc ipsius Augustini verba in sensu , quem faciunt , assumerentur , mutuo pugnare quædam aliquis contendisset. Nam quæ infra omnes contextus ductos leguntur , convenire cùm prima sententia adducta non videntur : infra enim sic inquit Augustinus. Quòd & si paucorum intelligentia potest attingere , humanis tamen verbis nescio utrum , vel à paucis hominibus possit exponi. Propterea verò non absurdè etiam aqua dicta est ista materia , quæ omnia , quæ in terra nascuntur , si-
ve animalia , sive arbores , vel herbæ , & si qua similia , ab humore incipiunt formari , atque nutriti : hæc ergo omnia sive cælum , & terra , sive terra invisibilis , & incomposita , & abysus cùm tenebris , sive aqua , super quam spiritus ferebatur nomina sunt informis materiae : ut res ignota notis vocabulis insinuaretur imperitoribus , & non uno vocabulo , sed multis : nisi unum esset , hoc putaretur esse , quod consueverunt homines in illo vocabulo intelligere. Dictum est ergo cælum , & terra , quia indè futurum erat cælum , & terra. Dicta est materia invisibilis , & incomposita , & tenebræ super abysum , quia informis erat , & nulla specie cerni , aut tractari poterat : etiam si esset homo , qui videret , atque tractaret. Quod ultimum , scilicet dictum est cælum , & terra , quia indè futurum erat cælum , & terra , non quadrat cùm primitus citato ex Genesi ad literam , ubi dixerat , non quia informis materia formatis rebus tempore prior est. Si enim prior non est tempore materia illa rebus formatis ex ea , qualiter verum esse poterat , quod ex ea futurum erat cælum , & terra ? Circa quæ sistere gradum videtur , tibi , & cæteris Theologis hæc enodanda mittendo : mihi enim sufficit , id quod audistis adduxisse , ut non adeò clarè putas adversus me pugnare Sapientiæ contextum à te ductum in sensu , quem tu ducere videbaris. Nam si in alio intelligatur divinus ille sermo , putà , quòd cuncta sint creata ex materia invisibili , simul utrisque factis , tām materia , quam ea , quæ ex illa creabantur , vide quam longè sermo hic erit à decreto Theologorum , attestantium in Angelis nullam materiam esse , qui tamen creati fuere , ut cæteræ creaturæ. Alium ergo sensum habere verba illa , confiteri teneris , quam illum , quem mihi objicis. De quo nihil dicere in præsens placet , quòd ego Physicam tantum nunc doceam. Unum tamen velim in memoriam revocasses : cùm illud Sacræ Scripturæ mihi opposuisti , quod apud vos Theologos passim versatur , verba scilicet Sacræ Paginæ esse intelligenda in sensu , in quo fiunt , non in sensu , quem faciunt. Et cùm hunc tu observaris , dic mihi quæso , quid illud sapientiæ primo vult : auris cæli audit omnia , & tumultus murmurationum non abundetur ; & aliud ejusdem capite quarto , cani autem sunt sensus hominis , & ætas senectutis vita immaculata : & illud quoque capit is quinti : accipiet armaturum zelus illius , & armabit creaturam ad ultionem inimicorum : & reliquum cap. 7. ipse enim dedit mihi horum quæ sunt scientiam veram , vim ventorum , & cogitationes hominum , & aliud eodem cap. Omnibus enim mobilibus mobilior

est sapientia , attingit autem ubique propter suam munditiam , vapor est enim virtutis Dei. Reliquum quoque ex 12. cap. sed partibus judicans das locum pœnitentiæ , non ignorans quām nequam est natio eorum , & naturalis malitia ipsorum , quoniam non poterat immutari cogitatio illorum in perpetuum : semen enim erat maledictum ab initio. Porro horum quodlibet si in rigore intelligendum esset , nescio quas aures cælum hoc materiale , aut angelica natura habeat : ut quoque ignoro canos esse sensus hominis , me sciente , capillos exortes sensus esse : & atatem senectutis vitam esse immaculatam , non immemor quām plures senes impudicos , & avaros , & invidos fore. Et zelus , qui affectus animi est , accipere armaturam , ipsumque armare creaturam , & datam esse puro homini cognitionem humanarum rerum : cùm scrutator cordium , & renum Deus tantum sit , & sapientiam vaporem esse virtutis divinæ , & esse naturalem malitiam aliorum , & quod non possint ii immutari in perpetuum à malitia in viam justitiae : nemine ignorantе , omnes homines libero potiri arbitrio.

Tandem hoc disputationis genere dimisso , ne sutor ultra calceum dis-judicare dicatur , & ad id , quod quæris à me , in quo scilicet genere causæ elementa intrent compositionem mistorum , respondendo dico , quod si meum Codicem legere exactè voluisses , ibi invenies millies , ea esse materiam mistorum. Itaque in genere causæ materialis coire attestor : & cùm ulterius procedis ; ergo illa erunt prima materia , quod non sit ulterius eundem ad ullam aliam eisdem priorem ; concedo consequens , quod id corollarium meæ conclusionis sit : neque ego id unquam sum inficiatus. Quod ego , inficias , eo , id tantum est , non esse afferendum esse illam primam materiam , qua Peripatetici omnia entia corruptibilia constare credebant. Cæterum quod ultimo subsumis , ergo quatuor erunt primæ materiae , negabo consequentiam , si dictio illa numerica , quatuor scilicet , sumatur distributivè , ut sit sensus , quodvis ex quatuor elementis est prima materia. Si autem collectivè accipiatur , concedam consequentiam : & consequens , putà , quatuor entia specie diversa simul juncta sunt omnium mistorum materia : quæ prout in diversis proportionibus convenient ad mitionem , aut diverso modo affecta in calore , & frigiditate , humiditate , aut siccitate , sic diversæ formæ mistorum in eisdem inducuntur. Hoc si cavillare velis , sic arguendo , omnia elementa sunt materia prima , ergo ignis erit materia prima , & aër quoque ; & sic terra , & aqua: negabo consequentiam : non enim licet descendere sub termino signo collectivo affecto , ut descendimus sub nomine confusè , & distributivè supponente. Quis enim ex initiatibz in Summulis ignorat , hunc esse paralenchum , omnes Apostoli Dei sunt duodecim , ergo isti Apostoli Dei demonstrato Petro , & Paulo , sunt duodecim , & sic alios duos , vel tres demonstrando , dicere illos esse duodecim ? Quo ergo modo qui sæpiissimè hæc docuisti , tam citò Theologiæ incumbens , rei tam dilucide oblitus es , ut tibi placeat mihi ob-jicere , indeque quatuor esse materias primas specie diversas : id quod quām absurdum sit , facilem habet ostensionem. Ego unicam dico esse materiam primam , aggregatum scilicet ex quatuor elementis , & illorum nullum seorsum materiam primam esse confiteor : quod ex nullo unico ali-quod mistum constituatur : quamquam illorum quodlibet ab alio specie differat. Si quid ex meis placitis sequitur , id est , materiam mistorum ete-rogeneam , & non homogeneam esse , in hoc sensu , quod non quævis pars for-

formæ minimi misti constituta ex quatuor portionibus elementaribus habet pro subjecto simile in specie elementum cùm alia: quin diversum specie est subjectum unius quartæ particulae illius minimi à subjecto alterius. Unius enim erit subjectum aér, alterius ignis, alterius aqua, reliqui terra. Quod si objurgaveris, quo ergo modo forma misti potuit informare unicum tantum elementum? Dico id non inconvenire, cùm illa portio elementi est contigua aliis tribus: inconveniret tamen, si sejuncta, & seorsum esset. Neque mireris hujus. Omnes enim confitemur, dari minimum quod sic, quoad magnitudinem in entibus naturalibus, & illud quantum esse. Unde duas medietates est habiturum, quorum nulla seorsum esse posset, si dividiretur minimum: & ambo junctæ constare valent.

Ulterius admiratis: quomodo cùm elementa ex meis confessis sint substantiæ simplices citra compositionem materiae, & formæ, quanta sint, & corruptibilia, ac generabilia. Quandam quoque sententiam commentatoris in libro de Substantia orbis mihi opponis, inscius, quanti ego hunc authorem reputem, quod meum opus concitato gradu legeris. Justius de te ego miror, quid prohibeat elementa quanta esse, & si materia careant: cùm tu idem dudum fatearis Averroim, quem suspicis, dixisse cælum materiam non habere, quod quantum est: præsertim quod tu, qui hucusque opinabar quantitatem distinguere re quanta (jam enim non id protervies, si quæ de re hac scripsimus, legisti) non habebas undè materiæ tribueres quantitatem: cùm vos fateamini etiam primam materiam sine accidente, quantitas, nominata, non esse quantam. Gigni, & corrupti posse elementa quamquam essentiale compositionem non habeant, non video quis prohibeat, cùm omnibus notissimum sit innumerorum mistorum formas corrupti, & de novo alias gigni, entitate, quæ forma dicitur, & est, non suscipiente in sui compositione materiam. Nisi credis in quolibet mixto esse infinitas materias, unam primam, quæ subjectum est formæ, & aliam, quæ intrat compositionem entitatis, quæ forma misti nominatur, & statim alia, quæ etiam constituet formam formæ, & sic in infinitum sit processus. Objicere enim, ut solent aliqui, qui de vocibus tantum disputationant, quod forma misti non sit, quæ generatur, neque quæ corruptitur, sed totum compositum, inane, & nullius valoris est. Nam si forma misti, quæ erat, esse desinit, & forma, quæ non erat, esse incipit: jam quod tu non permittas quod ego dicam illas gigni, & corrupti, prohibere non poteris quin illam inchoationem, & desitionem nominem ego per has orationes, forma misti fit, & forma misti desinit esse: & eisdem vocibus explicabo inceptionem, & desitionem elementorum: cùm tu adeò scrupulosus fuisses in Grammaticæ dictionibus, quas vis, ut ad tui libitum significent.

Non majoris valoris quam præcedentia sunt, quæ statim nobis opponis, quod scilicet elementa non potuerunt corruptionem pati ex affectione qualitatum primarum, quas poscunt, ut fint, & durent: ideoque cùm simplicissima sint, affectionibus illis essent orbanda. Deum testem in hisce rebus trahis, quod ipse sit purus actus, & quod quæ maximè simplicia sint, plus actus habent. Indeque quadam metaphora Arabum humanum intellectum umbram intelligendi dicendum esse opinaris. Quæ omnia quam aliena à præsenti negotio sint, tu planè intellexisses, si nostrum codicem relegisses. Et quod non feceris, iterum accipe scribenda, quorum non-

nihil etiam in hac nostra Apologia scriptum fuit : multum interesse inter simplicitatem spiritualium substantiarum , & simplicitatem corporearum . Corporea nempè substantia , quæ plures formas substantiales in sui compositione admittit , perfectior est , cæteris paribus , quàm quæ pauciores : indeque homo , qui plures cæteris animantibus formas habet , perfectior habetur , & est : constituitur enim ex elementis , & diversis formis carnis , ossis , cartilaginis , nervi , & aliârum particularum illis superadditis , & anima rationali etiam hæc omnia informante , aut potiorem partem hominum . (ut ad opinionem illorum , qui non omnes hominis partes animatas rationali anima credunt , alludamus) Elementa , quæ nullam compositionem partium essentialium habent , sed simpliciora sunt , imperfectissima censentur : & hæc minus actus habent , & magis potentiaz . Aptâ enim nata sunt , recipere omnes mistorum formas , quod nulli mixto convenit . Et si enim aliqua mixta , aliquas perfectiores formas suscipiant , quibus ut materia deserviunt , ut nuper de carne , & osse , & nervis , & aliis partibus homogeneis constituentibus hominem , superaddita forma rationali , dicebam : non tamen quantumvis imperfectum mixtum natum erit omnes formas suscipere , ut elementa , quia ad propriam formam , quam jam actu habent , potentiam habere non poterunt . Nequè hæc potentia elementorum , aut imperfectorum mistorum est aliud , quàm ipsa elementa , aut mixta imperfecta : quod etiam dicere coguntur , qui elementa in mixtis formaliter contineri concedunt . Non enim tantum materiam primam elementi necessariò dicturi sunt isti , esse aptam recipere formam mixti , sed totum aggregatum ex materia , & forma illam aptitudinem habere , cum totum elementum sit , quod recipit : ubi forma elementi , quamquam esset actus suæ materiaz , foret in potentia ad recipiendum formam mixti . Vide ergo , quòd non inconveniat dicere in nostra vera opinione , elementa non esse composita ex materia prima , & forma , sed simplicem substantiam corpoream , & proximam non enti , aut propè nihil nominanda , & actualiter esse , quod sunt , & in potentia esse ad recipiendum formam mixti . Iste elementum mixtis inanimatis credis , quòd simplex ipsum sit , & mixta composita , deciperis certè : non enim inde sua oritur perfectio , sed quòd entitas sua sit mixtis illis , & elementis perfectior . Ideoque cum suprà dixi in corporeis substantiis , perfectiora plus compositionis essentialis habere , quàm minus perfecta , addidi , cæteris paribus , ut hanc calumniam cæli fugerem . Et si enim simplicius sit cælum , quam inanimatum mixtum , non est mixtum illo imperfectius , quia cætera non sunt paria , quod cælum entitas multò perfectior sit , quàm mixtum . Hoc tamen perpende , quod si Deus concesisset cælo potentiam recipiendi formam aliam se perfectiorem , ut elementa valent mixti formam recipere , quòd tale aggregatum ex cælo , & forma perfectiore esset perfectius , quàm cælum solum , & esset compositionis ipso . Unde clarè constat , compositionem realem substantiarum quantarum non esse causam imperfectionis , neque simplicitatem hanc contrariam attinere perfectioni , immò ex adversò rem se habere .

Ponis etiam ignem corrumpi , & quæris à me in quo fiat illa mutatio de non igne in ignem , ut me cogas fingere esse aliquod ens (nam esse , & puram potentiam essendi esse , intelligibile est) quod amittat præcedentem formam , & novam acquirat , quod tu materiam primam nominabis . Tibi que

que distinctione hac respondeo , quòd aut tu interrogas in quo subjecto illa mutatio fiat : & dicam tibi , quòd in nullo. Aut à me petis, in quo loco , & dicam , quòd inibi ubi fit. Neque tu taliter respondere potuisses. Si ego à te sciscitarer , in quo corruptio substantiae panis transsubstantiati , fiat , nempè necessariò dicturus eras , in nullo subjecto , sed in loco illo , ubi manserunt panis accidentia. Tu aliter formasti hanc rationem , sed ego magis explicitè , ut majorem vim adversum me concitarem. Tua quippe potius quædam elenchus , quam inculpata collectio dicenda est. Dices enim , fac ignem corrumpi , corruptio illa , cùm sit mutatio , in quo est ? In toto igne me dicturum credis , atque ignis corrumpitur per primum non esse , quando corrumpitur igitur , non est , quare mutatio illa erit in non ente: quòd cùm sit impossibile , restat mutationem in aliquo ignis esse , & cùm non sit in forma , infers , quòd erit in materia , indeque illam primam materiam astruis. Sed ego ad tua , quæsita sic respondebo , quòd corruptio illa fiat in loco illo , ubi ignis corrumpitur : & in subjecto nullo , & quòd cùm corrumpitur verè non sit , etiam fatebor : negaboque consequentiam mutationem illam esse non ertis , immò entis , qui præfuit , & non est. Non enim credo tibi ignotum , verba hæc corrumpitur , generatur , fit , incipit ampliare. Cùm enim motus incipiat esse per ultimum non esse , verè dicimus in instanti , in quo motus non est , motus incipit esse. Nam dictio illa incipit , ad id quod est aut erit , ampliat : ut sensus hujus sit , motus qui est , vel erit incipit , quod verum est : quando non est motus , & immediate post motus erit : ut etiam verè dicimus : quòd ignis qui est , vel fuit , corrumpitur in primo instanti esse aëris , si genitus est aër : mox cùm est ignis , & immediate ante illud fuit. Neque tu aliter respondere poteris consimilibus interrogationibus illis , quas à me sciscitarris. Si enim ego quæsiero abs te , quando verificatur ista , Petrus corrumpitur , aut Sortes moritur , an cùm isti vivunt , vel cùm defuncti sunt : non cùm vivunt , quia tunc morituri sunt , sed non moriuntur: neque quando functi sunt vita , quod tu jam non sint , & falsa sit propositio affirmativa de subjecto pro nullo supponente : undè ergo quæso solutionem elicerre possis , quæ ab ampliationis Methodo à me præscripta ? Nescio. Nisi malis convenire cùm Platone citato ab Aulo Gellio libro sexto Noctium atticarum , cap. 13. quæ cùm relatis Logicæ methodis. Referebat enim Aulus Geilius loco prædicto , quæsitum est quando moriens moriretur , cùm jam in morte esset , aut tum etiam cùm in vita foret : quando surgens surgeret , cùm jam staret , an tum etiam cùm sederet : & qui artem disceret , quando artifex fieret , cùm jam esset , an tum cùm etiam non esset. Utrum enim horum dicas , absurdè , atque ridiculosè dixeris. Multoque absurdius videbitur , si aut utrumque dicas esse , aut neutrum. Sed ea omnia cùm captiones esse quidam fuitiles , & inanes dicerent ; nolite , inquit Taurus Philosophus , hæc quasi nugarum aliquem ludum aspernari , gravissimi Philosophorum super hac re serio quæsierunt. Et alii moriendo verbum , atque momentum , manente adhuc vita , dici , atque fieri putaverunt. Alii nihil in eo tempore vitæ reliquerunt , totumque illud , quod mori dicitur , morti vendicarunt. Item de cæteris similibus in diversa tempora , & in contrarias sententias discesserunt. Sed Plato , inquit , noster , neque vitæ id tempus , neque morti dedit : idemque in omni consimilium rerum disceptatione fecit. Vedit quippe utrumque esse pugnans : neque posse

posse ex duobus contrariis , altero manente , alterum constitui , quæstio-
nemque fieri per diversorum inter se finium , mortis , & vitæ cohærentiam .
Et idcircò peperit ipse , expresitque aliud quoddam novum in confinio
tempus , quod verbis propriis , atque integris repentinam naturam appella-
vit . Sed de his nil plus , ut aliam tuam objectionem enodem . Refers enim ,
corrumpuntur elementa , & inanimata mista , moriuntur animalia , ut ex-
perimenta docent , & cùm hujusmodi corruptibilitas passio quædam sit ,
quærit an competit mistis propter materiam , aut propter formam : hanc
non esse principium passibilitatis , quòd fit actus dicis , ergo à materia ori-
ginabitur hæc corruptio . Si tu , & cætera vetus Physicorum schola lippis
oculis non prospiceretis , porrò videretis , quàm fuitiles sermones hi sint :
ego enim corruptionem omnium mistorum naturæ formæ misti tribuo , quæ
talis est , ut sine tali proportione elementorum esse non possit , & entitati-
bus elementorum , quæ idem ipsis elementis sunt : conseruo quoque eorun-
dem corruptionem , quod tales naturaliter sint , ut sine certis proportioni-
bus qualitatum primarum esse non valeant . Neque ullius valoris est , quod
refers , formæ mistorum actus sunt : ergo non erunt in potentia corruptibi-
les . Nam inconvenit nihil , quod illæ actu informent elementa , & per hoc
fortiantur actus nomenclaturam : & quod eadem pro quanto limitatos gra-
dus qualitatum primarum , & quantitates omnium elementorum requirunt ,
ut sint , & operentur , quæ sibi audent , dicantur in potentia ad corruptio-
nem , aut potentia , aut potentialitas . Certè non immerito quandoque de
vobis admiror , quòd hanc finxeritis materiam primam , ut omnia naturæ
probra in eam rejiciatis , & ut ipsam sentinam incommodorum naturæ esse
singatis , alias cæcutientes eandem formæ præferentes . Rejicis enim tu in
argumento adversus me ducto corruptibilitatem in materiam prima , ut
rem concessam ab omnibus tuæ factionis hominibus , minimè considerans ,
quòd Peripateticorum Princeps hanc incorruptilem astruit , à qua potius
æternitas , quàm corruptio originem trahere debebat . Neque machinari
illam malum , aut appetere illam formam , ut mulier virum corruptionis en-
tiū causa forent , si ipsæ formæ mistorum tales fuissent , ut quibusvis ele-
mentis subjacentibus illis , & quovis modo elementis affectis , ipsæ non eva-
nescerent : neque elementa esse desinerent , si etiam quavis primarum qua-
litatum proportione asservari nata essent . Relatarum ergo formarum mis-
torum naturalis propensio , & elementorum natura imbecilla , causa sunt
corruptionis generabilium , & corruptibilium , & non commentitia , mate-
ria . Cùm enim nullus dicere soleat , domus fuit causa interitus hujus , qui
eam habitabat , si propter æstivum calorem , aut rigentem aërem ægrotati-
vit ille , qui vita functus est , sed calorem , aut frigus causari simus soliti :
cùm ergo in materiam , in qua subiectivè est forma , ex vestris assertis , cor-
ruptibilitatis imperfectionem rejicis , nisi in calorem , aut frigus , aut alias
incommodes qualitates formæ conservandæ ?

Quippè plures induis formas Proteo ipso , cùm hanc fictam materiam
mihi persuadere conaris . Jam adversus me arguis , mox id diruis , iterum
primum fulcire procuras , sed subinde coementorum defectu opus tuum
spontè corruit . Non enim vides , quàm parùm inconveniat dicere , mista ,
aut elementa esse activa , cùm in aliqua agant , & eadem dici passiva , cùm
ab eisdem repatiantur . Agunt enim per propriam vim in contrariorum re-
sistentiam , & patiuntur à contrariis similiter in nativam resistentiam . At-
que ,

que, ut tu fassus es, calorem, & frigiditatem qualitates activas agentes pati passionem corruptivam, quæ implicatio igni, & aquæ substantiis idem contingere, & mistis aliis quoque consimile evenire? Si quæsiſſes à me, quòd querere oblitus es, antequam, cùm ignis sit, quid fuerit in potentia ad ignem? Si materiam ejus, quæ præfuerit, ego esse inficior. Dicam tibi, quod nihil: ut tu quoque, qui materiam primam in igne esse fingis, dicturus es. Non enim, & si illa esset, unquam fuit in potentia ignis, ut aliquando verè dici possit, quòd jam actu sit eadem ipsa ignis: sed quòd post ignem genitum illa pars ignis sit: quod non solum igni contingit, sed omnibus entibus, quæ aliqua entitate genita de novo fiunt, illa enim omnia impossibile est dicere habuisse aliquid, quod fuerit in potentia illa. Et quia de elemento exemplum exaravi, de mistis aliud scribere placet. Nonnè qui dixerit panis, aut sanguis est in potentia animatum non falsum dicit, si explicare velit, quod illa entitas, quæ est panis, futura sit animata: cùm prius corrumpenda sit forma panis, quam introducenda anima? Ac etiam & si permansura esset forma panis, & simul cùm anima, forma addita pani, asservari panis forma posset, non verè quis dixisset, panem esse in potentia animal, sed tantum quod panis sit in potentia esse partem essentialē animalis, quòd ex eo, & anima constitueretur animal. Adeò vera relata assertio profectò est, ut neque ulla substantia, quæ accidentalem denominationem fortitura est ob aliquod accidens de novo realiter gignendum, dici possit, esse in potentia ad aliam denominationem. Sortes enim qui non est albus, sed albus futurus est, non est potentia albus, sed est in potentia esse partem albi, quia subjectum albedinis futurum est: cùm ipse, & albedo, qua afficiendus est, nomen albi adipiscantur, & horum nullum album erit appellandum.

Insciè quippè dixisset, qui unitatem esse in potentia dualitatem testatur: cùm implicet in naturalibus unitatem ea ratione, qua unitas, esse dualitatem: verè tamen quivis affirmasset, unitatem esse in potentia partem dualitatis: qui si alia unitas adderetur, ambo dualitatem constituerent. Ex quibus duo pellucida evadunt. Primum, quod sola illa entia dicuntur verò in potentia esse aliud denominatione ens, quæ non per novam entitatem realem genitam nomenclaturam variant, sed per alium modum se habendi. Verè enim dicitur anima in potentia sciens, cùm ignorabat: quòd cùm jam scientiam adepta fuerit, non per aliquam entitatem novam nominabitur sciens, sed per alium suum modum habendi sciens dicetur. Secundum, quod sequitur est, quod cùm dicimus, aliquam substantiam corrumpendam esse in potentia aliam: quæ post prioris corruptionem gignenda est: non in alio sensu vero dici possit, quam in hoc, quòd ad illius corruptionem, altera gignenda sit: ne si nihil gigneretur, quæ infra cavum Lunæ continentur, in nihilum redigerentur. De quibus in nostro opere fusius egimus.

Quoddam argumentum, quo tu docendo, crediderim ego Philosophiam, dicis assuevisse colligere materiæ existentiam, quod hujusmodi est, ignis si producendo ignem alterum totum producit, ut ego attestor, totum igitur esse habet ignis productus à productore, hoc autem fieri non potest. Etenim ignis producens, cùm sit particulare ens, particulam entis habens, qui poterit non particulam esse, sed plenè suum esse, quam frivolum sit, te ipsum judicem constituo: dum primitus legas, quod statim exaro.

ro. Quod ut facilius percipias, exemplo rei veritatem illustro: finge enim Deum concedere alicui Angelo vim gignendi ex aëre ignem (id enim Deo omnipotenti per quām facile, ut cætera est) si enim igni, vilissima substantia, hanc facultatem concessit, quid impediet Angelo eandem concedere? gignat ergo Angelus ex aëre ignem, & quāram statim abs te, an totum esse habeat ignis ille productus ab Angelo producente, an non? si dixeris, quod sic, ut dicturus es, statim objiciam ego tibi tuum argumentum, id fieri non posse, quia Angelus est particulare ens, particulam entis habens, non enim est Angelus genus, neque species, neque aliud de universalibus, potius quām ignis: ergo ut tu ob hanc rationem infers ignem materiam habere, sic inferam ego ob eandem Angelum materiam habiturum. Et simili hoc dimisso: unde tu infers, quia ignis sit particulare ens, quod ipse particulam entis sit habiturus, si per particulam entis formam intelligis? nam ego hanc consequentiam negabo, quia unde teneat, non video: neque tu ejus bonitatem probare poteris. Si autem particulam entis vocas eundem, simplicem elementarem substantiam: ignis particularis particulam entis habebit, idest, seipsum, si ita loqui liceat, quod aliquid seipsum habere dicatur. Neque aliud, quod infers, scilicet quodlibet faciendum esse ex quolibet, unde colligatur, intelligo: nam ego corruptionem alicujus entis præquiriri ad generationem alterius docui in nostro opere, ne si corruptio non præcessisset, noviter genita mundus non caperet.

Quod infers, si materia in elementis non esset, quæ maneret in novis genitis, non plus unum quām aliud elementum generandum post prioris corruptionem, cùm nulla dispositio maneat: non magis adversus me quām contra te sequentem opinionem D. Thomæ, qui fatetur, in qualibet corruptione substantiæ cuiusvis fieri resolutionem usque ad primam materiam, militat. Et ut tu confiteberis ex naturali ordine sequi hujus generationem ad hujus corruptionem, simile ego fateor elementis evenire. Gignitur enim elementum poscens dispositiones similes illis, quibus antecedens corruptum est, & nihil aliud gigni potest, sed determinatum ex determinato. Hæc omnia jam à me typis mandata fuere, quæ legere contempñisti. Vide quod jacturam hanc temporis, quam dictando præsentia feci, mihi debeas, hanc tibi non ignosco: donec sciam te discere, quæ mihi docere conabar: & nostram veram, & claram doctrinam tuorum discipulorum mentibus inserere.

Quod ultimò interrogas de nutricione viventium, planum nobis medicis est: vobis Theologis, qui elementa à viventibus subtrahitis, & illa constare tantum ex vestra prima facta materia, & animabus creditis, difficillimum certè est, si de his, quæ contingunt vegetabilibus, causam effis reddituri, de quibus distuli loqui in opere ædito, & promissi me locuturum, si Deus concederit, in ædendo. In præsens sufficiet tuis dubiis facere satis. Cùm enim queraris, an alimenti assumpti aliquid maneat in corpore viventis: dico, quod postquām cibi purior pars in ventriculo elaborata ad jecur transfertur, ibique in sanguinem convertitur, & per totius corporis yasa distribuitur, tam à membris carniformibus, quām radicalibus fugitur, atque in eorundem porositatibus iterū à facultate concoctrice particulae elaboratur: donec sanguinis forma, quæ elementis illum constitutis erat addita, corrumperit, & loco illius anima vegetativa inducitur, sive immediatè, ut aliqui sunt opinati, sive aliis permutationibus ante-

dentibus, ut alii, ubi neque penetratio dimensionum occurrit, neque inconveniens ullum. Partes enim corporum viventium, quæ continuo per mutuam elementorum pugnam corrumpuntur, & à continente, & nativo, ac formalis calore difflantur, cedunt, ac locum exhibent alimentis, quæ sumuntur. Si enim à viventibus nihil efflueret, non egerent illa nutriti. Cumque plus est, quod apponitur, quam quod deperditur, augentur viventia, si minus, imminuantur: si par, persistunt in eadem mole. Nolo de his tecum plura agere, ne te distraham à gravioribus negotiis, his medicinalibus intentum faciendo. En quod scrupulum nullum ex nostra afferatione sequitur: quin in hoc cum cæteris Medicis convenio, indeque admiror, cur mihi plusquam aliis Physicis, qui elementa manere in mystis formaliter opinati sunt, objecceris argumentum illud, necesse esse in mea opinione, aut dicere nihil ex alimento in corpore relinqu, aut penetrationem dimensionum esse concedendam. Quæ ambo quam facilitè à me sunt absoluta: tibi vero, qui es opinatus solam materiam primam ex alimentis assumptis in viventium corporibus manere, mille impossibilia contingunt.

Si enim verum esset, quod tu innuere videris, solam materiam ex alimentis transire in nutritum: impossibile foret recentè nata quibusvis cibis assumptis crescere. Consequentia est nota. Primo, quod ipsa materia penetrativè se haberet cum præexistente alendo: quod illa nec qualis, nec quanta sit, ut vester Aristot. in 7. Metaph. text. com. 8. dicit. Secundo quia jam quod alimentum quantitatem habuisset, ut habet, cum ipsum corrumpendum sit, ut formam aliti suscipiat, & in corruptione illa quantitas, quæ toti inhærebat, ut beatus Thomas opinatur, corrumpatur, nullum quantum præexistenti nutritio adderetur: indeque inferre liceret, quantum per non quanti additionem crescere, quod nemo sanæ mentis concederet. Tertio, impossibilia reliqua, quæ in nostro opere intulimus, sequentur, in homine scilicet, non esse unde quantitas oriatur: quia non ab anima rationali, neque à materia prima: & cum secundum vos nulla alia substancialis forma nisi anima rationalis, nec materia nisi prima constitutat hominem, clare eliceretur, à nulla parte essentiali illum constitutive, quantum posse evadere. Et daretur modus dicendi aliquid posse esse grave sine gravitate, & calidum sine calore, & album sine albedine, & milie hujusmodi absurdum. Quartò, non magis nec minus compacta, aut rara, calida, aut frigida, sicca, aut humida, aërea, aut terrea, ex devorato aliquo alimento: quam alio hominum substancia evasura erat. Consequentia patet per tuas hypotheses. Fateris enim solam primam materiam nutrimenti in nutritio relinqu: quæ cum præfatis affectionibus expers universa sit, non est, unde elicere possumus ex brasicis plusquam ex boragine membra humana indurari.

His omnibus suffusiones oculorum mentis puto te excusurum, ideo non de his plus tractare gratum: dum primitus scias, me non pauca ex tuis transfilisse, quæ manifestè falsa erant, ut illud de magnete lapide illito allio amittente vim tractoriam ferri, qui error ortum duxit à vitio librarii, qui scripsit proœmium libri vigesimi secundi Plinii loco dictionis, alio, transcribendo, alio. Et aliud de nostra doctrina, quam vulgarem esse dicis, eandem Aristotele tuo ignorante, & quotquot eum sunt secuti, ac præcesserunt Philosophi. Etiam illud, quod me dixisse fateris, scilicet, qui fiet igitur brutalem potentiam tanto honore gaudere, ut per semetipſa sine aliquo

quo actu adventitio possit agnoscere. Cùm ergo in universo opere oppo-
situm docuero : & tu revellere illud , quamquam incassum , conatus sis . Ac
reliquum , quòd à præcedente non degenerat , pulicem vitalem esse , &
cælum non vitale . Ubi enim ex me elicere potuisti vitalitatem sensitricem ,
de qua illic agebas , pulici me concessisse ? Si enim sensitricem pulicem
constituerem , ut non constitui , consequens concederem cùm D. Augusti-
no in unico libro de duabus animabus contra Manichæos : ibi sole præ-
tantiorem muscam esse , illo docente . Plura quoque alia à præteritis non
dissimilia notare eadem labe possem , atque invalidas rationes , & citrè om-
nes Logicæ methodosne confecisse monstrare , notissima multa dubitare ;
quale est illud , quòd opportuisset vires tractivas , ad quas refugio , legiti-
mis probationibus introducere : cùm ipse manifestissimæ sint per effectus ,
ut magnetis , & succini , & gravium deorsum , & lævium sursum petendi ,
omnibus , qui antiqua caligine discussa , nostram veritatem conceperunt ;
& fermè omnia , quæ adversum me armasti , in cuius pérpiciem retorquere ,
quæ dimitto , ut id rependas , meum librum bis serio legendo , sed ut ri-
gorem disputationis linquam ; tecum i christianissimo , i christiane agere
volo .

Apertè perquam Reverende Domine ex tuis scriptis elicui , te putasse ,
cùm ad me scripsisti , nos ex illis Persianis scriptoribus fore ; qui existimant ,
scire meum nihil est , nisi me scire hoc , sciat alter ; & pulchrum est digito
monstrari , & dicier , hic est : & nihilo pendere metuentia scombros , &
thus carmina scribere : cùm ab hisce perditissimis hominibus quam maxi-
mè abhorream . Et nisi jam perfectis omnibus nostris scriptis , sententiam
mutasti , amice precor , ut me legas , ac relegas : non ut figmenta quædam ,
& mere nugæ nostra decreta sint , sed veluti aliquem ex grayibus doctori-
bus , quos legere es assuetus , tibique in primis persuadeas verum esse , quod
dictavi : neque mirum Aristotelem in hisce rebus , in quibus à me taxatur ,
aberrasse : etiam homines contempssisse examinare brutorum sensationes ,
quæ inconvenientia pariant : indeque omnes fermè pro comperto habuisse ,
illa sentire : & quòd mihi indaganti animæ immortalitatem naturalibus ra-
tionibus , oblata sit hujusc rei examinatio : quæ cum feceris , & veterem
hominem exueris , scio te statim in nostram sententiam descensurum . Nam
non ego illico , ut mihi in mentem venit decretum , de quo nunc ago , &
cætera , quæ portenta esse putas , illis consensi , donec oppositum verum
esse non posse , evidentissimis , & insolubilibus rationibus intellexi , & quæ
excussa sunt , nullum parere inconveniens concepi . Neque nostræ lucu-
brationes iis , quas typis mandavi , dumtaxat finiuntur : restant enim adeò
innumeræ ad naturalem , & medicam facultatem attinentes , ab utriusque
facultatis professoribus legi insolitæ , ut numerum grandem excellant : quæ
(si Deus vitam concederet) brevitè in lucem edam . Vide prudentissime
vir , si scripta , & scribenda ab omnibus sanæ mentis recipienda sunt pro
adeò veris , & certis , ut nihil scientificum ea excellere certò sciant , ut mihi
indubitatum est , quanta labo afficeris , si ea denigrare nonnullis fictis
coloribus , & cavillis contendas . Non enim tibi , nec ulli obsto ego , nec
impedimento esse cupio , ut inculpatis collectionibus , si qua minus vera à
nobis scripta forent , adversus me insurgatis : sed hoc tantum interdico ,
ne fisi antiquorum dogmatibus , quibusvis futilebus verbis nostras dissolvi
validissimas rationes innitamini . Nec insolentia nostræ tribuas cognomina

hæc superba , quibus rationes orno. Non enim validissimas , nec insolubiles eas nominassem , si cum eo genere hominum versarer , quod expers meæ opinionis , & oppositæ foret , & quod in nulla ex mutuò pugnantibus doctrinis nutritum fuisse , & non cum diverso multò à relatis certarem. Præsertim quòd perquam notum omnibus sit , non eventurum mihi (& si non penès te virum pium) quod Ovidius 4. de Tristibus , sibi accidisse gloriatur dicens : *Neque quia detrectat præsentia livor iniquus : Ullum de nostris dente momordit opus , quin oppositum.* Ideoque à me foveri , & honorificis nominibus mulceri infantiam hanc nostrarum lucubrationum exposcere cogitavi : tum maximè , cum sciam , quòd frequentissimum sit illud Rhoterodicum in Moria , quòd pessima quæque semper plurimis arrideant , & quòd inveniant similes labra lactucas , etiam doctissimis nonnullis quandoque contingere , quod Antigenidis musici discipulo accidit , cum magister eidem imperavit mihi , & Mulis. Te ergo , & in nomine tuo universos , qui nostras commentationes legerint , hortor , ut candidis pectoribus illas concipient : & quæ scrupulum illis intulerint , si calami nostri defectu , aliqua minus benè explicita sint , nobis notum faciant , ut eadem explanemus. Quòd si sufficientè fecerimus , ut nunc tuis objectis feci , nostris partibus faveant exoro : quòd ipsi jam convicti libentissimè , me non deprecante , facturi erant. Verum si non sufficere nostra responsa opinentur , iterum rationem insufficientiæ rescribant , & meam responsonem sperent. Ac si nec , quæ tunc scripsero , satis sint , viva voce , ac typis nostram ignorantiam publicent : inibi , quæ ab illis objecta , & quæ à nobis responsa fideliter exprimendo. Fortassis enim dum ignominiam nobis inurere putaverint , se infamasse reperient : illisque continget , quòd Hispanè dici solet : *Las saetas contra el Infante Pelayo.* Fxit Deus , ut sacro ejus flamine mens tua , & nostra , ac omnium Physicorum sic illustretur , ut sua Divina Majestas , quæ æterna veritas est , à nobis frui , per Christum Dominum nostrum concedatur , in sæculorum sæcula. Amen. Vale in Christo.

F I N I S.

and the church, and all shall come up to him and say, Come unto me, ye blessed of my Father; for I was hungry, and ye gave me meat; I was thirsty, and ye gave me drink; I was a stranger, and ye took me in; I was naked, and ye clothed me; I was sick, and ye visited me; I was in prison, and ye came to me. Then shall the righteous answer him, Lord, when did we see thee hungry, and feed thee? or thirsty, and give thee drink? when did we see thee a stranger, and take thee in? when did we see thee naked, and clothe thee? when did we see thee sick, and visit thee? when did we see thee in prison, and come to thee? And the King shall answer them, Verily I say unto you, Inasmuch as ye have done it unto one of the least of these my brethren, ye have done it unto me. Then shall he say also unto them on the right hand, Come ye into the inheritance prepared for you from the foundation of the world: for I was an hungry, and ye gave me meat; I was thirsty, and ye gave me drink; I was a stranger, and ye took me in; I was naked, and ye clothed me; I was sick, and ye visited me; I was in prison, and ye came to me. Then shall they also answer him, Lord, when did we see thee hungry, and feed thee? or thirsty, and give thee drink? when did we see thee a stranger, and take thee in? when did we see thee naked, and clothe thee? when did we see thee sick, and visit thee? when did we see thee in prison, and come to thee? And he shall say unto them, Verily I say unto you, Inasmuch as ye have done it unto one of the least of these my brethren, ye have done it unto me. Then shall he say also unto them on the left hand, Depart from me, ye cursed, into everlasting fire, prepared for the devil and his angels: for I was an hungry, and ye gave me not meat; I was thirsty, and ye gave me not drink; I was a stranger, and ye took me not in; I was naked, and ye clothed me not; I was sick, and ye visited me not; I was in prison, and ye came not to me. Then shall they also answer him, Lord, when did we see thee hungry, and not feed thee? or thirsty, and not give thee drink? when did we see thee a stranger, and not take thee in? when did we see thee naked, and not clothe thee? when did we see thee sick, and not visit thee? when did we see thee in prison, and not come to thee? And he shall say unto them, Verily I say unto you, Inasmuch as ye have done it unto one of the least of these my brethren, ye have done it unto me. Then shall he say to the saints, Come hither, ye blessed of my Father: for I was an hungry, and ye gave me meat; I was thirsty, and ye gave me drink; I was a stranger, and ye took me in; I was naked, and ye clothed me; I was sick, and ye visited me; I was in prison, and ye came to me. Then shall they also answer him, Lord, when did we see thee hungry, and feed thee? or thirsty, and give thee drink? when did we see thee a stranger, and take thee in? when did we see thee naked, and clothe thee? when did we see thee sick, and visit thee? when did we see thee in prison, and come to thee? And he shall say unto them, Verily I say unto you, Inasmuch as ye have done it unto one of the least of these my brethren, ye have done it unto me.

FINIS





P
M
A

9

1-04

104

This grayscale image shows a large, irregularly shaped hole or tear in the center-left portion of a textured surface. The hole is dark and surrounded by a lighter, frayed material, suggesting it might be a tear in a wall or fabric. The texture of the surrounding material is visible as a grid-like pattern.

9.209

1